COMMENTARIUM CODICIS IURIS CANONICI

LIBER IV. DE PROCESSIBUS

COMMENTARIUM
CODICIS IURIS CANONICI

LIBER IV.
DE PROCESSIBUS

AUCTORE
P. IOSEPHO NOVAL, Ord. Praed.
PHILOS. AC IURIS CANONICI DOCTORE - PROFESSORE TEXTUS CANONICI
IN PONTIFICIO COLLEGIO INTERNATIONALI " ANGELICO ,, -
CODIFICATIONIS CANONICAE IAM CONSULTORE
NUNC AUTEM SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

PARS I. - DE IUDICIIS

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



AUGUSTAE TAURINORUM - ROMAE
Sumptibus et typis PETRI MARIETTI - Editoris
S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RR. CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI
MCMXX

23789

Nos infrascripti, de mandato Rev.mi Patris Magistri Generalis Ordinis Praed., attente perlegimus opus manuscriptum cui titulus: *Commentarium Codicis Iuris Canonici - Liber IV. - De Processibus - Pars I. - De Iudiciis* ab adm. R. P. Lect. et Iuris Can. Doctore Fr. **Iosepho Noval**, O. P., Codicis Iuris Can. Antecessore in Collegio Pontificio « Angelico » compositum, et dignum iudicamus quod in lucem edatur.

Romae, 23 Octobris 1919.

Fr. Celedonius Blanco, O. P.
Sacr. Theol. Lect. et Iuris Can. Doct. et Prof.

Fr. Iosephus Gonzalez, O. P.
Sacr. Theol. Lect. et Iuris Can. Doct. et Prof.

Imprimatur.

Romae in Collegio nostro Angelico, die 25 Octobris 1919.

Fr. Philippus M. Caterini, *Vic. Gen.*

Imprimatur.

Fr. Albertus Lepidi, O. P., *S. P. Ap. Magister.*

Imprimatur.

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., *Vicesgerens.*

V. Nihil obstat.

Cherii, die 31 Augusti 1920.

P. Ferlosio, S. I.

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Provic. Gen.*

EDITOR SIBI VINDICAT IUS PROPRIETATIS — (36-15-IX-20-3M+5)

TIBI

IMMACULATA DEI GENITRIX VIRGO

QUAE IUSTITIAE SPECULUM ES

AC SEDES SAPIENTIAE

HOC QUALECUMQUE ECCLESIASTICAE LEGIS COMMENTARIUM

QUO AD IUSTITIAM MULTOS ERUDIRE CONATUS SUM

SUPPLICITER COMMENDO

UT QUIDQUID VERITATIS IN EO SIT

QUIDQUID PROFICUUM

QUOD TOTUM PER TE ACCEPTUM REFERO

EISDEM DIFFUNDERE DIGNERIS

IN ILLIUS LAUDEM ET GLORIAM

PER QUEM LEGUM CONDITORES

IUSTA DECERNUNT

LECTORI BENEVOLO

Operis occasio atque exponendi ratio.

I. Non sine magno timore, ante quemlibet, quem sciamus, in lucem edimus Commentarium Libri Quarti Codicis Iuris Canonici.

Ipsa materiae indoles strenuum quemque terrere nata est. Etenim Pars Prima eiusdem libri, quae aliarum est veluti fundamentum, continet materiam *De Iudiciis*, quae, teste Cardinale De Luca, ceteris aliis Iuris Canonici est difficilior; Altera autem Pars agit *De Processu in causis Beatificationis et Canonizationis*, inter causas ecclesiasticas maiores gravioribus; Tertia denique Pars normas peculiares tradit, quas forte adhibere oportebit in personas peculiari honore et veneratione dignas, scilicet, Ecclesiae Ministros.

Dein timorem incutit qualitas legum Libri Quarti, quae, prae reliquis, sunt magna ex parte novae; unde orta est nobis necessitas interpretationem earum aggrediendi in multis absque ullo prorsus duce ac magistro.

Sed quia, ratione nostri muneris in Pontificia Universitate Studiorum Collegii « Angelici » de Urbe, debitores sumus pluribus, qui studio Iuris Canonici in eo incumbunt, aut gradus academicos in Iure Canonico ibidem assequi exoptant, qui omnes, ob ipsam Libri Quarti difficultatem, eiusdem expositionem a nobis instanter expetunt, non licuit diutius immorari, ducem prudentiorem exspectantes.

II. Ad rationem expositionis quod attinet, quoniam, ex dictis, opus nostrum usui praelectionum in Scholis praecipue destinavimus, operae pretium fuit, nobis quidem iucundissimum, commentationes aptare normis die 7 Augusti 1918 statutis a Sacra Congregatione Seminariorum et Universitatum Studiorum; cuius decretum (1) studentibus et docentibus omnibus debet esse notum, et nos in alio opusculo (2) breviter exposuimus hoc modo:

« Loquitur *omnibus ac singulis Studiorum Universitatibus et Iuris Canonici Lyceis, quae ad normam can. 256, § 1, eidem S. Congregationi parent; id est, obligat omnes ac singulas quas vocant Universitates et facultates quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus diriguntur.*

« Quinque vero *praecipit ac mandat*, scilicet:

1° Ut magistri in scholis Codice utantur, tanquam unico Iuris Canonici fonte;

2° Ut in schola, antehac « textus » nuncupata, ius tradant, *non modo sententia Codicis « synthetice »* proposita, sed *accurata quoque uniuscuiusque canonis analysi, seu singulos canones diligentissime explanatione interpretando.*

3° tamen *antequam dicere de aliquo instituto iuridico aggrediantur, apte exponant, qui eius fuerit ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, mutationes ac vices;*

(1) Cf. *Acta Ap. Sedis*, vol. IX, pag. 439.

(2) *Codificationis Iuris Canonici recensio apologetica, et Codicis Piano-Benedictini notitia generalis:* doctrina ad studium novi Codicis propaedeutica, pag. 68.

4° singulos vero canones interpretentur *ipso Codicis ordine, ac titulorum capitumque serie religiosissime servata;*

5° si eis placuerit praeter Codicem *unum aliquem adhibere librum, id sancte retinendum, ut non eius libri ordinis ordo Codicis, sed huic ille aptetur et accommodetur.* »

III. Has ergo normas ut ad amussim servaremus, commentarium nostrum concinnavimus prout sequitur:

Curavimus ut nostra commentandi ratio sit simul *scientifica* et *practica: practica* quidem eo sensu quod legenti exhibeat *distincte singula praescripta expressa* in quolibet canone et *declarationem verborum* quae occasionem praebere possunt dubiis ac quaestionibus; *scientifica* vero, ita ut, praemissis aut adiunctis notionibus theoricis, aut alias logice praenoscendis, necnon allatis saepissime rationibus legis, lectori praebeat opportunitatem cognoscendi leges Ecclesiae per earum causas, quatenus res iuridica patitur, et eundem reddat aptum ad facilius penetrandum sensum singulis praescriptis et verbis tributum in commentario. Huic duplici scopo respondet cuiuslibet commentarii nostri divisio in duas partes, quarum prima sonat *Expositio rubricae* (pars potius scientifica), altera, *Expositio textus* (pars praesertim *practica*). Ex qua divisione, etiam materiali, licet non omnino completa, hoc derivatur commodum, quod si quis alicuius canonis notitiam potius practicam quam scientificam desiderat saepe poterit labori et tempori parcere omittendo lectionem eorum quae continentur sub titulo *Expositio rubricae*. Unde ulterius eruitur neminem debere expavescere voluminis molem, cum ipse valeat facile invenire et brevi tempore perpendere quae sua intersint, ceteris omissis.

IV. Sub titulo igitur *Expositio rubricae*, cuilibet Parti, Sectioni, Titulo, Capitulo et Articulo praemittimus:

1) *Rationem ordinis*, seu, *rationalem connexionem* materiae Partis, Sectionis etc. cum antecedentibus et subsequentibus;

2) *Notiones*, et, si opus fuerit, *principia*, quae praerequiruntur ad recte intelligendum tum praedictam connexionem, tum canonum praescripta;

3) *Notas historicas* circa *originem*, *progressus*, *mutationes ac vices* praecipuorum *institutorum iuridicorum*, quibus titulus, vel articulus, vel caput, vel, interdum, aliquis canon alludit; quorum cognitio confert ad assequendum verum sensum novi iuris.

4) *Rationes legis*, tum veteris, tum praesertim novae, vel *utilitatem* aut *necessitatem historicarum mutationum*.

V. Sub titulo *Expositio textus* facimus commentaria singulorum canonum potissimum *practica:* ad quem finem,

1) Cuilibet canoni, qui non constet paragraphis, apponimus *inscriptionem*, quae, in forma vel interrogativa vel enuntiativa, exprimat unum vel plura *quaesita*, aptata *resolutioni* vel *resolutionibus* contentis in praescripto vel praescriptis canonis spectati in suo contextu. Quod si constet pluribus paragraphis, apponimus *inscriptionem* enuntiantem *materiam canonis in genere*, quam statim diluimus tot quaesitis quot sunt paragraphi. Nemo non videt quantum praevia notitia generalis synthetica materiae canonis conducat ad cognitionem singulorum praescriptorum eius; eo vel magis quod *quaesita* iis verbis exprimimus, quae non modo innuant *materiam* de qua agit quilibet paragraphus aut totus canon, sed et ipsam *responsionem*.

2) Ad quaesita relativa praescriptis expressis contextu canonis vel paragraphi respondemus non propositionibus compositis a nobis, sed ipsis verbis seu *textu canonis* vel paragraphi. Hoc modo obtinetur duplex commodum maximi momenti: scilicet: lector *a*) cogitur addiscere textum legis; quod quidem est valde utile omnibus, praesertim vero disputantibus, pro quibus illud usque vigere debet: *erubescimus cum sine textu loquimur; b*) cum istius sensum assequatur per commentaria ad ipsa canonis verba, praedicti sensus memoriam renovabit per simplicem lectionem canonis, aut solius inscriptionis eiusdem a nobis exaratae.

3) Responsa ex verbis legis, id est, canones, transcribimus *semper a) iuxta ordinem Codicis; b)* conspicuis et *peculiaribus characteribus*, id est, *nigris*, quos *uni textui Codicis reservamus* in nostro opere, unde quilibet valeat primo intuitu verba legislatoris discernere ab aliis ; *c)* ad *litteram*, interdum quidem *ex toto*, interdum vero *per partes*, ita tamen ut quaelibet responsio semper contineat unum saltem paragraphum *integrum* et *haud verbis alienis interruptum*. Ita fit ut lector in eodem volumine commentarii Codicis habeat *textum* Codicis *ex ordine*, *integrum* et *sincerum*, cum quo facile possit conferre commentarium.

4) Immediate post transcriptionem totius canonis aut paragraphi, transcribimus et interpretamur singula eorum *verba* vel *clausulas*, quae *a)* nobis videntur ingerere *aliquod dubium*, aut *b)* imponunt, veluti obiter et indirecte, *aliquod speciale iussum* diversum a praescripto vel praescriptis emergentibus ex generali contextu verborum canonis vel paragraphi, aut *c)* alludunt *iniuncto alibi facto* et utiliter in memoriam legentis revocando.

5) Saepe addimus aut praemittimus nonnulla quaesita circa materias quae in canone non tanguntur, sed habent tamen relationem cum illo, et conferunt ad meliorem eiusdem intelligentiam.

6) In fine tractatus inserimus *formulas* quibus concipi *possunt* praecipui actus processuales.

VI. Porro, in utraque expositione, scilicet tum *rubricae* tum *textus*, ad auctoritatem Doctorum, quoad licuit, confugimus; quoties autem hoc fuit impossibile, aut eorum sententiae non conveniunt, argumenta sententiae nostrae afferimus, nisi res plana sit.

VII. Laboris plena et speciali modo salebrosa exstitit pro nobis expositio materiae *De iudicio criminali*, quam, ex se brevissimam, oportuit, iuxta praescriptum canonis 1959, complere normis generalibus contentis in Sectione I Libri Quarti

De iudiciis in genere et in Libro Quinto *De delictis et poenis*, adaptando eas iudicio criminali prout huius indoles peculiaris expostulat. Quo autem utilitati, ne dicam necessitati practicae consuleremus, adaptationem a nobis factam, et *structuram iudicii criminalis* inde consequentem prout a nobis concipitur, exhibere duximus, uno intuitu perspiciendam, eo fere modo, sed longe breviori, ac in Sect. I *De iudiciis in genere* apparet *structura seu series actuum iudicii contentiosi*, et, exinde, post commentarium postremi canonis, videlicet 1959, adiunximus tria *schemmata*, nempe, *iudicii criminalis mixti*, *iudicii criminalis accusatorii* et *iudicii in causis dimissionis religiosorum*.

VIII. Neque silentio praetereundum esse credimus, quod brevitati atque perspicuitati ita prospicere studuimus, ut in bene multis non plus temporis in veritate comperienda quam in illis procurandis insumpserimus. Faxit Deus ut saltem veritatem simus assecuti!

IX. Denique, dum ampliorem orationem De Codice Iuris Canonici exhibemus quam in praedicto opusculo promisimus, eam iisdem votis ac opusculum concludamus. Valeat, inquam, hoc Commentarium « ad hoc ut Christifideles Deo Patri per ipsum Iesum Christum gratias, pro libro legis nobis dato, ex imo cordis agamus; providentissimae Matris Ecclesiae sapientiam ac prudentiam in eo redigendo miremur atque laudemus; ad ipsius Codicis studium, cuius necessitatem et difficultates novimus, excitemur; maxime vero in observantia praescriptorum illius enitamur, non enim auditores aut laudatores legis, quin potius legis factores iustificabuntur ».

Dabàmus Romae in festo SS. Rosarii B. Mariae Virg. anno 1919.

P. I. NOVAL O. P.

COMMENTARIUM CODICIS IURIS CANONICI

LIBER QUARTUS
DE PROCESSIBUS

Expositio Rubricae.

Quaesitum I. *Ratio tituli et ordinis Libri.*

R. I. *Liber* inscribitur *De processibus*, et non *De iudiciis*, 1.
uti Liber qui in Decretalibus agebat de materia analoga, quia continet canones praescribentes modos qui servari debent in quaestionibus et negotiis ecclesiasticis pertractandis ac expediendis non tantum *iudicialiter*, sed etiam *extraiudicialiter*. Ad negotia postremi generis pertinent praecipue canones relati in Parte Tertia. Dico *praecipue*, quia causae incidentales possunt definiri extraiudicialiter si iudex, attenta rei qualitate et gravitate, aestimaverit (c. 1840).

R. II. Ponuntur autem in paenultimo ex Libris Codicis 2.
canones super *processibus* et in ultimo illi super *delictis*, quia sunt leges veluti *adiectivae*, utpote quae ordinantur ad praeparandam aut ad urgendam exsecutionem ceterarum quae regunt materias Librorum priorum, et merito vocari possunt leges *substantivae*.

Q. II. *Libri Quarti, seu Iuris Processualis utilitas.* 3.

R. Non quod leges processuales sint veluti adiectivae, ideo sunt parvi aestimandae, et attenuato conatu addiscendae, et minus accurata diligentia servandae; nam sine legibus iudiciariis quarum ope iura declarantur et vindicantur, atque ceteris legibus processualibus quibus exsecutio legum substantivarum facilior redditur aut efficatior, Codex Iuris Canonici, veluti quodlibet legislationis Corpus «posset commode comparari corpori cruribus destituto, seu facultate se movendi; quum leges sortiantur

suam exsecutionem. etiam in casibus dubiis et litigiosis, per ministerium potestatis iudicialis » ut ait Cardinalis Lega (1).

Q. III. *Processus notio et divisio.*

4. *R.* I. Nomine *processus*, si is *subiective* sumatur, venit in iure *complexus* vel *series actuum et solemnitatum, quae a lege praescribuntur pro quaestionibus pertractandis aut negotiis expediendis publica auctoritate.* Processus *obiective* sumptus, dicuntur et sunt ipsae *leges processuales*, seu quae praedictos actus et solemnitates praescribunt. In hoc ultimo casu appellantur processus, id est, leges processuales, etiam illae quae determinant *materiam*, circa quam actus processuales versantur, et *personas*, sive physicas sive morales aut iuridicas, quibus competit eos ponere. Idcirco in Codice Iuris Canonici Liber Quartus inscribitur *De Processibus*, et Pars I *De Iudiciis*, id est, processibus iudicialibus, licet in prioribus quinque titulis non agatur de actibus aut solemnitatibus processualibus, sed de eorum *materia* (quae sunt *actiones*) et *subiecto activo* ac *passivo* (quae sunt *Tribunalia et Partes*).

5. *R.* II. Processus dividitur in *iudicialem* et *extraiudicialem* vel, melius, *non iudicialem;* prout in eo forma seu normae iudiciales servantur vel secus. Forsitan melius adhuc diceretur quod processus est vel *a*) *iudicialis*, qui in iudiciis servatur; vel *b*) *ultraiudicialis*, qui in causis Sanctorum adhibetur; vel *c*) *administrativus* sive *gubernativus*, qui in ceteris negotiis locum habet. In quo consistat forma quae processum iudicialem seu *iudicium* distinguit ab aliis processibus vide infra **n. 23.** Sed iam aliquid apparet ex Q. immediate sequenti, in quo ex divisione Iuris Processualis confirmatur et exponitur ultima divisio processus nunc nunc indicata.

6. Q. IV. *Divisio et ordo Libri Quarti Codicis Iur. Can., seu totius Iuris Processualis Ecclesiastici.*

R. Integer Liber dividitur in tres Partes, hoc ordine distributas:

Pars Prima continet leges seu regulas *De Iudiciis*, id est, de modis quibus lites inter homines ob eorum *iura privata* disputata, vel controversiae ob delicta circa *bonum publicum* Ecclesiae, in contradictorio disceptantur et efficaciter dirimuntur iuxta quasdam rigidiores publici iuris normas quae dicuntur *iudiciales*.

(1) *De Iudiciis ecclesiasticis*, Vol. I, Prooem., § 3.

Pars Secunda praebet leges *De causis beatificationis Servorum Dei, et canonizationis Beatorum*, id est, de modo disceptandi et resolvendi in contradictorio ad instar iudicii, sed ad normas longe rigidiores, quaestiones bonum publicum Ecclesiae spectantes *super quadam specialissima materia*, scilicet, super virtutibus et miraculis heroum christianorum, in ordine ad cultum religiosum eis praestandum.

Pars Tertia exhibet regulas *De modo procedendi in nonnullis excipiendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis;* nimirum, illis negotiis ob quorum gravitatem et aliqualem saltem cum iustitia aut aequitate connexionem bonum publicum exigit ut expediantur ad normas quadantenus imitantes eas iudiciales: ad quod genus spectant *amotio parochorum*, *inflictio* suspensionis *ex informata conscientia, etc.*

PARS PRIMA

DE IUDICIIS

Expositio Rubricae.

Q. I. *Ratio*, 1) *inscriptionis;* 2) *ordinis;* 3) *praenotionum hic adiectarum circa a) iudicium in genere, b) originem et evolutionem iudicii ecclesiastici.*

R. I. *Pars Prima* inscribitur *De Iudiciis*, tum quia iu- 7.
dicia ecclesiastica sunt quoad formam varia, et de *omnibus* tractatur in hac Parte, exceptis illis quae in more sunt in causis spectantibus ad tribunal S. Officii (cfr. c. 1555), tum quia in ea de *solis* processibus iudicialibus sermo est.

R. II. Quia leges iudiciariae sunt perfectiores, et cete- 8.
rarum legum processualium prototypus, ideo in primis a Legislatore proponuntur normae in iudiciis servandae.

R. III. Nos autem, quia cognitio *iudicii ecclesiastici* 9.
subaudit aliqualem notitiam *iudicii forensis* in genere, eam, licet breviter, praemittimus. Et, cum iudicium ecclesiasticum sit quoddam *institutum iuridicum* in Ecclesia, antequam aggrediamur commentationem canonum circa illius naturam et hodiernum usum, praelibabimus aliquid circa ipsius *evolutionem historicam*, id est, *illius initium, mutationes ac vices;* ut, vel a limine nostri operis, morem lubentissime geramus Pontificio Decreto quod hoc praecipit his verbis: Professores Textus

Canonici *antequam dicere de aliquo instituto iuridico aggrediantur, apte exponant qui eius fuerint ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, mutationes ac vices* (1). Itaque,

Q. II. *Iudicii acceptiones: quaenam* 1) *propria*, 2) *heic usualis.*

10. *R.* I. Vox *iudicium* quamplures habuit hactenus significationes in iure; quarum utiliores pro intellectu iuris veteris iuvat hic referre. Sumpta est 1° *pro discretione* vel *usu rationis* (2); 2° *pro actione*, id est, iure persequendi aliquid in iudicio (3); 3° *pro potestate iudicandi* (4); 4° *pro sententia* seu decisione iudiciali (5); 5° *pro iudicio forensi* (6); et tunc, sive pro actu principali, scilicet, pro *actu iudicis in quantum iudex est*, seu pro definitione iuris facta ab eo tanquam persona publica, praeposita iustitiae administrandae inter *partes*, id est, personas sive physicas sive morales inter se contendentes quae *actor* et *reus* dicuntur, sive *pro complexu vel serie actuum iudicis, actoris, rei et aliorum in ordine ad administrationem iustitiae in foro seu loco publico ad hoc destinato, et cum publico effectu.*

11. *R.* II. Significatio *propria*, et ex se prima ac praecipua, est ea postrema, videlicet pro *iudicio forensi*, et quidem in primo sensu, seu pro *actu iudicis*, docente S. Thoma, l. c.: « Iudicium proprie nominat actum iudicis in quantum iudex est. Iudex autem dicitur quasi ius dicens, hoc autem est obiectum iustitiae, ut supra dictum est. Et ideo iudicium importat, secundum primam nominis impositionem, definitionem et determinationem iusti seu iuris ». Nihilominus alia est heic significatio *usualis;* nam sumitur pro iudicio forensi quidem, sed in altero sensu, id est, pro *complexu actuum iudicialium et solemnitatum* quae infra describuntur.

Q. III. *Iudicii forensis notio*, 1) *etymologica;* 2) *realis;* 3) *qualiter exhibita, tum ea tum quaelibet notio iuridica.*

12. *R.* I. Iuxta sententiam D. Thomae, nunc nunc allatam, nomen *iudicii forensis*, cum secundum primam impositionem importet *definitionem et determinationem iusti seu iuris*, venit a *iudice*, cuius actus proprius, quatenus iudicis, est *ius dicere seu definire*, in summa, *ferre iudicium.*

(1) S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die 7 Aug. 1917. — Cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. IX, pag. 439.

(2) C. 4 *De sepult.*, in VI°.

(3) C. 2, *Dist.* 59.

(4) Cc. 4, 14, X, *De appellat.*, II, 28.

(5) Glossa in c. 10 *De verb. signif.*: D. Thom. 2ª 2ae, q. 60, a. 1.

(6) C. 2, X, *De Iudiciis*, II, 1; c. 20, X, *De verborum significatione*, V, 40.

R. II. Notio *realis*, generalis quidem, sed sufficiens et, aliunde, necessaria pro intelligentia iudicii ecclesiastici, seu canonum Libri Quarti, hauritur ex sequenti definitione, vel potius descriptione; completur autem ex brevi expositione elementorum essentialium quae indicare curabimus, et ex paucis aliis summatim addendis. 13.

R. III. Diximus: *potius descriptione* vel ad modum descriptionis; et idipsum subintellectum volumus in quavis notione iuridica quam in hoc opere exhibuerimus. « Cum enim vulgata sit regula Iuris, quod omnis definitio in iure sit periculosa (l. *Omnis definitio*, 202 ff. *de reg. iur.*), non est multum insistendum in definitionibus, quia sunt potius descriptiones seu notificationes a posteriore sumptae » (Pellegrini, *Praxis Vicariorum*, Pars. I, Sectio I, Subsect. III, 2). 14.

Quod si descriptiones inveniantur in Codice legum, ea tantum continent quae necessario et directe faciunt ad rem quam respiciunt. Hoc noverint qui, in scientia iuridica profani, reprehendunt plures rerum notiones in Codice I. C. exhibitas, quas ipsi ignoranter vocant definitiones; hoc usque prae oculis habeant ipsi canonistae, ut non nimis insistant notioni alicuius rei exhibitae in uno canone seorsim considerato.

Q. IV. *Iudicii forensis definitio.*

R. Describi potest: *Legitima controversiae apud iudicem competentem propositio, discussio et definitio.* Vel ampliori circuitu, indicando singula elementa: *Legitima series actuum et solemnitatum quibus controversia iuridica a partibus, seu actore et reo, coram iudice competente proponitur ac discutitur, atque ab ipso definitur per sententiam eis obligatoriam et coactivae exsecutioni obnoxiam, ordinis tuendi gratia.* 15.

Q. V. *Elementa iudicii forensis in genere.*

R. Quatuor distinguuntur *elementa constitutiva essentialia*, et proinde *necessaria* tum pro existentia tum pro cognitione iudicii forensis; quae quidem in eius descriptione apprime posita sunt, videlicet: 1) *obiectum*, sive *controversia iuridica;* 2) *subiectum passivum* (passivum respectu iudicii seu definitionis iuris, licet activum respectu contentionis vel controversiae), id est, *partes*, sive *personae contendentes;* 3) *subiectum activum*, seu *iudex* vel *tribunal;* 4) *forma legitima*, videlicet, actus et solemnitates in contentione et definitione servanda. 16.

Iis addi vel potius praemitti potest quintum elementum, non *constitutionis*, sed *cognitionis*, nimirum, *finis* vel *scopus*, id 17.

est, *tuitio ordinis*. Communiter postremum elementum, seu causa finalis non exprimitur in definitione; attamen omnes illud supponunt, saltem uti implicitum in obiecto seu elemento materiali, et rationem illius habent, utpote a quo cetera elementa mutuant indolem. Ob hanc rationem nos illud expressimus, atque illius naturam, antequam de ceteris loquamur, breviter innuimus, eo vel magis quod deinceps sermonem de eo apposite non instituimus in commentariis ad L. IV, praeter pauca nonnulla de iudicio criminali in Sectione II.

Q. VI. *Iudicii et singulorum eius elementorum synopsis seu conspectus generalis, et istius utilitas.*

18. *R.* Praedicta elementa singillatim, licet succincte et quoad generaliora, perpendere oportet et synthetice exhibere; quia eorum generica cognitio et propositio sunt necessario praeviae cognitioni iudicii ecclesiastici. En igitur iudicii forensis, in genere, et suorum elementorum *conspectum generalem*, cum summaria expositione:

19. *Elementum extrinsecum, seu finis.* — Est *tueri ordinem;* sive, *a*) *iuridicum*, videlicet, iura, tum privatorum, tum ipsius societatis, citra delictum laesa; sive, *b*) *socialem temporalem* vel societatis civilis, turbatum per delictum; sive, *c*) *ecclesiasticum, tum moralem tum socialem spiritualem* vel *supernaturalem delicto pariter turbatum.*

Ad ordinem *iuridicum* tuendum, tribuendo membris societatis aut ipsi societati media efficacia apta *reparationi iuris laesi*, instituta sunt iudicia *contentiosa; civilia* seu *saecularia* in societate civili, *ecclesiastica* in Ecclesia. *Socialis* ordinis tuendi gratia, id est, *ad reparandum damnum*, tum illud quod in re poenali dicitur *immediatum* seu specificum et *particulare*, et est diversum pro diversitate delicti ex quo oritur, (v. g. amissio famae si agatur de crimine diffamationis, subtractio pecuniae si agatur de furto, et sic de ceteris), sive illud quod dicitur *mediatum*, quod est *generale*, quia afficit societatem aut magnam partem membrorum, et in societate civili consistit in *intranquillitate animorum* ob timorem ne delictum, si maneat impunitum, iteretur aut imitetur, instituta sunt in societate civili iudicia *criminalia.*

Denique ad tuendum ordinem *ecclesiasticum*, seu *ad reparationem damni* sive *immediati*, (quod in societate ecclesiastica, quorum membra coadunata sunt ad finem supernaturalem sanctificationis singulorum, consistit in *macula morali*

animae delinquentis et in *malo temporali* aliis illato, reparatur vero per *emendationem* et *satisfactionem*), sive *mediati*, (quod in Ecclesia, ob eamdem rationem, consistit in *scandalo* vel spirituali ruina fidelium, et reparatur per *vindictam publicam*, id est, infligendo delinquenti publicas poenas, quae appellantur vindicativae [c. 2286 seq.]), instituta sunt iudicia *criminalia*, de quibus speciales normae habentur in c. 1933 seq.

His dictis, prosequamur expositionem quatuor elementorum iudicium *constituentium*.

1) *Obiectum*. Est *iustum* (seu quod iustum est) quatenus 20.
definiendum in iure, vel a tribunali; id est, aliquid quod quis ex *iustitia*, non ex caritate, petit declarari aut determinari a iudice contra aliquem. Ratione *individuationis* est triplex: *a*) *aliquod ius* (subiectivum) persequendum aut vindicandum; *b*) *aliquod factum iuridicum* declarandum; *c*) *delictum detegendum* et puniendum. Ratione *respectus ad cognitionem iudicialem*, aliud est obiectum *immediatum* scilicet, tum *actio* seu *ius persequendi propria iura in iudicio* (cf. n. 381 tit. de act.), v. g. iura proprietatis aut possessionis certi agri, tum ipsa *iura munita actione iudiciali;* aliud est *remotum*, scilicet, *res* circa quas iura versantur, ut, in exemplo allato, ager.

2) *Subiectum passivum*. Sunt *personae contendentes*. Statim 21.
ac iudicium instaurant, vocantur, simul sumptae, *partes;* separatim sumptae, *actor* (in criminali iudicio *accusator*) et *reus*. Possunt esse tum personae *physicae*, tum personae *morales*, sive duae sive plures. Valent coram iudice contendere sive per se sive per alios, videlicet, *procuratores*, et per alios adiuvari, hoc est per *advocatos*.

3) *Subiectum activum*. Est *iudex* vel *tribunal*. Iudex vero 22.
est persona, *a*) *publica*, id est, deputata ab auctoritate publica, seu a suprema auctoritate societatis perfectae; *b*) vel *physica* vel *moralis collegialis;* *c*) *cum potestate* et *munere iudiciariis*, id est, cognoscendi et definiendi controversiam ad normas iustitiae et in forma pro iudiciis praescripta, atque imponendi obligatorie et coactive suam determinationem; in quo differt ab *arbitro*.

4) *Forma legitima*. Est illud quod iudicium essentialiter 23.
distinguit ab aliis modis dirimendi aut finiendi lites; et duplex requiritur, et *intrinseca et extrinseca*. Forma *intrinseca*, *in genere*, consistit in hoc quod negotium cognoscatur, definiatur et exsecutioni mandetur *in contradictorio*. Forma *extrinseca*, pariter *in genere*, consistit in hoc quod serventur actus et solemnitates requisita et praescripta ab auctoritate publica suprema societatis

ad hoc ut aliqua forma procedendi censeatur in ea (societate) iudicium seu processus iudicialis.

Forma *intrinseca in specie*, expostulat ut *a*) unicuique parti petitiones, probationes, et allegationes alterius partis iudex ostendat ex integro, et copiam eas impugnandi praebeat; *b*) sententiam ipse pronuntiet iuxta allegata et probata, exprimendo, generatim, rationes decidendi; *c*) ut, regulariter, partes ipsi sententiae valeant *contradicere* per appellationem, vel aliud remedium iuridicum, quo sententia prioris iudicis revideatur et retormari possit ab alio, qui illius errorem aut iniustitiam corrigat. Forma *extrinseca in specie*, diversa exigit pro diversitate tum fori, id est, societatum, quarum supremae auctoritatis nomine iudicium celebratur, tum *iudicii*, prout istud sit vel *contentiosum* vel *criminale*. Forma *contentiosa* et forma *criminalis* non parum differunt, unaquaeque vero est, nunc temporis, quoad generalia, fere eadem ubilibet civilium gentium.

Q. VII. *Conspectus generalis formae iudicialis extrinsecae: utilitas et ratio practica. Actuum iudicii contentiosi divisio in stadia.*

24. *R.* I. Ad complendam magis ac magis ideam generalem iudicii forensis seu publici, ex praecedentibus notionibus deductam, iuvabit exhibere conspectum generalem elementi formalis extrinseci, quod antonomastice dicitur *forma* iudicialis, qua iudicialis processus discernitur a non iudiciali. In quem finem requiritur et sufficit actuum seriem, quorum ordo formam iudicii extrinsecam constituit, considerare divisam in quaedam *stadia*, probe inter se distincta, et in quae iidem actus diribentur. Heic exhibemus conspectum formae iudicii *contentiosi*, cui directe et principaliter alludunt canones Sectionis I. Conspectum generalem formae iudicii *criminalis* praebebimus in Sectione II, in expositione Tituli **De iudicio criminali** ad c. 1959.

25. *R.* II. Iudicium *contentiosum* dividitur in septem *stadia*, (cfr. cc. 1706-1932) videlicet:

1^um^ *stadium: causae introductio*, et *iudicii inchoatio;* quae constant ex actibus qui sequuntur: 1) oblatio libelli seu petitio actoris (c. 1706, sq.); 2) libelli admissio, vel, e contra, reiectio ex parte iudicis (c. 1709, sq.); 3) citatio rei (c. 1711, sq.).

2^um^ *stadium: litis contestatio* et *iudicii constitutio;* quarum actus sunt: *a*) simplex rei contradictio petitioni actoris, in causis parum implexis (c. 1727): aut *b*) *concordatio dubiorum*, si quaestio sit implexa (c. 1728).

3^um^ *stadium: processus instructio per probationes;* quae pos-

sunt fieri 1) per confessionem partium; 2) per testes: etc. (c. 1750, sq).

4^um^ *stadium*: *processus publicatio, et causae discussio;* quarum actus sunt: 1) actorum processualium ostensio utrique parti (c. 1859); 2) conclusio in causa (cc. 1860, 1861); 3) defensionum utriusque partis mutua communicatio (c. 1862, sq.); 4) informatio oralis (c. 1866).

5^um^ *stadium: controversiae definitio* quae 1) fit per pronuntiationem sententiae (cc. 1867-1877); 2) non excludit transactionem aut alium modum finiendi litem (cc. 1925-1932).

6^um^ *stadium: sententiae seu definitionis impugnatio;* quae fiunt per iuris remedia quae sequuntur: *a) querela nullitatis* in eadem instantia, seu coram eodem iudice (c. 1892, sq.); vel *b)* appellatio ad iudicem superiorem seu instantiae immediate superioris (cc. 1879-1991, et c. 1898, sq.). Porro series actuum quibus haec remedia exercentur, praecipue vero *appellatio*, cuius exercitium constituit *iudicium in secunda instantia*, continent actus *similes*, et distributos in stadia similia illis recensitis pro iudicio *in prima instantia*, seu prima vice instaurato. *Similes*, nam pro *oblatione libelli* stat *prosecutio appellationis*, et sic de aliis.

7^um^ *stadium: exsecutio sententiae* (c. 1917, sq.).

Q. VIII. *Iudicii forensis* 1) *necessitas*; 2) *origo;* 3) *actus a) ex iure naturali, b) ex iure humano.*

R. I. *Necessitas* patet. Nihil enim tranquillitati et pro- 26.
speritati sociali magis necessarium quam iustitia, dicente S. Scriptura: *iustitia et pax osculatae sunt* (1). Iustitia autem consistit in eo quod iura tum societatis tum singulorum sodalium, sive naturalia sive acquisita, a ceteris omnibus recognoscantur, et si, ob eorum obscuritatem negata fuerint, declarentur, si vero ob imperitiam vel malitiam fuerint laesa, efficaciter reparentur. Atqui iurium declaratio aut reparatio praestari nequeunt a privatis personis quibuslibet; non ab ipsis contendentibus, quia proprium eorum interesse, lumen rationis obnubilando, et rectitudinem voluntatis deflectendo, saepissime impedit eis quominus lites apte dirimant per pacta aut voluntarias transactiones; non ab aliis, quippe qui carent potestate coactiva ad imponendam decisionem; remanet ergo solus interventus publicae auctoritatis quae sua placita imponat.

Ast vero, ut impositio assequatur suum scopum, scilicet,

(1) *Psalm.* LXXXIV, 11.

tranquillitatem ordinis, non sufficit ut fiat per vim materialem, sed omnino requiritur ut fiat per vim moralem, et talem quae intellectum et voluntatem afficiat et veluti liget rationabilibus vinculis; sed huiusmodi vis non potest provenire nisi ex certitudine iustitiae splendentis in decisione data a publica auctoritate, quae certitudo non potest haberi regulariter nisi quando in controversiae cognitione et decisione servatae sint normae iustitiae, id est, quando observatum fuerit iudicium forense: unde sequitur iudicium forense esse necessarium.

27. *R.* II. Quoad *originem*, cum iudicia sint necessaria quatenus absque eis non providetur sufficienter incolumitati et redintegrationi iurium, ut dictum est, sequitur iudicia descendere aliquo modo ex iure naturae. Cuius rei etiam signum est quod omnes societates, hoc nomine dignae, habuerunt in moribus iudicia celebrare. Ast experientia docemur iudicia diversimode quoad plura fuisse celebrata et exerceri in diversis temporum, locorum, societatum et controversiarum adiunctis, et oculatus quisque perspicit hoc potuisse ita fieri quia nonnulli actus et solemnitates in iudicando sunt omnino necessarii, alii autem convenientes tantum ad effectus iudicii assequendos, scilicet, facta declaranda, iura defendenda, etc. Unde eruitur iudicia esse *iuris naturae* et quoad eorum celebrationem in aliquibus casibus, et quoad nonnullos actus; eadem vero esse *iuris humani* tantum in aliis casibus et quoad plures actus et solemnitates.

28. *R.* III. Ad iudicium autem pertinent ex *iure naturae* ut 1) iudex petitiones utriusque litigantis *audiat*, id est, perpendat et expediat; 2) si opera procuratorum pro eis adhibeatur, constet certe de mandato, aut vero aut praesumpto; 3) sive in initio sive in decursu iudicii determinetur sufficienter obiectum litis; 4) iudex probationes litigantium admittat et cribret, atque defensiones eis concedat; 5) sententia eisdem notificetur; 6) iisdem regulariter suppeditetur remedium impugnandi sententiam.

Ceteri actus, necnon solemnitates etiam praedictorum actuum iuris naturalis, quae omitti possunt salva eorum substantia, sunt *iuris humani*.

Q. IX. *Suprema necessaria iudicii forensis divisio in civile et ecclesiasticum; differentiae inter utrumque.*

29. *R.* I. Ex eo quod duae sunt publicae societates, non praecise materialiter, sed formaliter, et ideo specifice diversae ratione finis et mediorum, scilicet, *societas civilis et Ecclesia*, quae iudicia celebrant, prono alveo fluit duas esse species iudicio-

rum omnino diversas; seu iudicium forense dividi in duas species, unum *saeculare* vel *civile*, alterum *ecclesiasticum*. Illud est quod coram saeculari iudice, istud vero quod coram iudice ecclesiastico celebratur.

R. II. Haec iudicia non uno capite differunt inter se, 30.
quin potius ratione singulorum quinque elementorum ex quibus iudicium forense coalescit. Et hoc quidem perabunde patebit ex commentariis ad canones huius Libri, praecipue ad canonem primum, id est, 1552, et alios immediate sequentes, qui directe agunt de natura iudicii ecclesiastici; iuvat autem praedictas differentias iam indicare in genere, cum valde utile sit aliqualem notionem praehabere.

Itaque iudicium *civile* celebratur, *a*) coram iudice saecu- 31.
lari; *b*) circa res temporales, non autem circa res spirituales nisi ex concessione facta a supremo Capite Ecclesiae, cum iudex saecularis sit ex se incapax iurisdictionis propriae ecclesiae seu circa res spirituales, uni Ecclesiae commissas, et solum a Vicario Iesu Christi, et in aliquibus rebus tantum capax reddi possit; *c*) erga personas quatenus cives, id est, membra societatis civilis; *d*) ad tuendum iura, et quidem non omnia, prosperitati temporali ordinata; *e*) in forma ampliori, seu processu longiori.

Iudicium vero *ecclesiasticum* celebratur, *a*) coram iudice 32.
ecclesiastico; *b*) circa res spirituales, quandoque etiam circa res temporales, nam iudex ecclesiasticus, homo cum sit, non est incapax iurisdictionis civilis, sive in temporalia: *c*) erga personas uti fideles, id est, membra Ecclesiae; *d*) ad tuenda iura, et quidem, generaliter, omnia iuxta c. 1667, (nam Ecclesia nulli iuri denegat *actionem* seu tuitionem iudicialem nisi, ut plurimum, in poenam) ad salutem aeternam et sanctificationem animarum ordinata; *e*) in forma simpliciori seu processu breviori.

Quod iudicia *saecularia*, seu *institutum iuridicum iudicii forensis* extiterint semper penes societates civiles aliqualiter excultas, et quidem extiterint eo modo quem nunc nunc innuimus, nemo est qui dubitet: quoad *societatem ecclesiasticam* patebit in Q. sequenti.

Q. X. *Origo* et *evolutio historica iudiciorum ecclesiasticorum:* vel 1) *a quo tempore*, *et* 2) *quomodo celebrata fuerunt usque ad promulgationem Codicis.*

R. I. *Institutum iudiciorum* in Ecclesia congruit cum 33.
exordiis ipsius Ecclesiae, et in ea indesinenter perduravit, ut ex sequentibus demonstratur:

1) Iudicia exstitisse Apostolorum tempore constat in primis ex *Actibus Apostolorum* cap. v, vers. 7, et seq., ubi clare describitur exercitium potestatis iudicialis per Sanctum Petrum contra coniuges Ananiam et Saphiram uti defraudatores (1). Deinde ex hoc quod S. Paulus Timotheum docet formam iudicii ab Episcopo servandam contra Presbyterum (2).

Item, ipse Apostolus poena coercuit tum Hymenaeum et Alexandrum uti haereticos (3) tum Corinthium quemdam tamquam incestuosum (4); exercitium autem potestatis coercitivae subaudit praevios actus iudiciales.

2) Quod epocha Apostolorum suppari, scilicet secundo Ecclesiae saeculo, iudicia fuerint in praxi, testis est Tertullianus (5). De eadem praxi in saeculis tertio et quarto testatur S. Cyprianus qui initio istius floruit (6). Ad saeculum tertium pertinent canon IV Concilii Tarraconensis vetans iudicia ab Episcopo celebrari die dominica, et can. X praescribens ut iudicia sint gratuita. Omittimus *Canones Apostolicos*, sic dictos, 66 et 67, eodem saeculo exaratos, qui licet apocryphi, id est, non Apostolici, probant nihilominus iudiciorum praxim.

Ex saeculis III et IV habemus plures sententias stricte iudiciales.

Denique, infra demonstrabimus potestatem Ecclesiae iudi-

(1) Haec nota cum Bouix: In punitione Ananiae, quippe in flagranti deprehensi, vix forma iudicii apparet; bene vero in processu contra Saphiram, qui ita se habuit: *Et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit* (ecce exhibitio coram iudice). *Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis?* (ecce *constitutio rei,* seu interrogatorium). *At illa dixit: Etiam tanti* (ecce declaratio *rei*). *Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?* (ecce accusationem). Processus enim erat ex illis qui dicuntur fieri *ex officio,* nempe motu proprio iudicis. Quia Saphira tacet, dum loqui tenetur, declarat se confessam et convictam: proinde Princeps Apostolorum iudicium terminat, dicens: *Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, et afferent te* (en sententiam). *Confestim cecidit ante pedes eius et expiravit* (ecce exsecutionem sententiae). Deus ipse fuit exsecutor primae sententiae a Principe Apostolorum prolatae: tantum abest ut praxis iudiciorum repugnet Ecclesiae!

(2) I *ad Timoth.* v, 10.

(3) *Ibid.*, I, 20 et II, IV, 5.

(4) I *ad Corinth.* v.

(5) *Apologet.*, c. 39, pag. 31, ed. Par. 1675. « Coimus in coetum ... et iudicatur magno cum pondere... summumque futuri praeiudicium est. *si quis deliquerit, ut a communione orationis, et conventus et omnis sancti commercii relegetur.* »

(6) Ep. *ad Cornelium* apud Labaeum, tom. I, col. 716, ed. Venet. *Nam, cum statutum sit... ut uniuscuiusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum... oportet eos, quibus praesumus* non *nos circumversare, nec Episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam ubi et accusatorem habere, et testes sui criminis possint.* Habemus, igitur, accusatorem, reum, testes, tribunal competens a lege designatum: quid amplius opus est ad iudicium?

ciariam fuisse in usu hisce prioribus saeculis in rebus temporalibus; quanto magis in spiritualibus?

3) Porro iudiciorum ecclesiasticorum praxis saeculis sequentibus a nemine, nec quidem ab acatholicis, in dubium revocatur; qualis autem ea fuerit videbitur infra.

R. II. Ad *formam* et *evolutionem* iudiciorum quod attinet, 34.
distinguantur oportet diversa tempora, videlicet:

1) Initio forma fuit simplicissima, ad normas puri iuris naturalis exacta, ut apparet ex iudicio S. Petri supra descripto. Tempore Apostolorum tribunalia videntur fuisse *unipersonalia*, uti, ceteroquin, congruebat eorum missioni *personali*.

2) Ex testibus supra citatis, et pluribus aliis, coniicitur tribunalia, post Apostolorum tempora, fuisse crebrius *collegialia*, aut unipersonalia quidem sed functiones suas exercentia coram fidelibus congregatis, aut cum consilio seniorum seu presbyterorum. Iidem textus et plura acta Conciliaria coaeva et posteriora ostendunt ius romanum fuisse sat cito invectum in iudicia ecclesiastica; unde, etiam in criminalibus solemne fuit non procedere ad iudicandum quempiam nisi actore vel accusatore praesente, seu *per viam accusationis;* quod tamen non est ita intelligendum ut sacri Antistites non procederent *ex officio*, seu *per viam inquisitionis*, quoties animarum salus id postulasset, ut in Sectione II fusius explicabitur.

3) Systema autem iudiciarium iuris romani, ad tuenda iura mere temporalia concinnatum, non congruebat adamussim indoli et necessitatibus spiritualibus ordinis supernaturalis Ecclesiae; quae, proinde, ope ordinationum sacrorum Antistitum, et canonum Conciliorum, praecipue vero litterarum decretalium, quibus Romani Pontifices rescribebant ad consultationes Episcoporum et fidelium super ratione tuendi propria iura, aut eorumdem appellationes excipiebant et iudicabant, paulatim induxit methodum sibi propriam et longe perfectiorem, ut probat Devoti (1); quae firmitatem obtinuit iure Decretalium Gregorii IX (2).

(1) « Sane ius civile... saepe misera attenuataque diligentia, saepe inanitate verborum ac formularum, aut longa implexaque methodo, innumeras pepererat difficultates, laqueisque pene inextricabilibus litigantes irretiverat; cum Ius Canonicum sublatis scrupulosarum formularum conceptionibus, amputatisque tricis omnibus et ambagibus, et patefactis atque illustratis quae involuta obscuraque erant, iudiciorum methodum invexit aptam, concinnam, sobriam, cui nihil deesset, neque aliquod redundaret quod esset ad hominum usum communemque intelligentiam accommodatum ».

(2) *Institut. Can.* Lib. IV. *Dedicatio* Pio VI S. Pontifici.

4) Recentiori aetate, praecipue post Napoleonem I, Galliae Imperatorem, nationes civiles, eaedem ipsae quae processum iudiciarium canonicum imitatae fuerant utpote perfectiorem processu romanorum, systema unicuique earum proprium induxerunt, et eo perfectionis, saltem in contentiosis, perduxerunt, ut processus canonicus devenerit illis valde dissimilis et imperfectior; ob quam causam sacri Antistites saepe coacti sunt recurrere ad leges processuales patrias, tamquam suppletorias (1).

5) Huic malo studuerunt occurrere SS. Pontifices saeculi proxime elapsi, qui per se, vel per Sacras Congregationes Romanas, plures Instructiones ediderunt super hac re, eo tendentes ut forma iudiciorum evaderet simplicior simul ac accuratior et brevior (2). Qui finis peculiari conatu intentus fuit et feliciter obtentus occasione et ope codificationis universalis legum ecclesiasticarum a S. Pontifice Pio P. X initae, et a S. P. Benedicto XV ad finem perductae, ut videre est in subiectis canonibus iudiciariis quorum commentationem iam iam aggredimur.

Q. XI. *Notiones et animadversiones generales circa processus iudiciarios canonibus Codicis inductos.*

R. Nec pauca sunt nec minoris momenti, videlicet:

35. 1) Abolita est divisio in *iudicia solemnia seu plenaria*, et *iudicia summaria*. Legislator, praecidens solemnitates non omnino necessarias quae iudicia plenaria reddebant nimis complexa et duratura; restringens capita nullitatis processus ad tria, *ob defectum*, nempe, *a*) *citationis*, *b*) *personae legitimae* in procuratore, *c*) *competentiae* in iudice (quae quidem singula innituntur iuri naturali); nec non determinans vel explicans, potius quam praescribens, plures solemnitates quae in iudiciis summariis subaudiebantur, v. g. subscriptiones actoris, actuarii et testium, adnotationes diei, loci, nominis iudicis, et alias similes, quae, praesumebantur, potius quam relinquebantur supplendae a prudente iudice, viam mediam sapientissime incessit, quae utriusque viae extremae et incommoda fugit et commoda parat; et hoc pacto induxit *unam* iudicii communis formam, scilicet *iudicium ordinarium*. A c. 2145, § 1, arguitur quod vox *summarium* reservatur *processibus extraiudicialibus*, maxime illis de quibus sermo est in Parte Tertia.

(1) Cf. Decreta Rev.mi Nuntii Apostolici in Hisp., 4 Iun. et 30 Oct. an. 1881.
(2) Ut Instr. S. C. EE. et RR. 11 Iun. 1880.

Equidem sunt aliquae causae, regulariter *incidentales*, quae natura sua possunt, et voluntate legislatoris debent *expeditiori* aut *expeditissimo modo* tractari (cf. c. 1616); attamen, ut innuunt cc. 1840, § 3 et 1838, modus expeditior in eo tantum consistit quod **dilationum termini sint quam maxime breves**; nam **regulae, quoad eius fieri poterit, servandae sunt quae in iudiciis ordinariis obtinent.** Porro iudicia *ordinaria* dicuntur ea quorum normae praebentur in Sectione I *De iudiciis in genere*, quatenus differunt ab illis quibus normae *peculiares* praefiguntur in Sectione II.

2) Revocatae sunt leges, etiam particulares, iuxta quas nonnulla tribunalia v. g. regularium, et etiam dioecesana in causis disciplinaribus clericorum, adhibere poterant processum specialem oeconomicum (c. 1555, § 2).

3) Normae processuales, non ratione generica et veluti theoretica, sed modo specifico et practico tradita sunt, eo ut a tribunalibus universi orbis, et a iudicibus et administris in re iudiciaria adhuc non experientibus, valeant acta confici faciliter, et conficiantur uniformiter.

4) Instituta sunt, potius quam restituta, tribunalia S. Sedis ordinaria stricte iudiciaria, videlicet *Tribunal Sacrae Romanae Rotae* et *Tribunal Supremum Signaturae Apostolicae:* quae unice et ex professo incumbant administrationi iustitiae iuxta normas iudiciorum proprias, et per magistratus huius rei specialissime peritos (cc. 1597-1605). Haec tribunalia non modo conferunt mirifice ad administrationem iustitiae, sed ad rectam interpretationem Codicis, et proinde ad stabilitatem canonum ipsius, tum processualium tum ceterorum: quapropter, paulo post inceptam codificationem, S. P. Pius X eorum instaurationem molitus est, et non multo serius ad effectum perduxit.

Q. XII. *Divisio Primae Partis, et eius ratio.* 36.

R. Pars Prima dividitur in duas *Sectiones*. Harum *prior* continet canones *De iudiciis in genere*, id est, normas servandas quoad *ordinationem et competentiam tribunalium; personas in illis intervenientes; quaestiones ad ea deducendas; modum causarum tractandarum in omnibus iudiciis pro quibus Codex non tradit aut innuit normas speciales* (Cf. quoad hoc ultimum c. 1555, § 1). *Altera* agit: *De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis*, id est: *De modis evitandi iudicium contentiosum* per *transactionem aut per compromissum; De iudicio criminali*, et *De causis matrimonialibus.* — Divisio

quidem rationalis, cum cognitionis ordo id postulet ut separatim et prius agatur de aliqua re in genere, deinde de eadem in specie.

Utrique autem Sectioni praemittuntur, absque ullo titulo aut inscriptione, quatuor canones, fundamentales et praeliminares, quippe qui agunt *de natura iudicii ecclesiastici; de potestate iudiciaria Ecclesiae; et de solis normis iudicialibus posthac permissis.* Equidem antequam Legislator ecclesiasticus suas leges ederet circa ordinationem et competentiam suorum tribunalium, et cetera supra dicta, opus erat ut proponeret leges quibus Divinus Ecclesiae Fundator iudicia in ea celebranda praescripsit, potestatem iudiciariam eidem contulit, et limites inter potestatem ecclesiasticam et civilem definivit.

TITULUS PRAELIMINARIS (addititius) (1).

De Iudicio Ecclesiastico in genere, de iudiciaria Ecclesiae potestate, et de normis iudicialibus posthac utendis.

Expositio Textus.

Can. 1552. — *Iudicii ecclesiastici notio, obiectum in genere, et divisio ratione obiecti.*

37. Q. I. *Quid venit nomine iudicii ecclesiastici.*

R. Ex hoc canone § 1: **Nomine iudicii ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio.**

. . . **controversiae**: id est, actus quo inter se contendunt duae vel plures personae. Quae, semel ac in iudicio disceptant, appellantur *partes;* alia (vel aliae) *actor* (in iudicio criminali *accusator*); alia (vel aliae) *reus.*

. . . **in re**: intellige, 1) *iuridica*, quae, nimirum, sit vel *ius subiectivum* controversum, vel *factum iuridicum*, vel *ens iuridicum* (delictum); non autem re doctrinali, vel alia non respiciente iustitiam, ut infra magis patebit: (c. 1553); 2) sive

(1) Mente recolat lector *a*) titulos addititios, cum eorum rubricis, et rubricam exhibentem modo sive enuntiativo sive interrogativo materiam singulorum canonum esse a nobis apposita, non a legislatore; *b*) *omnia et sola* verba canonum *characteribus nigris* in hoc opere figurari. Quod *semel pro semper* monuisse sufficiat.

spirituali sive *temporali*, dummodo talis sit **de qua Ecclesia ius** habeat **cognoscendi** (cf. c. 1553); nam quod iudicium sit *ecclesiasticum*, vel secus, non dependet ab obiecto, sed a subiecto activo, seu *tribunali;* 3) ceteroquin, *re quacumque*, nam Ecclesia concedit *actionem* seu defensionem iudicialem *cuilibet iuri*, nisi in poenam, ut pluries, excipiatur expresse (cf. c. 1667).

. . . **ecclesiastico**: nimirum *a*) quod sit deputatum ab Ecclesia, et *b*) iudicet eius nomine. Quapropter non est tribunal ecclesiasticum si aut iudex sit quidem clericus sed iudicet nomine et vice potestatis saecularis, aut iudex sit laicus, et iudicet nomine potestatis saecularis in re spirituali ex facultate ab Ecclesia concessa; etenim ista concessio non est vera delegatio (1). — . . . **legitima**: id est, ad normam legis non modo divinae, verum etiam ecclesiasticae. — . . . **disceptatio**: hoc est, non quodvis controversiae examen, sed eius *cognitio in contradictorio;* quae importat mutuam *a*) petitionum, *b*) probationum et *c*) defensionum inter partes communicationem, non quidem directam sed per iudicem. — . . . **definitio**: videlicet, *resolutio*, quae finem controversiae efficaciter imponat; et proinde referat, non *sententiam doctrinalem* seu *opinionem* aut regulam directivam, sed *sententiam iuridicam* seu proprie talem, id est, quasi lĕgem quoad partes, iisdem *moraliter* obligatoriam, et *coactive* imponendam; in hoc differt resolutio data ab iudice ab ea data ab *arbitro*.

Corollarium. Ex praedictis deducitur notionem generalem 38.
iudicii datam a Codice, etsi non propriam et rigorosam definitionem (omnis definitio in iure periculosa, ut dictum est), esse descriptionem perfectam et pro usu practico sufficientem; quippe quae continet elementa iudicii pro praedicto usu necessaria, scilicet, *obiectum*, *subiectum passivum*, *subiectum activum et formam*. Quae elementa statim Codex, ab ipso paragrapho 2 huius canonis, incipit evolvere et ampliare. Itaque:

Q. II. *Iudicii ecclesiastici obiectum in genere, et divisio eius ratione obiecti*, etc.

R. I. Ex h. c., § 2: **Obiectum iudicii sunt:** 39.

1° Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta iuridica declaranda; et tunc iudicium est « contentiosum »;

2° Delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam; et tunc iudicium est « criminale ».

(1) Cavagnis, *Instit. Iuris Publ. Eccl.*, II, 79.

. . . **Personarum physicarum**: id est, *individuorum rationalis naturae;* quarum varietatem sub respectu iuridico et in ordine ad Ecclesiam et Ius Canonicum videsis in cc. 87-107. — . . . **moralium**: v. g. Ecclesiae, Seminaria, beneficia, etc. (cf. cc. 99-107). — . . . **iura**: *subiectiva*, seu in sensu facultatis moralis. — . . . **persequenda...**: Proprie loquendo, iura persequitur actor, vindicant autem tum actor, tum reus. — . . . **facta iuridica**: heic sunt *actus* vel *omissiones* vel *eventus*, quorum existentiam vel cessationem declarare per iudicem interest illius qui ad iudicium provocat vel provocatur, eo quod declaratio necessaria sit ad actionem instituendam vel ad opponendam exceptionem. Sic v. g., *absentia* est *factum iuridicum*, et proinde *obiectum* iudicii, si illius declaratio per iudicem intersit creditoris, qui ad compensandum debitum vellet mitti in possessionem bonorum debitoris.

. . . **contentiosum** dicitur iudicium quod ante Codificationem appellabatur *civile*, prout distinguebatur a iudicio *criminali:* unde haec denominatio (*civile*) restringetur deinceps ad significandum iudicium *saeculare*. — . . . **Delicta**: intellige, *publica* (c. 2197) quatenus probanda, et in sensu canonum 2195 et 2199, et proinde etiam quae hactenus vocabantur *quasi-delicta* quia non ex dolo sed ex culpa, aut negligentia oriuntur; non autem *peccata* simpliciter, aut *transgressiones*, aut *levitates* et *occasiones peccandi*, aut *crimina occulta* (cf. cc. 2147, 2168, 2176, 2182, 2307, 2308, 2312). — . . . **ad poenam**: proprie talem, et planum est, nam verba legis intelligenda sunt regulariter in sensu proprio; non ad *sanctiones poenales*, de quibus in Parte Tertia h. L., nec ad *poenitentias*, aut *remedia poenalia*, de quibus in L. V, Tit. X; et, proinde, quae causam praebent tribus praedictis non sunt obiectum iudicii, sed specialis processus de quo in citatis locis.

40. *R.* II. Ad *divisionem* seu *species* iudicii quod attinet;

1) Iudicium in genere, *a*) *ratione obiecti in genere*, dividitur, ut dictum est, in *contentiosum* et *criminale:* illud versatur circa iura persequenda aut vindicanda, vel circa facta iuridica declaranda; istud circa delicta detegenda in ordine ad poenam infligendam aut declarandam; *b*) *ratione formae* dividitur in *ordinarium*, in quo, nempe, servari debent canones iudiciarii Codicis, et *extraordinarium* seu *exceptum*, in quo servandae sunt normae extraordinariae, v. g. normae traditae a Tribunali S. Officii (c. 1555, § 1). *Ordinarium* vero subdividitur in *commune* et *speciale*, prout servari debeant *canones generales*, id est Sectionis I

huius Partis, respicientes materias generales, vel *canones speciales* respicientes quasdam peculiares materias, scilicet, cc. 654-667, spectantes dimissionem religiosorum, et cc. 1925-1998, spectantes materias ibi expressas.

2) *Iudicium contentiosum* dividitur, *ratione actionis*, in *petitorium* et *possessorium*, *reale* et *personale* etc. (cf. Tit. V, h. P. *De actionibus et exceptionibus*); item in *simplex* et *duplex*, prout actio talis sit quae vel requirat ut una pars actorem agat et alia reum, vel requirat ut utraque pars agat vices actoris et rei, ut contingit in iudiciis *de familia herciscunda*, de *communi dividundo*, de *finibus regundis*.

3) *Iudicium criminale* dividitur, *a*) ratione *effectus* vel *finis immediati*, in *condemnatorium* et *declaratorium* (h. c. § 2, 2°); illud celebratur ad *infligendam* poenam, sive *determinatam* in lege sive *indeterminatam* (cf. c. 2217, § 1); istud ad *declarandam* poenam, *determinatam* in lege vel praecepto; *b*) ratione *formae* in *accusatorium* et *mixtum*, ut explicabitur in c. 1933 sq.

Can. 1553. — *De potestate Ecclesiae iudiciaria, et de istius et iudicii ecclesiastici obiecto in specie.*

Q. I. *Huius canonis materia, et nexus cum praecedenti.* 41.

R. Postquam Legislator in can. praec. significavit quid intelligat nomine iudicii, et quaenam sint istius obiectum et species in genere, plures graves quaestiones ordinate et breviter resolvit in h. c., videlicet: *utrum iudicet revera* Ecclesia; *an iure; quo iure; circa quae* in specie, et *qualiter*. Quibus, iuxta laudatum praescriptum S. Cong., utiliter a nobis praemittitur quaestio: *de quibus hactenus iudicaverit?* Quapropter succedit:

Q. II. *De quibus hactenus Ecclesia iudicaverit*, seu, *quaenam sit evolutio historica competentiae iudiciariae Ecclesiae coram societate civili.* 42.

R. Quinque epochae convenienter distinguuntur, videlicet:

1) Ecclesia, *ab ipsius exordio*, et decursu fere quatuor priorum saeculorum, potestatem iudiciariam exercuit, et quidem *privative*, non modo *in spiritualibus*, ut supra ostensum est, verum etiam *circa res mere temporales*, ut, inter alias, patet ex eo quod Apostolus intimavit fidelibus ut in iudiciis quoque civilibus non adirent pagana tribunalia; quae quidem sola tunc aderant (1).

(1) Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos et non apud sanctos (I *ad Corinth.* VI). Iuxta hoc Apostoli praeceptum

2) *Pace Constantiniana Ecclesiae data*, et cessante, saltem in parte, necessitate adeundi tribunalia ecclesiastica in causis temporalibus, *istae*, si *inter laicos* disceptabantur, ad forum saeculare delatae fuerunt, nisi litigantes iudicium Episcoporum elegissent iuxta concessionem a Constantino factam, et ab Arcadio et Honorio confirmatam, eo tamen pacto ut a sententia Ecclesiae non liceret provocare ad tribunal saeculare; quam concessionem Valentinianus III ita coaretatam voluit aut declaravit, ut litigantes possent Episcopos arbitros eligere, non iudices. Si vero causae *inter clericos* vel *contra clericum* agitabantur, cognitae fuerunt ab Ecclesiae Praesulibus exclusive (1). Ad *causas spirituales* quod attinet, eas omnes Ecclesia iudicavit, et quidem *per se*, adeo ut, quando opus fuit, ad supremos Principes recurrit, quo iudices cogerent *a cura religiosa* abstinere (2).

3) *Romano Imperio per irruptionem barbarorum everso*, datae sunt iterum occasio et sufficiens ratio ut *causae temporales* ad forum Ecclesiae devolverentur, fidelibus, generaliter excultis, merito repugnantibus suas controversias subiicere iudicibus incultis et usque ad hesternum diem inimicis. Quam praxim libenter amplexati sunt ipsi barbari ad fidem catholicam geniti, populis et vel ipsis principibus sponte confugientibus sub quasi tutelam et educationem Sacrorum Ecclesiae Antistitum.

4) *Prout autem populi Europae christianae in dies excolebantur*, *causae temporales* ad saecularia tribunalia deferebantur; reservatis sibi ab Ecclesia illis tantum quae *spiritualibus* etiam *separabiliter adnexae* sunt vel *ratione religionis*, ex. gr., con-

Auctor Constit. Apost., 12., C. 45, vetat ne quis adeat iudicium gentilium, imo ne fideles patiantur ut saeculares magistratus de causis eorum iudicent (Devoti, *Instit.* L. III, t. I, § 14). Idem praeceptum uti Apostolicum agnoscit S. Augustinus qui in Psal. 118, Serm. 24, ait: « Maligni infirmos premunt, et causas suas ad nos ferre compellunt, quibus dicere non audemus: dic homo, quis me constituit iudicem aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus causis ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare christianos » Et de Opere monachorum, c. 29, dicit: « Mallem manibus aliquid operer... quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis saecularibus vel iudicando dirimendis, vel interveniendo praecidendis. Quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo sed eius qui per eum loquebatur arbitrio ». Ex quibus verbis non deducitur quod iudicium etiam de temporalibus pertinet ad Ecclesiam iure divino, sed illa probant tantum talia esse tunc temporis adiuncta ut christiani non possent iura sua experiri apud saecularia tribunalia, quin in divinam legem offenderent, quia, v. g. praebebant infidelibus occasionem scandali, Ecclesiae causam persequutionis, sibi ipsis periculum apostasiae; nam adigebantur iurare per *genium tutelare* Imperatoris regnantis, id est, per falsum deum.

(1) Devoti, *Inst. Can.* L. III., T. I, § 22; qui citat canones plurium Conciliorum.

(2) S. Hilarius *ad Constantium Augustum* apud Devoti, *l. c.*

tractus iuramento firmati, vel *ex motivo pietatis* seu misericordiae, ut puta, causae viduarum ceterarumque personarum miserabilium, vel *ob nexum ipsarum causarum*, v. g., quaestiones incidentales de dote, etc. Medio aevo progrediente, numerus causarum temporalium ab Ecclesia sibi reservatarum visus est nimius pluribus saecularibus principibus; qui, ideo, ausi sunt subditos prohibere quominus contractibus iuramentum apponerent (1); imo nonnulli aliis modis attentarunt competentiam Ecclesiae restringere. Attamen Ecclesia, et praxi et legibus constanter repetitis, ab ipso Concilio Tridentino, id est, sequente aevo iam ineunte, confirmatis, competentiam conservavit non modo in *res spirituales*, et in *temporales necessario cum iisdem connexas*, sed in *temporales separabiliter adnexas;* potestatem vero *in spiritualibus*, sibi propriam, *per se* generaliter exercuit.

5) « *Finito medio aevo, et reorganizata atque vigescente potestate civili*, Ecclesia sese retraxit ad ea quae *rigorose spiritualia* sunt, derelinquendo quae *devolutive* occupaverat, et ipsam *indirectam potestatem* (quae nimirum ei competit ratione peccati auferendi) raro et aegre exercet. Insuper in ipsa *materia spirituali* plures concessiones principibus elargitur » (2), veluti facultatem cognoscendi de causis contentiosis temporalibus clericorum et alias quae videri possunt in Concordatis cum diversis Nationibus. Attamen si Ecclesia, studio pacis, se exhibuit et exhibet liberalem in concedendo potestati civili *exercitio iuris* iudicandi in aliquibus rebus spiritualibus, in affirmando autem sibi *ipso iure* ostendit se inflexibilem, ita ut concessiones iis verbis exprimat quibus principia canonica salva maneant (3). Insuper falsa principia condemnare curavit (*Syllab.* prop. 31, 41).

Q. III. *Utrum, an iure, quo iure et qualiter Ecclesia utatur potestate iudiciaria.* 43.

R. Ecclesia *iudicat;* et quidem *iure; iure* autem *proprio;* quo utitur quandoque *exclusive*, quandoque *cumulative* cum potestate civili: Ita ad triplex prius quaesitum ex h. c.:

§ 1: **Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit:** . . .

. . . **cognoscit:** id est, iudicat ex praesenti disciplina, ut manifestum est, et semper iudicavit, prout supra est ostensum. Ex quo sequitur necessario Ecclesiam uti vero iure iudicandi, seu pollere potestate iudiciaria; non enim potest errare attri-

(1) Bened. XIV, *De Synodo Dioeces.* L. 9, cap. 9, n. 8.
(2) Cavagnis, *Instit. Iuris Pubbl. Eccl.*, Pars II, pag. 408, IV.
(3) Cfr. Wernz, *Ius Decretal.*, L. II, tit. XII, *De foro comp.*

buendo sibi iura quae gravissima essent tum singulis ab ea invite iudicatis, tum societati civili, cuius subditos ea iudicavit et iudicat. Sed haec potestas probatur insuper ex his quae hic subiiciuntur de eius iure proprio et exclusivo, et de obiecto iudicii ecclesiastici. Igitur, hoc uno verbo **cognoscit** canon satisfacit sufficienter duplici quaestioni: *utrum*, et *an iure Ecclesia iudicet*. Tertiae quaestioni, scilicet, *quo iure cognoscit*, satisfacit dicens: *iure proprio*.

... **iure proprio**: id est, non derivato ex concessione alicuius potestatis aut societatis humanae, sed *nativo*, scilicet competenti ei 1) *ex propria ipsius natura societatis perfectae* et independentis, et 2) ex *voluntate sui Divini Fundatoris* Iesu Christi. Quod Ecclesia sit *societas perfecta* independens patet ex hoc quod habet finem differentem et superiorem, utpote ordinis supernaturalis, respectu cuiusvis societatis civilis quantumvis perfectae. Inde autem sequitur eam habere necessario, et *proprio* iure *potestatem iudiciariam*, quae in societate perfecta est aeque essentialis ac *potestas legifera*, quam complet, iura et facta dubia controversa practice declarando, atque *potestas coactiva* cuius exercitium praeparat demonstrando eam rationabilem et proinde reddendo ipsam subditis acceptabilem. Quod autem eadem potestas competat Ecclesiae *iure proprio* derivante *ex voluntate Christi* constat *a*) ex facto historico, seu ex usu Ecclesiae, quae illa potestate non usa fuisset nisi Christus dedisset; *b*) ex auctoritate S. Scripturae, Matth. XVIII., 14, 18; I *ad Corinth.* v, 3, 12, 13; I *ad Timoth.* v, 19.

... **exclusivo**: intellige in nonnullis, seu in iudicio de causis sibi propriis, subinde immediate expressis; nam de aliis iudicat cumulative cum societate civili (h. c. § 2). Unde ad uberiorem claritatem proponimus et exponimus separatim duo sequentia quaesita.

44. Q. IV. *Quodnam sit obiectum proprium exclusivum iudicii ecclesiastici*, seu *de quibus causis iudicat Ecclesia iure proprio et exclusivo?*

R. Ex h. c., § 1: **Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit:**

1° De causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas;

2° De violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem;

3° De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes ad normam can. 120, 614, 680.

... De causis: id est controversis iuridicis. — **... res spirituales:** nimirum, intrinsece tales, ut vult canon 727, non illas de se temporales, quae, ob adnexionem aut specialem respectum ad rem spiritualem appellatae sunt *hactenus* spirituales a Doctoribus (1), sed, iuxta Codicem, h. c. et c. 727, dicendae sunt deinceps *temporales spiritualibus adnexae*. — Porro res dicuntur *spirituales* ob respectum ad vitam spiritualem, vel potius supernaturalem; possunt vero esse spirituales, *a*) *formaliter*, ut gratia, fides, ceteraeque virtutes, in quibus vita spiritualis ordinis supernaturalis consistit; vel *b*) *causaliter*, uti sacramenta; vel *c*) *significative*, ut sacramentalia; vel *d*) *effective*, ut consecratio, magisterium et iurisdictio ecclesiastica, indulgentiae, etc. Itaque, ex hoc capite ad Ecclesiam *privative* pertinet iudicare v. g. utrum liber aliquis sit condemnatus uti haeresim continens, utrum matrimonium vel quodlibet sacramentum sit validum, etc.

... spiritualibus adnexas: intellige, inseparabiliter, ut patebit ex dicendis ad § 2. Sunt autem res *de se temporales*, seu ordinis naturalis (c. 727) quae vel *vitam spiritualem supernaturalem fovent*, ut preces, ritus sacri, festa, ieiunia, etc.; vel sunt *effectus* alicuius rei spiritualis, veluti legitimitas natalium et ius coniugum ad cohabitandum, proveniunt ex matrimonio; vel *ad rem spiritualem ordinantur* tamquam media ad finem, ut beneficia ecclesiastica, ius patronatus, etc. Unde ex hoc capite *inseparabilis adnexionis ad spiritualia*, Ecclesia iudicat *exclusive* de causis circa praedictas res temporales et alias similes.

... ecclesiasticarum: ita ut cognoscat non solum quoad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem, sed *quoad omnia*, ut puta, quoad determinandum modum, quo, et non aliter, sit resarciendum damnum temporale ex violatione legis proveniens sive Ecclesiae sive alicui privatae personae. Huius ratio est quia Ecclesia iudicium de violatione suarum legum instituit iure non solum proprio, sed insuper *directo*, non devolutivo; unde sequitur eam posse illud protendere ad *omnes effectus*, etiam temporales ex violatione derivatos.

... deque omnibus: scilicet, *actibus* (vel *omissionibus*) etiam *circa res temporales*, a quavis persona commissis, etiam a pu-

(1) Schmalzgrueber, *I. E. U.*, tit. 1, L. II, n. 50; Bouix, *De Iudiciis*, I, p. 73.

blico magistratu saeculari, ex. gr., iudice in administratione iustitiae (1); ast vero prae oculis habeantur animadversiones quae infra ponuntur. — **... ratio peccati**; quae quidem potest inesse tripliciter (2), videlicet: quia actus aut omissio, vel 1) sunt *subiective peccata*, ob consciam et liberam violationem legis sive civilis iustae, sive naturalis, ut puta, si unus ex contrahentibus alteri intulerit gravem, sed infra medietatem valoris rei, laesionem, quam lex civilis non contemplatur; et tunc Ecclesia iudicat quia ad officium eius spectat *de quocumque peccato mortali corrigere quemlibet christianum, et, si correptionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere* (cap. 13, X, *De Iudiciis*); vel 2) sunt *materia peccati*, cuiusmodi esset sententia iudicis civilis *definitiva*, *obiective*, et *evidenter iniusta*, qua, proinde, victor in iudicio non posset frui in conscientia seu absque peccato; et tunc Ecclesia iudicat, eo quod ad ipsam pertinet auferre materiam peccati uti obicem aeternae animarum salutis; vel 3) sunt *occasio peccati*, veluti si iudex saecularis administrationem iustitiae neglexerit, detrectando audire implorantem auxilium eius, unde desperatio, odia vel alia peccata orirentur; et tunc Ecclesia iudicat, quia ipsa tenetur similes occasiones tollere.

Dixi autem sententiam, 1) *iniustam*, quia si iudex saecularis sententiam legitimam tulerit, Ecclesia, utpote habens ius tantum *indirectum*, non potest eam spernere ut aliam ipsa pronuntiet (3); 2) *definitivam*, nam iudex ecclesiasticus abstinere debet quamdiu iudex aut superior saecularis habeat altiorem se, qui valeat et velit acta ab eo corrigere; et, si superior aut iudex supremus erraverint vel neglexerint, servetur, ni fallor, c. 1557 § 1, 1°; 3) *obiective*, etenim, si sententia est iniusta in se, Ecclesia potest eam corrigere, licet iudex saecularis non peccaverit pronunciando; 4) *evidenter*, nam aliter iudex ecclesiasticus permittere debet parti victrici sententiam reputare uti iustam (4).

... ad culpae definitionem... Id est, cognoscit quoad *hos effectus tantum*, et quidem *in eum solum finem* ut culpa, vel materia aut occasio culpae seu peccati auferantur, quin determinet modum quo praedicta auferenda sunt, dummodo tamen ii quorum

(1) C. 10, X, *De Iudic.* II, 2; Cavagnis, *De Iure P. E.*, I., nn. 455, 456; Bouix, *De Iud.*, I, p. 90.

(2) Cavagnis, nn. 452-454.

(3) Id., n. 454.

(4) Id., n. 454.

interest valeant et velint illud determinare. Ratio est, quia in res mere temporales Ecclesia habet potestatem tantum *indirectam* et *suppletoriam*, vel *ratione peccati;* quapropter non exercet eam nisi *iure devolutivo* et *limitato*, id est, in defectu potestatis civilis, aut pro mensura necessitatis auferendi peccatum. — ...**privilegio fori...,** si in iudicio conveniantur ut rei, si enim ipsi ad iudicium provocent tamquam actores locum habet canon 1559, § 3. Ratio prioris partis est, quia cum nihil sit magis sacrum quam personae ad offerendum Deo sacrificium destinatae, clericorum et similium immunitas a foro saeculari est *fundamentaliter iuris divini* (1), et idcirco de causis contra illos motis nemo unus potest cognoscere nisi Ecclesia aut ille cui Ecclesia concesserit. *Fundamentaliter*, inquam, non *formaliter;* unde Ecclesiae licuit et licet ius cognoscendi concedere potestati civili. In quod notare iuvat potestatem civilem, dum concessione utitur, nomine suo cognoscere, non nomine Ecclesiae, ideoque iudicium saeculare facere, a quo non datur vera appellatio ad iudicium Ecclesiae, sed solummodo remedium supra indicatum pro casibus defectus administrationis iustitiae saecularis.

Q. V. *Potestas iudiciaria cumulativa cum potestate civili,* 1) *an spectet ad Ecclesiam;* 2) *in quibus causis;* 3) *quamdiu ab ea exerceri possit;* 4) *et quando eius exercitium excludat potestatem civilem.* 45.

R. Ex § 2. **In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni.**

Id est, Ecclesia, 1) in nonnullis causis habet potestatem iudiciariam quae in *actu primo*, idest *ante exercitium* cumulatur cum iudiciaria potestate civili, seu non excludit eam; 2) praedictam potestatem habet in causis quae dicuntur *mixti fori;* 3) valet eam exercere quamdiu causa non fuerit a iudice civili praeventa, sed non postea; 4) excludit potestatem civilem in *actu secundo*, seu *quoad exercitium*, quoties istud illa praevenerit. Praeventio autem, in re iudiciaria, fit per citationem legitime peractam et intimatam, aut per spontaneam praesentationem partium in iudicio; etenim his duobus modis causa fit propria illius iudicis aut tribunalis coram quo actio instituta est (c. 1725, 2°) per libelli oblationem aut per petitionem. Iam vero, quia cognitio cumulativa habetur tantum in causis mixti fori, et proinde oportet apprime scire quaenam sint, sequitur:

(1) Cavagnis, I, n. 124.

Q. VI. *Quaenam causae* 1) *dicuntur mixti fori; et* 2) *sunt* a) ***in genere***, b) ***in specie.***

46. *R.* I. Ex § 2. Dicuntur *mixti fori* illae causae **in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt.** Id est, illae causae respectu quarum, *a*) utraque societas, ecclesiastica et civilis, cognoscendi capax sit: *b*) potestas cognoscendi sit utrique societati tributa aliqua lege; haec enim duo requiruntur ad habendam competentiam, saltem in actu primo.

47. *R.* II. *In genere*, sunt causae *mixti fori* omnes et solae causae quae, 1) versantur *circa rem de se temporalem* habentem *elementum spirituale separabile*, vel aliquem *specialem respectum ad spiritualem*, pariter *separabilem* a respectu temporali et 2) coarctantur ad *temporale elementum* vel *respectum* (1). Etenim in his adiunctis potestas civilis est competens, quia vi legis iuridico-naturalis, qua ipsi tributum est consulere prosperitati temporali civium, valet iudicare de omni re temporali non adnexa inseparabiliter rei spirituali seu ordinis supernaturalis; Ecclesia autem, cum sit competens in *principale*, scilicet, in spirituale elementum vel respectum est etiam necessario competens in *accessorium*, videlicet, in rem temporalem, nam ex reg. 4 iur. in VI, *accessorium naturam sequi congruit principalis*, quando nihil repugnat; Ecclesiae autem non repugnat nec potestas iudiciaria circa temporalia, nec eius exercitium, dicente Apostolo: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus, quanto magis saecularia?* (I *Corinth.* VI, 1).

48. *R.* III. *In specie*, sunt *mixti fori* sequentes causae: 1) circa valorem actus vel contractus iuramento firmati, exclusa qualibet cognitione de valore iuramenti; 2) super restitutione dotis post divortium quoad habitationem; exclusa similiter cognitione de ipso divortio; 3) circa fructus beneficiales, exclusa omni cognitione quoad beneficium, seu ius percipiendi fructus eius; 4) de successionibus filiorum in quibusdam iuribus nobilitatis, citra cognitionem super legitimitate natalium; 5) circa *nudum factum* spirituale, v. g. an quis baptizatus fuerit, dummodo *a*) non involvatur quaestio de valore actus, et causa tractetur in ordine ad effectus temporales, v. g., ius hereditatis, non ad effectus spirituales, ex. gr., capacitatem ad recipiendos sacros ordines, nec *b*) agatur de facto possessionis alicuius iuris spiritualis, v. g., iuris patronatus, vel iuris temporalis dependentis a titulo spirituali; 6) de spolio, seu actione recuperandae

1) Cavagnis, I, 269, sq.

possessionis, miserabilium personarum, id est, pupillorum, orphanorum, etsi divitum: 7) de spolio aut etiam de proprietate miserabilium personarum, pauperum; 8) de quibuscumque causis in casibus iustitiae a potestate civili neglectae aut evidenter sed definitive male administratae (1).

Can. 1554. — Q. *Causae mixti fori,* 1) *quando permittuntur?* 2) *quandonam vero et sub quibus poenis vetantur deferri ad forum saeculare?*

R. I. Deferri possunt quoties a tribunali ecclesiastico non fuerint iudicatae, et neque ad illud deductae; cuilibet enim licet ius suum experiri apud tribunal ex lege ecclesiastica vere competens. 49.

R. II. Vetantur autem deferri quoties ad tribunal ecclesiasticum iam fuerint deductae, nam actor plectitur hoc canone, videlicet: 50.

Actor, qui causas mixti fori ad iudicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert, congruis poenis puniri potest ad normam can. 2222 et privatur iure contra eandem personam de eadem re et de connexis causam agendi in foro ecclesiastico.

Actor: plectitur ipse non reus, quia ille vere causam defert, non iste, qui invitus ad tribunal trahitur. — **... deductas:** seu introductas, ni fallor, non mere *inchoative* seu per simplicem oblationem libelli, sed *effective*, ita, scilicet, ut iudex libellum acceptaverit, et, vi acceptationis, citationem decreverit et intimari fecerit; nam hoc solum pacto **causa fit propria illius** (c. 1725, 2°), et ex tunc proinde fit Ecclesiae iniuria si transferatur ad tribunal saeculare. — **... potest ad normam c. 2222, § 1,** scilicet, **si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat. — ... privatur:** *ipso facto*, etiam nullo dato scandalo, et quaevis sit transgressionis **gravitas:** sufficit iniuria Ecclesiae facta, nam, ex reg. iur. 33 in VI°, *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*

Can. 1555. — Q. *Normae iudiciariae Codicis I. Can., seu leges processuales Primae Partis Libri Quarti,* 1) *quaenam tribunalia non afficiant, et in quibus causis;* 2) *quaenam tribunalia respiciant et in quibus causis;* 3) *qualiter servandae sint in tribunalibus et causis pro dimissione religiosorum.*

(1) Cfr. **Cavagnis,** *I. I. P. E.*, I, nn. 425-430; II, nn. 450-465.

51. *R.* I. Non afficiunt **Tribunal Congregationis S. Officii** in suis causis, nec **etiam inferiora tribunalia, in causis quae ad S. Officii tribunal spectant.** Ita ex h. c., videlicet:

§ 1. **Tribunal Congregationis S. Officii suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet; et etiam inferiora tribunalia, in causis quae ad S. Officii tribunal spectant, normas ab eodem traditas sequantur oportet.**

Tribunal Congreg. S. Officii; quippe cui ipse S. Pontifex praecst (c. 247, § 1), qui nulla lege ecclesiastica ligatur. Quaenam causae ad illud spectent, et in quo gradu iudicet de eis, sic declarat c. 247, § 2: **Iudicat de iis delictis quae sibimet secundum propriam eiusdem legem reservantur, cum potestate has criminales causas videndi non solum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia, si directe ad ipsam (Congr. S. O.) delatae fuerint.** Dicit **Ordinarii loci,** quia Religiosorum **Superioribus quibuslibet** (etiam ipsis Moderatoribus Generalibus) **districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant** (c. 501, § 2. — ... **inferiora tribunalia**; scilicet Ordinariorum loci, aut forte delegata, non tribunal appellationis S. R. Rotae, quod, ex c. 247 § 2, non iudicat de his causis. — ... **traditas**; hucusque, v. g. Instructio 20 Febr. 1867 in exsecutionem Constitutionis Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae;* Instruct. 6 Aug. 1899 super diligentiis in causis *de sollicitationis crimine peragendis*, etc.; vel in posterum tradendis.

52. *R.* II. Respiciunt omnia tribunalia. Ita ex § 2: **Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur.**

Cetera; id est omnia praeter tribunal Congregationis S. Officii; quamvis usque ad promulgationem Codicis debuerint aut potuerint observare normas particulares, ut, ex gr. illas contentas *a*) in *Instructione* S. C. EE. et RR. pro causis criminalibus clericorum 11 Iun. 1880, in qua facultas fiebat Episcopis ut procederent oeconomice; aut *b*) in *Corpore Iuris*, c. 8, X, *De statu monachorum*, III, 35; cc. 24, 26, X, *De accusat., etc.*, V, 1; c. 32, X, *De simon.*, V, 3, etc.; ubi praecipitur vel permittitur ut erga regulares procedatur *summarie*, id est, *simpliciter et de plano et sine strepitu et figura iudicii*, ut exponitur c. 2, *De verborum signif.* V, in Clement. Huiusmodi normae, inquam, abrogatae manent. Hinc in Sectione I traduntur normae pro tribunalibus religiosorum in can. 1563, 1579, 1581, 1589, 1594, 1621, 1652, 1653, 1657, 1658. Item dicitur in Decretis *De clericis e militia*

redeuntibus S. C. Consistorialis 25 Octobris 1918, cap. VII, quod inscribitur: *De clericis in sacris, saecularibus et regularibus...*: « Ordinarii... non omittant in singulis casibus iuxta criminum naturam procedere, prout in Libro Quinto Codicis praescribitur... ».

Quid autem si aliqua Religio habeat, non legem particularem, sed verum privilegium quoad procedendum contra suos religiosos? Videtur distinguendum esse utrum privilegium consistat in hoc quod Religio *a*) sit exempta a iuris ordine, vel apicibus aut rimulis iuris servandis; an vero *b*) sit libera ab observando quolibet processu; an *c*) servare possit et debeat determinatum processum a S. Sede vel ipsa Religione praefixum.

In primo casu privilegium non habet locum, quia exemptio a servando iuris ordine, vel *ordine iudiciario*, importabat quidem exemptionem ab observatione *iudicii ordinarii* seu sollemnis (ita passim vocatur in iure ordo iudiciarius, v. g. In Clem. *Saepe*), *cum talibus* (sollemnitatibus, strepitu, ambagibus) *non deceat Dei servos involvi* (c. 26, X, *De accusat, etc.*, II, 1); non autem ab observatione processus *summarii* ex iure communi, cuius actus apposite descripti fuerunt in Clem. *Saepe*, ut omnes scirent quid significaretur cum S. Sedes committeret aut permitteret ut procederetur *summarie*, *simpliciter* aut *de plano*, aut *sine strepitu et figura iudicii*. Iam vero vetus iudicium ordinarium, vel sollemne, vel plenarium, suppressum est a Codice; iudicium autem summarium, pariter vetus, substitutum fuit, in Sectione I huius Libri, iudicio summario, id est, brevi, sed quod deinceps erit *ordinarium*, et cuius normae in h. c. § 2, praecipiuntur servari ab omnibus tribunalibus: ergo ea Religio, quae non erat exempta a servandis normis iudicii summarii iuris veteris, nec quidem eximitur a servandis iisdem normis relatis in Codice sub forma iudicii ordinarii. Quod autem normae Codicis referant iudicium summarium iuris veteris, patebit cuilibet volenti easdem conferre cum c. 2, *De verb. sig.* V, 11, in Clem.

In aliis duobus casibus privilegium viget, vi can. 4; ita tamen ut, 1) excipiatur *certo* ea pars, si quae forte privilegio contineatur, indulgens Religioni clericali exemptae ut dimissionem religiosorum decernat nullo servato processu, scilicet iudiciali, quia ea pars maneret expresse abrogata canone 654; *probabiliter vero*, imo *probabilius*, ni fallimur, etiam pars, si forte privilegio contineatur, indulgens eidem Religioni ut ad dimissionem religiosorum procedat iuxta normas iudiciales sibi proprias, nam can. 655, sq. referunt ius immediate vigens ante

Codicem, praecipue praescripta Decreti S. C. De Religiosis, 16 Maii 1911; quod ius ita saltem practice interpretatum fuit ut excluderet quodlibet privilegium; 2) adhibeatur tribunal trium iudicum si agatur de infligenda aut declaranda excommunicatione (can. 1576, § 1, 1°,), quinque vero iudicum si agatur de delictis et causis de quibus in eodem c. § 1, 2°; nam in huiusmodi casibus nullum suffragatur privilegium (c. 1576, § 1).

Attamen animadvertere oportet haec quae sequuntur: 1) Apostolicum documentum accurato examini subiiciatur, quo manifeste appareat utrum sit vere privilegium, an solummodo lex particularis; in casu autem dubii censendum est lex particularis, utpote res minus odiosa; 2) Privilegium ex eo dignoscitur, quod gratiam alicui vel aliquibus concedit, et absque praeiudicio iuris aliorum, nisi hoc postremum requisitum excludat expresse privilegii auctor, si, ut Summus Pontifex, hoc iure polleat; etenim, ut docet Glossa (1), « Papa sic indulget privilegium ut non laedat sive impediat iustitiam aliorum. » 3) Privilegium quo Religio aliqua sit exempta a servando quovis processu in poenis canonicis contra suos subditos decernendis, infligendis aut declarandis, vel, quod in idem redit, teneatur dumtaxat servare processum ab ea libere constituendum, non potest concipi absque laesione sive diminutione iuris eorundem subditorum; quapropter, si documentum mentionem non faciat de diminutione, non est privilegium.

53. ... **debent**; in omnibus causis, minime exceptis illis quae veteri iure, cap. 2 Clem. *De iudiciis*, II, 1, cognoscendae erant de plano seu summarie, scilicet, causae super electionibus, postulationibus vel provisionibus, aut super dignitatibus, personalibus, officiis, miserabilium personarum, religiosorum etc.; quia ut dictum est, canones Libri Quarti referunt vetus iudicium summarium reformatum et in omnibus suis partibus perfectum.

R. III. Ex § 3. **In iudicio pro dimissione religiosorum serventur praescripta can. 654-668.**

Attamen, vi canonis 664, salvis praescriptis cc. 654-668, **instruatur processus, servatis praescriptis canonum in Parte Prima Libri Quarti, congrua congruis referendo.** Sic ex. gr.

1) In libello causae introductivo, promotor iustitiae, cuius est (c. 1955), et quidem unius (c. 1934), illum conficere et offerre, exprimat ad normam c. 1708, sed congrua congruis referendo (c. 664), *a*) *coram quo* iudice causa introducatur, id est, iudicis

(1) In c. 10, X, *De privilegiis*, V, 33.

nomen, officium, residentiam: *b*) *quid* petatur, id est, quaenam sint delicta quorum gratia iudicium dimissionis instauratur, et quomodo connectantur poenae dimissionis quae per promotorem petitur; *c*) *a quo* petatur, id est, rei seu accusati nomen, aetatem, officium etc.; *d*) *quo iure*, seu quibus argumentis v. g. scriptis, testibus, etc., a lege seu iure recognitis tamquam sufficientibus ad veritatem ostendendam, innitatur actor, nimirum, promotor, ad comprobandum ea quae allegantur et asseruntur ab immediato Superiore maiore transmittente (c. 663) omnia acta et documenta respicientia tum delicta, tum defectum emendationis, tum monitiones...

2) Si reus citatus opponat exceptionem incompetentiae, serventur praescripta c. 1610, sive circa tribunal quod de ea videre debet, sive quoad effectum decisionis, etc. Quod si excipiat contra unum vel alterum ex iudicibus, vel contra omnes, vel contra promotorem iustitiae, tamquam suspectos, consulantur canones 1614, 1616, quos commentare curabimus.

3) Si res ferat, exsequutioni mandentur, congrua congruis referendo, canones 1956, 1957, inspecto canone 1958.

SECTIO I.

De iudiciis in genere.

Expositio rubricae.

Q. I. *Rubricae seu inscriptionis significatio, et materiae ordo.* 54.

R. I. Ut supra dictum est, sub rubrica *De iudiciis in genere* continentur canones, quibus reguntur iudicia pro quibus Codex non statuit normas particulares.

R. II. Canones ordine logico sunt distributi in *septemdecim* Titulos, Tituli autem inter se ordinati et connexi iuxta *quatuor elementa* ex quibus supra dictum est omne iudicium coalescere, et quae sunt: 1) *subiectum activum iudicii*, seu *Tribunalia*, quoad eorum competentiam, diversitatem, ordinationem, disciplinam (Tit. I-III); 2) *subiectum passivum iudicii*, seu *partes in causa*, cum eorum auxiliaribus, advocatis et procuratoribus (Tit. IV); 3) *obiectum*, id est, *actiones et exceptiones* (Tit. V); 4) *forma iudicii*, seu tela iudiciaria (Tit. VI-XVII).

TITULUS I.

De foro competenti.

Expositio rubricae.

55. Q. I. *Ratio ordinis.*

R. Cum haec Sectio initium sumat a proponendis legibus quae respiciunt *subiectum activum iudicii* ecclesiastici, seu *Tribunalia*, et haec inter se discernantur maxime ratione *competentiae*, recte primus Titulus inscribitur *De foro competenti.* In eo autem inseruntur generaliora et convenienter praenoscenda super *interna Ecclesiae competentia* (nam de externa seu coram societate civili agit legislator in cc. 1553, 1554); quae ad tria reducuntur, videlicet: 1) quod unum Tribunal, hoc est, Sanctae Sedis, utpote *supremum*, omnes et omnia, etiam ipsa tribunalia, diiudicat, ipsum vero a nemine iudicatur (c. 1556); 2) quod eidem reservantur causae *maiores*, ita dictae, quia insigniores personas respiciunt vel res graviores (cc. 1556 et 1557, praeter alios infra citatos); 3) quod cetera Tribunalia competentiam sortiuntur aliquo ex modis in h. Titulo recensitis et non aliter.

Q. II. *Fori* 1) *notio; et* 2) *subiectum, seu quinam in Ecclesia habeant forum vel potestatem iudiciariam.*

56. *R.* I. *Forum*, ex primaria nominis impositione, significavit *locum publicum* ad quem res venales deferebantur; in re autem iudiciaria sumitur: *a*) pro *loco vel aula ubi iudicia exercentur; b*) pro *tribunali* vel *iudice* qui exercet potestatem iudicialem; *c*) pro *territorio* in quo iudex potestatem excercet; *d*) pro *ipsa potestate iudiciali.*

57. *R.* II. Plures sunt qui potestatem iudicandi habent: quos quidem heic in unum collectos recensere iuvabit, abstrahendo tamen ab eorum diversitate ratione, *a*) *obiecti* de quo possunt iudicare; et *b*) *personarum*, iudicio eorum subiectarum; *c*) *gradus* seu *instantiae* in qua valent iudicare; de quibus omnibus agitur inferius. Sunt autem:

1) Summus Pontifex, per se seu personaliter (c. 1556); 2) Sacr. Congr. S. Officii (c. 247); 3) S. C. Sacrorum Rituum (c. 253, 3); 4) Suprema Signatura Apostolica (c. 1602 ss.); 5) Sacra Romana Rota (c. 1597 ss.); 6) Metropolitae uti tales (c. 1594 ss.); 7) Episcopi dioecesani seu residentiales, sub quo nomine veniunt

quoque Archiepiscopi quoad suam dioecesim seu quatenus episcopi (c. 1572 ss.); 8) Vicarii Apostolici (c. 294); 9) Praefecti Apostolici (*ibid.*); 10) Administratores Apostolici permanenter constituti (c. 315); 11) Pro-vicarii Ap., Vicario deficiente, aut eius iurisditione impedita (c. 309, § 2); 12) Pro-praefecti Ap. in iisdem adiunctis (*ibid.*); 13) Abbates vel Praelati *nullius* (c. 323); 14) Officiales Episcoporum, licet hi eandem cum Episcopo habeant potestatem (c. 1573); 15) Vicarii Capitulares (c. 431, § 1 et c. 432, § 1); 16) Supremi Moderatores Religionum clericalium exemptarum (c. 501); 17) Supremi Monasticarum Congregationum Superiores pro causis appellationum ab Abbate locali (c. 1594, § 4), et in controversis inter duo Monasteria si per proprias Constitutiones liceat (c. 1579, § 2), aut ex peculiaribus decretis S. Sedis (c. 501, § 3); 18) Abbates locales, si monasterium sit sui iuris (c. 1579, § 1); 19) Superiores Provinciales religionum clericalium exemptarum, nisi aliud in constitutionibus caveatur (c. 1579, § 2); 20) Alii Superiores earundem religionum, si id propriis constitutionibus caveatur, ut puta Superiores locales in Ordine Praedicatorum (argumento eiusdem canonis ex verbis: **nisi aliud in constitutionibus caveatur**); 21) Capitula tum Generalia tum Provincialia earundem religionum ad normam constitutionum (c. 501); 22) Suprema Consilia Religionum clericalium exemptarum aut Monasticarum Congregationum in causis dimissionis religiosorum (c. 665); 23) Legatus S. Sedis quoad dirimendam competentiam inter tribunalia non habentia aliud superius in regione (c. 1612, § 2); 24) Omnes quibus heic recensiti iudices (exceptis iis n. 22) potestatem iudiciariam legitime delegaverint vi canonis 199; quorum autem delegata potestas intelligitur ad normam cc. 1606, 1607.

Q. III. *Quaenam sint*, 1) *competentiae notio et divisio:* 2) *incompetentiae notio et divisio:* 3) *incompetentiae absolutae capita.*

R. I. *Competentia, in genere*, est *limitatio vel mensura* 58.
iurisdictionis; seu ipsa *iurisdictio quatenus commensurata vel limitata ad certas causas* (1). In *specie*, est *iurisdictio qua iudex seu tribunal pollet circa controversiam sententia ipsius dirimendam.* Conceptus proprius competentiae et differentia eius a iurisdictione ex eo iam satis apparent quod nemo est qui, iurisdictionem habens, possit eam extendere ad quascumque causas, sive quaslibet res et personas. *Iurisdictio*, igitur, est iudicandi

(1) **Mattirolo**, *Istituzioni di Diritto Giudiziario Italiano.*

potestas abstracta a limitatione; *competentia* autem est iurisdictio quatenus limitata. — Competentia potest esse vel *absoluta*, necessaria et improrogabilis, quae, scilicet, imposita est directe ob bonum publicum, et sub poena nullitatis non potest prorogari voluntate partium aut iudicis; vel *relativa*, quadantenus voluntaria et paulisper ex se prorogabilis, quae praecipue inducta est in bonum privatorum, et partibus consentientibus, prorogari seu extendi potest (1) saltem valide (arg. cc. 1558, 1559).

59. *R.* II. *Incompetentia* nihil aliud est quam *defectus competentiae*, et proinde *defectus iurisdictionis seu potestatis iudicialis in iudice circa controversiam quae ipsius decisioni submittitur*. Dicitur *relativa* ea quae potest, saltem valide, *absoluta* vero quae non potest voluntate partium suppleri, quippe quae provenit ex principiis *iuris publici*, dum incompetentia *relativa* profluit ex lege tuente *iura privata*. Valde admodum interest cognoscere quando incompetentia est absoluta, utpote quae iudicium inficit et reddit nullum insanabiliter (c. 1892). Unde,

60. *R.* III. *Incompetentia absoluta* petitur ex quadruplici capite, videlicet: *a*) *ratione personae* iudicandae, et de hac incompetentia loquuntur canones 1556, 1557, §§ 1, 2; *b*) *ratione obiecti*, et habetur circa ea de quibus in cc. 247, 254, 257, 655, 1576, § 1, 1603; *c*) *ratione gradus* seu instantiae iudicii, et de ea fit sermo in cc. 1572, 1579, 1594, 1599; *d*) *ratione avocationis* causae ad S. Sedem, de qua in c. 1577, § 3.

Q. IV. *Fori competentis:* 1) *divisio et* 2) *multiplex sortiendi modus ac numerus.*

61. *R.* I. 1) *Forum* dividitur in *legale* seu *constitutionis*, quod a lege constitutum et determinatum est etiam pro causa pro qua agitur, et *conventionale* seu *prorogationis*, quod a lege quidem constitutum est (creatio enim tribunalium seu communicatio potestatis iudicandi nonnisi auctoritate legis fieri potest), sed voluntate partium determinatur (cf. c. 1565, § 2). — 2) Aliud est *commune* vel *generale* quod pro omnibus personis et causis non exceptis constitutum est, cuiusmodi sunt fora Tribunalis dioecesani, metropolitani, S. R. Rotae, et S. Signaturae Ap. Aliud *singulare* vel *speciale* quod constitutum est pro aliquibus personis, v. g. religiosis exemptis, vel nonnullis causis, ex. gr. forum Tribunalis S. Officii, cui exclusive demandatae sunt causae fidei. — 3) Dicitur *universale*, si potestas se extendit ad

(1) Card. Lega, *De Iud. Civ.*, Vol. I, n. 318.

universam Ecclesiam; aliter *particulare*. — 4) Appellatur *ordinarium* illud cui personae aut res subiiciuntur ex regula generali; *extraordinarium*, si eadem illi subiiciuntur per exceptionem, quale est, respectu religiosi exempti, forum dioecesanum quoad ea in quibus etiam religiosi exempti subduntur Ordinario loci. — 5) Vocatur *necessarium* illud quod ex praescripto legis (non autem praecise sub poena nullitatis) unice adiri debet (cf. c. 1560); nec admittit aliorum tororum concursum: *liberum* autem illud quod inter diversa eligi potest, qualia sunt fora de quibus cc. 1561-1566. — 6) Dicitur *absolutum* vel *competens absolute* illud cuius competentia est absoluta, *relativum* vel *competens relative*, illud cuius competentia est relativa (Cf. *R.* immediate praecedens). — 7) Forum *Apostolicum* seu *supremum* est forum S. Sedis; cetera fora sunt *inferiora*.

R. II. *Fori* et modi seu *tituli sortiendi forum in genere*, seu abstrahendo a gradu iudicii, sunt *sexdecim;* quos placet hic recensere, et quorum quatuor priores dant locum foro competenti *absolute*, ceteri foro competenti *relative*. Videlicet: 1) *forum Apostolicum primatiale*, titulo subiectionis immediatae generalis Romano Pontifici, ratione Primatus (cc. 1569, 1557, § 3); 2) *forum Ap., ex iure scripto*, ratione subiectionis immediatae specialis personae R. Pontificis, ob concessionem in Codice expressam (c. 1557, § 1); 3) *forum fidei*, ratione subiectionis Tribunali S. Officii (c. 247); 4) *forum Rotale*, titulo subiectionis Tribunalibus ordinariis S. Sedis (c. 1557, § 2); 5) *forum necessarium*, titulo necessitatis ex lege (c. 1560); 6) *forum domicilii* vel *quasi-domicilii* (c. 1561); 7) *forum peregrinationis in Urbe;* 8) *forum commorationis per annum in Urbe;* 9) *forum religiosorum*, seu titulo professionis religiosae; 11) *forum rei sitae;* 12) *forum contractus*; 13) *forum electionis inter contrahendum;* 14) *forum delicti;* 15) *forum connexionis* causarum; 16) *forum praeventionis* (licet iste titulus exclusivam fori praestat potius quam forum ipsum). **62.**

Expositio Textus.

Can. 1556. — *De immunitate Romani Pontificis a quolibet foro.*

Q. I. *Utrum Romanus Pontifex alicui foro seu tribunali subiiciatur.* **63.**

R. Negative, ex h. c. **Prima Sedes a nemine iudicatur.**

Prima Sedes: id est, Romanus Pontifex, prout ex rei natura (c. 7) apparet, non quidem Sacrae Congregationes, Tribunalia aut Officia S. Sedis, quorum membra a Summo Pontifice iudicantur per se vel per alium.

Ratio, et quidem evidens, cur S. Pontifex a nemine iudicatur est quia nemo potest iudicari ab aliquo, nisi subdatur ei coactive saltem quoad id de quo iudicatur; cum autem S. Pontifex, uti Vicarius D. N. Iesu Christi, qui est Rex regum et Dominus dominantium, et ei commisit et agnos et oves pascere (Ioan. XXI, 15), in nulla re ulli hominum coactive subdatur, consequens est quod nulli foro subiiciatur sed ab omni humano iudicio sit penitus immunis. Quod principium, et iuridicum et dogmaticum, nullam patitur exceptionem, ut planum est; accipit vero explicationem, et quidem sufficientem, quoad tres casus, qui contra illud obiici possunt, nimirum: si S. Pontifex *a*) deficeret a fide; *b*) deveniret moribus scandalosus; *c*) fuerit dubie electus. Primus casus reiicitur tamquam impossibilis, saltem si sermo sit de defectione Papae ut talis, stante supplicatione D. N. Iesu Christi pro Petro ne deficeret fides eius. In altero casu, qui certe est possibilis, S. Pontifex, licet peccator, maneret Ecclesiae caput et Vicarius Christi, et proinde nequiret iudicari ab hominibus, utpote illo inferioribus. In hypothesi electionis evidenter dubiae non existeret verus Papa, quapropter ille qui diceretur electus posset iudicari ab Ecclesia repraesentata per illos qui eum elegerunt; quod si electio fuerit dubie dubia, standum foret pro valore actus, id est, electionis, et proinde non posset ab ullo iudicari.

Can. 1557, 1558. — *De personis et causis diversimode sortientibus forum Apostolicum, seu Supremum pro prima instantia.*

Q. I. *Quaenam personae aut causae subiiciuntur* 1) *ex iure ecclesiastico, iudicio ipsius Romani Pontificis dumtaxat;* 2) *ex eodem iure, iudicio Tribunalium Ordinariorum S. Sedis; et* 3) *ex iure Primatiali, iudici designando a S. Pontifice*; 4) *Tribunali S. Officii.*

64. *R.* I. ex c. 1557, § 1. **Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi:**

1° Eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum;

2° Patres Cardinales;

3° Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares.

. . . **principatum**; intellige in societate monarchica Regem, aut Reginam vel similem aliam personam physicam quae regimini praesit; in societate democratica praesidem Reipublicae, vel similem personam, item physicam, quia hi potestatem revera supremam obtinent; non autem personas morales quae appellari solent Conventus Deputatorum et Senatorum, licet ipsis, vi polyticae constitutionis Regni vel Reipublicae, competat facultas legifera, nec eorumdem Conventuum membra, etiam Praesides, et, multo minus, Ministros legum executivos, aut quae dicuntur Consilia Ministrorum, aut eorum Praesides aut Primos Ministros. — . . . **filios ac filias.** Quid de supremorum principum coniugibus? Affirmative respondendum esse censeo; quia coniuges, cum sint una caro, aequa lance pensitari debent, nisi ex natura rei aliud appareat, et, insuper, ob eandem rationem convenientiae socialis qua filii aequiparantur parentibus h. c.

R. II. [ex eodem c., § 2. **Tribunalibus vero Sedis Apostolicae reservatur iudicare:** 65.

1° Episcopos residentiales in contentiosis, salvo praescripto can. 1572, § 2;

2° Dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti religiones exemptas, Congregationes monasticas, etc.

R. III. ex eodem c., § 3. **Alias causas quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium, videt iudex quem ipsemet Romanus Pontifex designaverit.** 66.

. . . **advocaverit**: ob ius et ad normam, de quibus in c. 1569.

R. IV. ex c. 247, § 2. **Iudicat de iis delictis quae sibimet secundum propriam eiusdem legem reservantur, cum potestate has criminales causas videndi non solum in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia, si directe ad ipsam delatae fuerint** (causae), id est, de delictis contra fidem. 67.

Q. II. *Qualis sit aliorum iudicum incompetentia in his causis.* 68.

R. ex c. 1558. **In causis de quibus in can. 1556, 1557, aliorum iudicum incompetentia est "absoluta".** Quae quidem nequit suppleri voluntate seu renuntiatione partium, neque in casibus de quibus agitur in c. 1557, § 1; nam invalide renuntiarent privilegio in bonum publicum illis concesso. (c. 72, § 3).

Can. 1559. — *De modis seu titulis legitimis ad competens forum inferius sortiendum in prima instantia.*

Q. l. Quibus titulis determinatur competens forum rei: et qualis est incompetentia iudicis, cui nullus ex illis suffragatur.

69. *R.* l. ex h. c., § 1. **Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram iudice ecclesiastico qui competens sit ob unum ex titulis qui in can. 1560-1568 determinantur.** Tituli, igitur, sunt illi qui in hoc paragrapho indicantur, et non alii.

... **in prima instantia**: seu in iudicio coram iudice vel tribunali primi seu inferioris gradus. — ... **conveniri**: id est, vocari in iudicium tamquam reus; nam qui alias vocantur non dicuntur conveniri, sed citari, moneri, certiores fieri, secundum casus.

... **potest** (nemo conveniri): certo certius, si invitus, vi iuris quod omnibus hic conceditur. Utrum si quis consentiat? Neque etiam, nam canon est prohibitivus, et non distinguit inter nolentes et volentes. Ergo hoc canone abolitum est forum prorogationis? Ita, ni fallor, ex regula generali. Haec regula confirmatur exceptione facta in can. 1565, § 2, in quo utrique contrahenti conceditur implicite ius prorogandi competentiam, nam conceditur ipsis facultas eligendi sibi iudicem, limitata tamen ad actum contractus; quae concessio, maxime vero limitatio illi adiecta, ostendunt quod in quibuslibet aliis casibus extra contractus, et etiam in contractibus, extra casum electionis iudicis in ipso actu, non datur facultas eligendi iudicem, vel, quod in idem redit, non datur forum prorogationis.

Ut autem manifestius pateat *oppositio* inter ius vetus, *permittens* privatis personis extendere in se iurisdictionem iudicis non sui aut qui alias eam non haberet etiam ex connexione causarum (haec erat vera et stricta notio fori prorogationis), et ius novum, *prohibens* illam extensionem, et, proinde, ostendatur *abrogatio* veteris iuris ex praescripto canonis 6, 1°, iuvat hic afferre textum iuris antiqui, scilicet (1): *Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod licet privatorum consensus eum qui praeesse dignoscitur suum possit iudicem constituere; clerici tamen in iudicem non suum (nisi forte sit persona ecclesiastica, et episcopi dioecesani voluntas accedat) consentire non possunt.* Hoc textu S. Pontifex canonizavit ius romanum, in mores Ecclesiae inductum, praesertim legem 1 ff. *De iudiciis*, et declaravit illud esse applicandum laicis, non vero clericis.

(1) C. 18, X, *De foro comp.*, II, 2.

Porro, ni fallimur, specialem laudem meretur abrogatio fori prorogationis, quippe quod multiplici interpretationi et non levibus difficultatibus obnoxium erat. Sic. ex. gr.: 1) Communiter quidem quatuor modi prorogationis admittebantur, scilicet, ait Reiffenstuel (1), « de persona ad personam, de re ad rem, de tempore ad tempus et de loco ad locum..... Quamvis Glossa in c. P et G... solummodo tres priores prorogationis modos referat; aliqui vero plures allegent, addendo videlicet prorogationem de casu ad casum et de causa ad causam, ut videre est apud Abbatem... Antonium de Mathaeis... ». 2) Iuxta Glossam, in l. 1 ff. *De iudiciis*, prorogabatur quoque « iurisdictio Delegati ad universitatem causarum... licet Abbas, ubi supra n. 5, de ipsa dubitet, magisque in partem negativam inclinet » (2).

Haec quoad diversitatem interpretationum. Quod attinet ad difficultates in quas offendebatur in usu huius fori, sufficit innuere quod *de re ad rem* « fit provocatio, ait Reiffenstuel (3) cum communi, quando Iudex certarum causarum constitutus aliam quoque causam diiudicandam suscipit, quae quandam cum priori habet convenientiam seu similitudinem, puta, quia est eiusdem naturae, ac formae. Et notanter hoc additur, quia ad alias causas non valeret prorogatio ». Iam vero quisque videt non esse saepe negotium adeo facile determinare quaenam causae sint eiusdem naturae ac formae; et, nihilominus, si prorogatio fieret de causa ad causam dissimilem non valeret; quod magnum inconveniens est.

Forsitan ab has causas legislator italicus recesserat quoque a iure romano dum statuit: « Iurisdictio nequit a partibus prorogari, praeterquam in casibus a lege determinatis » (4). Ad hoc pertinet quod in art. 19 Cod. Civ. exprimitur: « Potest quivis eligere domicilium speciale ad certa negotia vel actus »; v. g. ad subeundam intimationem citationis, ad declarandum contractum, etc. Sed ibidem subiungitur: « Huiusmodi electio debet constare in scriptis ». Relatio inter articulum 69 Codicis Processus Civilis et art. 19 Codicis Civ. Italici est eadem ac quae exsistit inter canonem 1559, § 1, et can. 1565, videlicet, relatio regulae generalis ad exceptionem.

...qui in can. 1560-1568: et quidem ibidem recensentur ordine necessitatis seu intrinsecae excellentiae, ita ut primum

(1) *I. C. U.*, Lib. II, tit. II, § VI, n. 124.
(2) Reiff., *l. c.*, n. 132.
(3) *l. c.*, n. 125.
(4) *C. P. C. It.*, art. 69.

sermo sit de *foro necessario*, deinde de *foro domicilii*, et postea de ceteris.

70. *R.* II. ex eodem c., § 2. **Incompetentia iudicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur relativa.**

...**relativa**: quae praecipue inducta est in bonum privatorum, et, nisi iudex eam declaret et causam cognoscere recuset ut potest et debet vi verborum **nemo... conveniri potest** (§ 1), aut nisi pars eam obiiciat atque iudicium subire renuat, suppletur, stante litigantium voluntate, etsi illicita saltem ex parte actoris vi eorundem verborum.

71. Q. II. *Quodnam forum adeundum est ab actore.*

R. ex § 3. **Actor sequitur forum rei; quod si reus multiplex forum habeat, optio fori actori conceditur.**

...**rei**: ob duplicem causam: primo, quia actor sponte, reus autem invitus iudicium ingreditur, unde incivile esset eum cogere sequi actorem, forte ad dissitum locum; secundo, quia, cum reus condemnetur vel absolvatur, non actor, ille potius et proprie iudicatur, et proinde auctoritas in eum potius quaeritur. Nec datur huic regulae exceptio in veteri iure petita ex L. *Diffam.* C. *De ingen. manum.* quia Codex de ea silet, et proinde vim amisit (c. 6, 6°). — ...**multiplex**; v. g. in uno loco ratione domicilii, in alio ratione rei sitae, in alio ratione contractus.

Can. 1560. — *De foro necessario.*

72. Q. *Quaenam causae illud habeant, et quodnam, et quare.*

R. **Forum necessarium habent:**

1° Actiones de spolio, coram Ordinario loci rei sitae;

2° Causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale, coram Ordinario loci beneficii;

3° Causae quae versantur circa administrationem, coram Ordinario loci ubi administratio gesta est;

4° Causae quae respiciunt hereditates aut legata pia, coram Ordinario loci domicilii testatoris, nisi agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.

...**necessarium**: id est, adeundum sub obligatione gravi, non autem sub poena nullitatis, nam incompetentia aliorum iudicum quoad has causas est relativa. Quae obligatio ab actore servanda est, et a iudice urgenda contra reum etiam absentem et invitum, nam canon non distinguit, seu non requirit praesentiam

in loco. — ... **spolio:** cf. comment. ad cc. 1668, 1670, 1671, 1698 § 1, 1699. — ... **loci rei sitae:** seu in quo inveniuntur res aut obiectum iuris quibus actor spoliatus fuit; v. g. fundus illius e cuius possessione *clam* aut *vi* deiectus est; vel fundus alius in quo ipse habet servitutem activam, a cuius exercitio impeditur; vel Capitulum aut sedes collegii in quibus habet ius suffragii, cuius usu privatus fuit. Ratio huius ceterarumque dispositionum h. c. est quia in locis heic recensitis facilius inveniuntur probationes.

... **beneficium:** sive agatur de institutione; aut de collatione; aut de suppressione, coniunctione vel dismembratione: aut de iurepatronatu aut pensione, nam etiam istae respiciunt beneficium. — ... **administrationem** bonorum, sive beneficialium titulo beneficiarii, sive quorumcumque aliorum bonorum ecclesiasticorum. — ... **loci domicilii testatoris;** in quo, ni fallor, iuxta leges civiles territorii testamentum depositum fuit seu successio aperta est. — ... **exsecutione:** exclusa qualibet quaestione super validitate legati. — ... **ordinarias;** secundum quas videnda est in foro rei, id est, illius a quo petitur ut adimpleatur legatum, vel non impediat exsecutionem eiusdem.

Can. 1561. — *De foro ratione domicilii, vel quasi-domicilii.*

Q. *Ratione domicilii,* 1) *coram quo potest quis conveniri; et* 2) *cur; et* 3) *an absens, et quare.*

R. I. ex § 1. **Ratione domicilii vel quasi-domicilii quilibet conveniri potest coram Ordinario loci.** 73.

... **domicilii vel quasi-domicilii;** intellige heic domicilium *a) dioecesanum* (cf. c. 92, § 3) *non paroeciale; b)* tum *reale* tum *fictum* seu *legale*, velut illud uxoris, amentium, minorum (c. 93); *c)* legitime acquisitum (c. 92 § § 1, 2); *d)* non amissum (c. 95).

R. II. Licet iurisdictio Ecclesiae se extendat ad totum orbem, tamen ad vitandam confusionem iurisdictionum et ad rectam iustitiae administrationem quae requirit in iudice aliquam notitiam personarum ac rerum de quibus iudicat, merito ordinatum est ut, praeter tribunalia suprema seu S. Sedis, cetera omnia, seu inferiora, potestatem suam exerceant intra territorium limitatum (c. 201); adeo ut personae, res ac iura quae territorio contineantur subsint iudici illius territorii, e contra vero cetera, ex regula generali in re iudiciali « cum extra territorium ius dicenti non pareatur, impune » (1). En ratio fori domicilii. 74.

(1) C. 2 *De Const.*, I, 2, in VI°; et l. ult. ff. *De iurisd. omn. iudic.*

75. *R.* III. Affirmative ex § 2, qui et rationem dispositionis continet dicens : **Ordinarius autem domicilii vel quasi-domicilii iurisdictionem in subditum, quamvis absentem, habet.**

... **iurisdictionem:** iurisdictio est igitur ratio ob quam iudex potest iudicare subditum absentem : attamen, ex c. 201, **iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit... extra territorium... nisi Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus sit** (c. 1637); quapropter, ut iudex valeat eam exercere, ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal (c. 1570, § 1), illius nempe territorii in quo subditus versatur, in hoc quod attinet ad partium et testium examen, citationem, etc. (ibid).

Can. 1562. — *De foro ratione peregrinationis aut commorationis in Urbe.*

76. Q. 1. *Cur et cum quo effectu seu obligatione potest citari in Urbe peregrinus?*

R. ex § 1. **Qui peregrinus est in Urbe, licet per breve tempus, potest in ipsa tanquam in proprio domicilio citari ; sed ius habet revocandi domum, idest petendi ut ad proprium Ordinarium remittatur.**

... **peregrinus ;** qui, nimirum versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet (c. 91) — ... **Urbe;** Roma, quae antonomastice *urbs* dicitur, vel quocumque in loco, in quo curia Romana resideat. — ...**tanquam in proprio domicilio ;** iuxta classicum romanorum conceptum domicilii, a Cicerone his verbis expressum (1): « omnibus municipibus duas censeo esse patrias, unam naturae, alteram civitatis », scilicet, Romae. Qui conceptus potiore iure ab Ecclesia usurpatus fuit, dicente Greg. IX in cap. 20, X, *De foro comp.*, II, 2 : *quia tamen omnium Ecclesiarum mater est eadem* (S. Sedes) *et magistra, rite compelli potuit* (reus) *ut ibi* (Romae) *suis adversariis responderet.* — ...**ius...** : ergo citatio non habet pro effectu necessario, in hoc casu, obligationem parendi, sed vel parendi vel petendi ut ad proprium Ordinarium remittatur, utique ut ab ipso iudicetur

77. Q. II. *Quodnam ius habeat, quoad forum, ille qui in Urbe commoratur.*

R. ex § 2. **Qui in Urbe ab anno commoratur, ius habet**

(1) *De Legibus*, II, 2.

declinandi forum Ordinarii et instandi ut coram Urbis tribunalibus citetur.

...**ius**; non ex lege divina, ratione Primatus S. Pontificis et relativae subiectionis eidem, sed ex lege ecclesiastica, id est, hoc canone, privilegium iuris civitatis romanae illi tribuente. — ...**urbis**: id est, Vicariatus Urbis, non S. Sedis; nam convenitur non qua fidelis ut sic, sed qua fidelis, romanus civis ex privilegio.

Can. 1563. — Q. *Ubinam forum habeant vagus et religiosus.* **78.**

R. **Vagus proprium forum habet in loco ubi actu commoratur; religiosus in loco domus suae.**

Vagus: qui, nimirum, nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium (c. 91). — ...**actu**: iuxta vulgare dictum: « ubi te invenero ibi te iudicabo ». Et merito, nam aliter a nemine iudicaretur, quod est inconveniens. — ...**religiosus**; sub quo nomine generico venit quoque religiosa; qui vel simplicia vel sollemnia vota nuncuparunt in aliqua religione, sive haec sit Congregatio religiosa sive sit Ordo (c. 488, 7°). — ...**in loco**: id est, coram Ordinario loci in quo est domus, si religiosus non sit, vel in casibus in quibus non sit exemptus; vel coram Ordinario religioso iurisdictionem habente in loco domus suae. — ...**domus suae**: formatae vel secus (c. 487, 5°), in qua resideat habitualiter, alias illa non diceretur *sua*.

Can. 1564. — *De foro rei sitae.*

Q. *Coram quo pars conveniri possit:* 1) *si actio est in rem, et* 2) *aliis in casibus.*

R. I. ex h. c. **Ratione rei sitae pars conveniri potest coram Ordinario loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa sit.** **79.**

...**pars**: etiamsi in loco rei sitae non reperiatur; nam canon non distinguit, et hoc sensu fontem unde idem canon desumptus est interpretabantur plures Doctores et praxis communis, iuxta Schmalzgrueber (1), Lega (2), ergo iste est sensus h. c. (c. 6, 2°). — ...**res litigiosa**; sive immobilis sive mobilis iuxta Doctores passim, dummodo haec non transeunter sed cum aliqua stabilitate inveniatur in loco iuxta Card. Lega, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, etc., post Abbatem, Ioannem Andreae etc. Ut puta « si Titius transit per hanc civitatem cum equo, quem ego

(1) *I. E. L.*, h. t., n. 53.
2) *De Iudic.*, I, n. 340.

dico esse meum. Tunc enim non possum convenire Titium in hac civitate... quia Titius non videtur esse in hoc loco, cum sit in transitu, arg. Clem. *Ne Romani*, § *Sane*, et cap. *Nam et ego De verbor. significatione* » (1). — Attamen iuxta eosdem, si rem in transitu advena aut viator (non autem vagus) recusat reddere petenti, cogi potest ad *satisdandum*. Quod quidem admittendum est tantum si ius est manifestum et periculum non recuperandi rem manifeste probabile (cf. com. ad c. 1672).

... **actio in rem**; id est, sive sit *a*) actio *realis* (cf. com. ad Tit. V), quippe quae directe et immediate persequitur rem, quam persona, uti quid accessorium sequi debet in iudicium, dum, ex adverso, actio *personalis* immediate persequitur personam ratione obligationis ei incumbentis erga actorem ; sive sit *b*) *actio in rem scripta* scilicet, aut *exhibitoria* aut *interdictoria novi operis* (cf. com. ad c. 1676); et sive sit *c*) *actio possessoria*, dummodo non *de spolio* (cf. c. 1560); nam in actionibus possessoriis illud singulare est, quod, quamvis personales sint, tamen quia a persona repetunt aliquid *circa rem determinatam* (quod non semper contingit in aliis actionibus personalibus, ex contractu aut delicto) admittunt directe exsecutionem *in rem ;* unde ex parte exsecutionis actiones possessoriae pressius accedunt actionibus realibus, et de hac causa quamplurimi auctores eas reales appellant » (2).

80. *R.* II. In aliis casibus, seu quando actio est personalis, causa videnda est iuxta aliquem ex ceteris competentiae normis.

Can. 1565. — *De foro contractus.*

Q. I. *Pars contrahens:* 1) *coram quo conveniri possit ;* 2) *quare, et* 3) *quandonam etiam absens.*

81. *R.* I. ex § 1. **Ratione contractus pars conveniri potest coram Ordinario loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet.**

... **contractus**: largissime sumpti, iuxta Glossam et Doctores passim, id est, pro quacumque conventione, etiam tacita, uti negotiorum gestione, ex qua nascatur obligatio iuris naturalis, et ideo, etiam pro distractu, seu pro resolutione contractus facta, nam haec est quaedam conventio. — ... **pars**: licet *clericus*, Codex enim non refert ius antiquum (3) prohibens illum quo-

(1) Reiff., h. t., n. 100.
(2) Card. Lega, *De Iud.*, Vol. I, n. 340.
(3) Cap. 18, X, *De Foro comp.*, II, 2.

minus Ordinariis non propriis subdatur quoad contractus; et quamvis sit *religiosus exemptus*, si contraxerit cum alio alterius religionis, aut cum clerico saeculari vel laico, iuxta c. 1579, § 3. — ... **conveniri**: et definitive iudicari (Codex enim non distinguit inter haec duo), si sit praesens in loco contractus (sive vero sive ficto), etiam per sententiam habentem exsecutionem in personam, et planum est; si autem sit absens, non ita, nisi in actu contractus locum elegerit prout dicitur in § 2, qui, ni fallor, paragraphum 1^um^ complet et explicat hoc sensu. — ... **initus**: seu substantialiter perfectus mediante consensu, licet non sit omnino completus per traditionem rei. — ... **adimpleri**: qua legali dispositione firmatur principium iuris romani (1) in foro ecclesiastico acceptatum: « Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur in quo ut solveret se obligavit ». Unde *locus contractus* potest esse duplex: alius *verus*, in quo, nimirum contractus initus est, alius *fictus* seu *legalis*, id est in quo adimpleri debet vel ex rei natura, vel ex electione concessa in § 2.

R. II. Ratio ob quam iudex acquirit iurisdictionem in personam non subditam, quae *a*) in territorio eius contraxerit, et, *b*) ibi inveniatur tempore citationis, aut eo sponte concurrat iudicii celebrandi causa circa contractum, est, quia quisque contrahens in territorio alterius praesumitur se submittere auctoritati illius territorii; quando vero inde excessit ante citationem censetur voluisse ab eadem auctoritate se subtrahere. Huiusmodi autem duplex praesumptio, utpote litibus finiendis valde utilis, si tamen non sumatur una seorsim ab alia, a iure acceptata et inducta est. 82.

R. III. ex § 2. **In actu autem contractus permittitur contrahentibus, obligationis declarandae, urgendae vel implendae gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint.** 83.

... **actu**: quod verbum significat tum *instrumentum* quo constat de conventione, tum *ipsam conventionem*, si haec fuit oralis, tum *tempus* quo fieri debet electio loci obligationis declarandae, etc. In primo casu electio debet constare in instrumento; in altero constet oportet iis mediis ac conventio, scilicet per testes, etc.; in utroque autem facienda est antequam conventio verbis consensualibus omnino perficiatur: electio facta post actum contractus non valeret, et proinde iudex non teneretur vi h. c. admittere actionem seu libellum, nec reus, forte conventus, ci-

(1) L. 21, ff. *De oblig. et act.*

tationi obtemperare. — ... **permittitur**: hoc verbum ostendit quod extra casum electionis iudicis quae hic permittitur, prohibitum est absentem convenire, imo nec citare ratione contractus. — ... **citari ac conveniri**: secus ac ex iure veteri, ex quo poterant citari, et veluti invitari ac aliquatenus cogi, sed non conveniri seu perfecte iudicari et condemnari. Ad cuius pleniorem intellectum,

84. Q. II. *Collatio iuris veteris ad novum, § 2 inductum.*

R. Iure Decretalium (1) iudex loci contractus poterat, instante parte, citare contrahentem absentem, et, eo contumace, mittere actorem in possessionem bonorum, quae reus haberet in territorio citantis, vel decernere ut in possessionem bonorum, quae idem reus haberet in alia dioecesi, actor mitteretur ab Ordinario illius Dioecesis, ut reus, taediis affectus, veniret responsurus; sed non poterat ferre sententiam quantum « ad effectum *arctativum* suae personae » (2), v. g. excommunicationem, neque eundem « directe condemnare in debito, quia etiam istud concerneret personam » (3).

Codex autem, *ante contractum*, large permittit utrique contrahenti ut *in actu contractus* possit locum eligere, et proinde iudicem coram quo eidem magis expediat et placeat convenire; sed, *post contractum*, nullum remedium iuris concedit; nam nullam mentionem facit de praedictis remediis iuris veteris, quae proinde omnem vim amisisse dicenda sunt. Nec eis opus est amplius: sibi enim imputet contrahens qui vellet agere in absentem, si omiserit uti tempestive facultate sibi concessa § 2 huius canonis.

Can. 1566. — *De foro delicti.*

85. Q. I. *Coram quo sortitur quis forum ratione delicti.*

R. ex § 1. **Ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti.**

... **delicti**: id est, *violationis legis*, cui addita sit *sanctio canonica* (c. 2195), non meri peccati, nec quidem transgressionis utpote quae non poenis et iudicialiter, sed remediis poenalibus (c. 2306-2313) et extraiudicialiter coercetur; *delicti* autem cuiuslibet — ... **reus**: quilibet, sive sit incola, aut advena, aut peregrinus, aut vagus (cf. c. 91), modo non exemptus

(1) Cap. 1, *De Foro comp.*, II, 2, in VI° . 5. § *in aliis*, X, *ut lite non cont.*, II. 6 c. 17, X, *De foro comp.*, II, 2.

(2) Reiff., *I. C. U.*, Lib. II, T. II, § IV, nn. 93, 94, 95.

(3) Id., n. 94.

ab Ordinario seu tribunali loci; eximuntur autem principes ceterique de quibus in c. 1577, necnon regulares, praeter casus indicatos in can. 616, 619. — ... **in loco patrati**: non in loco *deprehensionis;* nam, cum Ecclesia non habeat nunc *familiam armatam*, non utitur *foro deprehensionis:* nec in loco inventionis, nisi reus fuerit vagus, de quo dicitur: *ubi te invenero ibi te iudicabo*, aut nisi urgeat auferre scandalum. — In hoc ultimo casu, docet Lega, iudex, expostulatis litteris *remissorialibus* iudicum domicilii aut loci delicti, potest eum citare, sed solum ad applicanda ei remedia poenalia, negotium quoad reliqua deferendo iisdem (1). — ... **patrati**: id est, consummati in suo genere, nam iudicium criminale ordinatur ad poenam, poenae autem dantur ob delicta consummata.

Q. II. *Quale ius habeat in reum iudex loci delicti.* 86

R. ex h. c., § 2. **Licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet illum citandi ad comparendum, et sententiam in eum ferendi.**

... **citandi**; id est, redigendi et subscribendi decretum citationis, necnon citationem verbalem reo denuntiandi per cursorem aut per publicos tabelliones (cf. c. 1719), minime vero citationem *realem*, seu apprehensionem rei exsequendi, nam hoc est exercitium iurisdictionis, et **iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit extra territorium** (c. 201). Citatio *realis* exsecutioni mandari debet mittendo decretum cum litteris requisitorialibus ad iudicem in cuius territorio reperitur citatus (cf. c. 1570). — ... **ad comparendum**: seu personaliter se exhibendum, et non modo ad respondendum in scriptis; unde iudex territorii in quo invenitur citatus tenetur eum remittere ad citantem, hoc expostulantem, adhibitis, si opus sit, poenis canonicis. — ... **in eum**: scilicet, in *personam* ipsius, etsi ille, contumax factus, non comparuerit, et non modo *in bona*, ut nonnulli volebant (2).

Q. III. *Rationes huius fori.* 87.

R. « Et merito scelera in eo loco puniri praecipiuntur ubi commissa sunt; partim ad exemplum seu terrorem aliorum; partim ut per publicam vindictam satisfiat illi Reipublicae, quae per crimen extranei laesa est. Accedit quod in loco delicti facilius inquiri possit de auctore criminis, ac delictum probari » (3).

(1) *De Iudiciis ecclesiasticis*, Lib. II, Vol. IV, n. 166, *nota* 2.
(2) Maschat, *De Foro comp.*, n. 28.
(3) Reiff., *I. E. U.*, Lib. II, t. II, § 3, n. 47.

Can. 1567. — *De foro connexionis seu continentiae causarum.*

88. Q. 1. *Quodnam sit, aut in quo consistat hoc forum.*

R. ex canone : **Ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae, nisi legis praescriptum obstet.**

... connexionis seu continentiae : quae heic sumuntur tanquam synonyma, licet, proprie loquendo, *continentia* dicatur de illis causis, quarum vinculum tale est ut decisio unius praerequiratur ad decisionem alterius ; *connexio* autem, *simpliciter*, praedicatur de illis quae arcto quidem vinculo nectuntur, sed possunt separatim cognosci et definiri. — **... iudice;** et, cum canon non distinguat, non solum iudice *ordinario* sed etiam *delegato;* qui, uti antea, potest videre de causa connexa cum principali, vel sibi directe commissa, quamvis in rescripto delegationis non sit expressum (1) ; et, non obstante quod iurisdictio delegata sit *stricti iuris*, et non comprehendat nisi expressa in rescripto (2). — **... cognoscendae sunt:** id est non tantum possunt sed etiam debent, arbitrio partium omnino postposito. Ita sonabat ius vetus, et a pluribus intelligebatur, (3) licet aliqui diverso modo illud interpretarentur (4). — **... connexae;** etiam simpliciter, seu quae possunt separatim cognosci.

Porro, cum ius positivum non determinet taxative quaenam sint in concreto causae connexae, iuvat exponere ex quibus capitibus connexio petatur natura sua. Ex tribus autem petitur, scilicet ratione, *a) personarum ; b) actionis* seu iuris controversi ; *c) tituli* aut facti, quibus innititur actio seu ius petendi. Negotium satis illustrabitur nonnullis exemplis. *Ratione personarum* litigantium habetur connexio, v. g. in causa reconventionis necnon in casu conreitatis, veluti ea quae existit inter mandantem delictum et exsecutorem. — Ratione *actionis*, adest v. g. inter quaestionem principalem veluti *de familia haerciscunda* seu divisione hereditatis, et quaestiones incidentes, sive praeiudiciales (quo in casu habetur continentia causarum), ut puta, *de legitimis natalibus* alicuius ex petentibus hereditatem, sive simpliciter accessorias, veluti an certa res pertineat ad hereditatem. Ratione *tituli* actionis, seu ratione *facti* quod est eius origo immediata, veluti actus contractus in mutuo, habetur

(1) C. 21, § *Si reus*, X, *De Off. Del.*, I, 29; c. 38, X, *De test. et attest.*, II, 20.
(2) C. 22, X, *De rescr.*, I, 3.
(3) Abbas, Gailus, etc. apud Reiff., h. t. § VII, n. 145.
(4) Cf. Lega, *De Iudic.*, I, n. 347.

connexio v. g. inter causam quae movetur contra debitorem principalem et eam quae moveri contigerit contra ipsius fideiussorem, vel inter causas contra quoscumque debitores solidales, aut non solidales quidem sed quorum debita oriuntur ex eodem titulo.

... obstet: quod contingit in omnibus causis respectu quarum lex designat aut declarat aliquem iudicem 1) *absolute* competentem, ut, praeter causas de quibus agunt can. 1553, 1556, sunt illae quas memorant canones 1557, 1563 quoad regulares, et omnes determinatae ratione gradus seu instantiae, in qua debent cognosci ; aut 2) *exclusive* competentem, scilicet, illae quae habent forum *necessarium* ex c. 1560; aut 3) *prohibitum* a iudicando, ut ex c. 1613 ; aut 4) *obligatum* ad litigantem repellendum, sive ad instantiam sive ex officio, ut in casibus de quibus in c. 1628, § 3; aut 5) saltem *donatum facultate* iudicandi, ut in can. 1951, § 3.

Q. II. *Rationes huius fori.* 89.

R. Codex merito firmavit veteris iuris principium : *continentiam causarum non esse dividendam*, quia causae « naturaliter connexae facilius expediuntur ab uno iudice, seu evitantur inutiles circuitus, et definitiones inter se parum cohaerentes ; evitantur maiores expensae et temporis dispendia » (1).

Can. 1568. — *De concurrentia fororum, et de foro praeventionis.*

Q. I. *Concurrentia fororum quid, et inter quaenam datur.* 90.

R. Concurrentia fororum consistit in hoc quod duo vel plura tribunalia sint, circa unam eandemque causam, aeque competentia in actu primo, seu ante causae inceptionem. Inter se concurrunt fora domicilii, rei sitae, contractus et *connexionis causarum*, ut melius statim patebit per exempla.

Q. II. *Forum praeventionis quid, seu in quo consistit.* 91.

R. ex h. c. **Ratione praeventionis, cum duo vel plures iudices aeque competentes sunt, ei ius est causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit.**

... praeventionis: id est, actus quo unus e diversis iudicibus aeque competentibus venit prae aliis ad inchoationem causae. — **... aeque**: id est, si singulorum competentia est relativa et non necessaria (c. 1560), et proinde inter fora eorum datur concur-

(1) Lega, *De Iud. civ.*, I, n. 314.

rentia ; ut puta, si unus sit competens ratione domicilii, alius ratione contractus in suo territorio initi, alius ratione contractus in suo territorio adimplendi, alius ratione contractus coram eo declarandi, alius ratione rei sitae, alius ratione connexionis causarum. Quod si unus competens sit, v. g. ratione rei sitae in actione de spolio et alius ratione domicilii, non sunt aeque competentes ; prioris enim competentia est necessaria licet non absoluta, alterius vero libera, seu non necessaria, et proinde non suffragatur ei praeventio. — **... citatione**: legitime peracta (c. 1725), id est, a iudice subscripta (c. 1712) et reo denuntiata (ibid.), ad normas can. 1713-1723 : nam tunc res desinit esse integra (c. 1725, 1°), et proinde causa debet dici inchoata a iudice.

TITULUS II.

De variis tribunalium gradibus et speciebus.

Expositio rubricae.

92. Q. I. *Ratio ordinis.*

R. Postquam in canonibus praeliminaribus huius Primae Sectionis positae sunt leges definientes naturam, supremam divisionem, obiectum et formam iudiciorum quae agitantur in foro ecclesiastico ; et in Titulo I propositi sunt canones qui praefigunt modos seu titulos sortiendi forum seu tribunal competens inter diversa Tribunalia quae supponuntur esse in Ecclesia, ordo logicus exigit ut ista Tribunalia recenseantur, et diversarum eorundem specierum ordinatio constituatur, et competentia definiatur, et mutuae relationes explicentur. Haec omnia fiunt in h. Titulo.

Q. II. *Tribunalium* 1) *notio ;* 2) *species ;* 3) *gradus et* 4) *iudicii gradus.*

93. *R.* I. Nomine *tribunalis* venit *a*) *locus* in quo, praecipue vero (saltem antiquitus) *sella* e qua iudex pronuntiabat ; *b*) *iudex una cum suis personis*, v. g. actuario, qui de iure debent actibus interesse ut hi sint iudiciales ; *c*) *persona principalis* in tribunali, scilicet, *iudex.*

94. *R.* II. *Species iuridica tribunalium* sumitur a varietate obiecti, a diversitate qualitatis iurisdictionis, etc., ut infra patebit.

R. III. *Gradus tribunalis* significat locum seu ordinem quem tribunal tenet in hierarchia respectu ad alia, sive ipso inferiora sive altiora. *Ex iure quidem divino duplex* est gradus. *Supremus* competit tribunalibus Sanctae Sedis, quippe Summo Pontifici collatus fuit a Christo Primatus omnigenae iurisdictionis in persona S. Petri; *inferior* vero manet Episcopis, quos sub Romano Pontifice posuit Spiritus Sanctus regere, et exinde iudicare portiones Ecclesiae Dei unicuique commissas. *Iure autem humano* sunt generatim *tres* gradus ut postea declarabitur. 95.

R. IV. *Gradus iudicii* seu instantiae est numerus et ordo instantiae seu propositionis actionis iudicialis et exercitationis iudicii. Multiplex est, generatim *triplex*, et non semper coincidit cum gradu tribunalis. Itaque, iudicium quod *prima vice* exercitatur coram quocumque tribunali etiam secundi aut superioris gradus, est *iudicium primi gradus*, vel in primo gradu vel in prima instantia; illud vero quod *secunda vice* exercetur, et quidem coram tribunali altiori, dicitur *iudicium secundi gradus, vel appellationis* vel in appellatione vel in gradu appellationis, vel in secunda instantia. Et ita porro.

Q. III. *Tribunalium ecclesiasticorum* 1) *necessaria varietas;* 2) *multiplicitas;* 3) *praecipuae species;* 4) *diversi gradus;* 5) *mutuae relationes.*

R. I. Sive *ordinatione divina*, sive *pro commodiori iustitiae administratione*, potestas iudiciaria ecclesiastica necessario distribuitur in varia tribunalia, *numero*, *specie et gradu* diversa, necnon *ob mutuas relationes.* 96.

R. II. Ad *numerum* quod attinet, tot sunt tribunalia quot personae, sive physicae sive morales, iudicandi potestate pollentes, quae diversis ordinibus coactae, superius recensitae sunt. 97.

R. III. Praecipuae *species* habentur:

1) Ratione *qualitatis iurisdictionis*, *a*) nonnulla sunt *iuris divini*, scilicet, tribunalia personalia Romani Pontificis et Episcoporum; cetera *iuris ecclesiastici; b*) ex istis vero alia *ordinaria*, alia *delegata.* 98.

2) Ratione *numeri iudicum*, dantur tribunalia *unipersonalia et collegialia* (c. 1576, 1598, 1605, 205).

3) Ratione *territorii* tres species considerantur; tribunalia *a*) *episcopalia*, vel melius *dioecesana* (c. 1572), quae praeficiuntur singulis territoriis erectis in dioeceses, et singulis abbatiis vel praelaturis *nullius* (c. 215); *b*) *metropolitana* (c. 1594), quae praesunt provinciis ecclesiasticis (c. 272), seu territoriis coalescen-

tibus ex pluribus dioecesibus ; *c*) *pontificia seu S. Sedis*, quae universo orbi praesunt (can. 1597-1605).

De ordinatione et exercitio potestatis iudiciariae Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum non sunt expressa praescripta, ea profecto ratione, quia illi carent iis quae necessaria sunt ad habendum tribunal complete et stabiliter constitutum ; unde potius quam constituere tribunal, dicendi sunt constitui pro tribunali singulis in casibus. Ast vero quoties constituuntur, ex illis personis coalescant quae sunt de necessitate, scilicet, notario in omnibus causis, promotore iustitiae in causis boni publici et criminalibus.

4) Ratione *subiecti passivi*, alia sunt *communia*, videlicet, tribunalia *dioecesana et metropolitana, et ordinaria S. Sedis*, quibus subiiciuntur res et personae in proprio cuiusque territorio sitae et non exceptae ; alia sunt *specialia*, quibus subiiciuntur res et personae a iurisdictione tribunalium communium exceptae, ut sunt *tribunalia religiosorum exemptorum*.

99. *R.* IV. Ratione *gradus* exstant tribunalia *triplicis generis*, seu *ordinis ;* ex quibus 1) alia vocantur a Codice *Ordinaria primae instantiae* (cap. I, huius Tituli), et *a*) vel sunt inter communia, scilicet tribunalia dioecesana, vel *b*) sunt inter specialia, ut illa Superiorum provincialium, etc. de quibus in c. 1579 ; 2) alia vocantur ab eodem *tribunalia ordinaria secundae instantiae* (cap. II, h. T.), et sunt pariter vel inter communia vel inter specialia ; 3) alia appellantur ab eodem *ordinaria S. Sedis*, scilicet, tribunalia S. R. Rotae, et S. Signaturae Apostolicae.

100. *R.* V. Ratione *mutuarum relationum*, aliqua tribunalia sunt inter se *aequalia*, et proinde *simpliciter coordinata* inter se, v. g. omnia tribunalia inferiora seu primi gradus ; alia sunt *inaequalia ex parte iurisdictionis*, et ex consequenti, *subiecta* (unum alteri), ut puta tribunalia inferiora respectu medii seu superioris immediati ; alia denique *inaequalia inter se ratione dignitatis*, et proinde *subordinata* (unum alteri) cuiusmodi est, v. g. quodlibet tribunal inferioris ordinis respectu tribunalis ordinis superioris. Hae differentiae attendendae sunt in redigendis litteris quibus mutuo a se petunt subsidium iuris.

CAPUT PRAELIMINARE (addititium).

De tribunalibus quae pro diversitate casuum adiri possunt aut debent, et de subsidio iuris sibi mutuo praestando.

Expositio textus.

Can. 1569. — *De tribunali primatiali S. Sedis fidelibus usque pervio.*

Q. I. *Curnam, cuinam, quas causas, et quando, liceat ad* 101. *S. Sedem deferre.*

R. ex h. c., § 1. **Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere.**

Ob primatum: quia hic confert Romano Pontifici potestatem immediatam in singulos fideles totius orbis catholici, ita ut inter eum et alios superiores immediatos non sit locus praeventioni, sed ipse semper primas obtineat. — ... **fideli**: non exceptis aut exclusis excommunicatis, nam leges praecipientes repellere eos a iudicio (can. 1628, § 3, 1654), spectant ad defensionem iudicialem iurium fidelibus competentium iure humano, non illorum quae habent iure divino, ad quorum, et etiam ceterorum tuitionem, non potest non manere facultas recurrendi ad S. Sedem, et ipsa ex iure divino Primatus profluens; unde R. Pontifex praedictis legibus non adstringitur. — ... **iudicii gradu**: id est, licet causa coram alio vel aliis tribunalibus iam proposita fuerit, sive semel sive pluries, cum lex de instantiarum ordine et numero sit mere ecclesiastica, et proinde Romanum Pontificem non afficiat. — ... **statu**: vel iudicii stadio, aut periodo, etiam definitivis, scilicet, etiam post sententiam, et quidem firmam seu quae in rem iudicatam transierit; etenim nec quidem lex gravissima *de re iudicata* non immutanda ligare potest manus Romani Pontificis, quando imploratur officium eius uti Primatis. — ... **Sanctam Sedem**: repraesentatam non per tribunalia eius ordinaria, scilicet S. R. Rotam et S. Signaturam, sed per ipsum Romanum Pontificem, uti Primatem et Vicarium Iesu Christi. — ... **introducere**: hoc est, eandem prima vice iudicialiter tractandam proponere.

102. Q. II. *An et quando recursus ad S. Sedem suspendat exercitium iurisdictionis in iudice inferiori.*

R. ex § 2. **Recursus tamen ad Sedem Apostolicam interpositus non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui causam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.**

Recursus: quae vox sumpta in genere, significationem habet generaliorem quam appellatio; heic vero dicit delationem causae ad R. Pontificem, tanquam Christi in terris Vicarium, nulla lege humana adstrictum, factam praeter ac supra leges constituentes *ecclesiasticum institutum iuridicum appellationis*. — ... **appellationis**: proprie talis, id est, provocationis ad S. Sedem contra sententiam iudicis inferioris; non ob Primatum R. Pontificis, sed vi concessionis legis ecclesiasticae, quae huiusmodi institutum iuridicum ordinavit. — ... **coepit**: per citationem, tunc enim **res desinit esse integra** (c. 1725, 1°), et **lis pendere incipit** (ibidem, 5°); eam tamen legitime peractam, id est, a iudice factam (c. 1712, § 1) vel subscriptam, et reo denuntiatam, (ibid. § 2) ad normas can. 1714 et seq. — ... **sententiam**: et ipsius exsecutionem, cum haec nihil aliud sit quam pars necessario complens, terminans et constituens controversiae definitionem quae fit per sententiam. Attamen exsecutio differri debet, et, planum est, quandiu opus fuerit ut constet utrum Apostolica Sedes causam ad se advocaverit an non. Excipe casum de quo in c. 1923, § 2; qui firmat regulam in contrarium. — ... **advocasse**: est autem advocatio quidam actus quo Superior altior iniungit ut ad se remittatur in eo statu in quo invenitur negotium vel causa quae apud Superiorem inferiorem tractatur vel tractari deberet.

103. **Can. 1570.** — *De diversis tribunalibus, pro varietate causarum, designatis ut adeundis, et de eorum mutuo iuris auxilio.*

Q. I. *A quibus tribunalibus cognoscendae sunt causae ecclesiasticae.*

R. ex h. c., § 1. **Exceptis causis Sedi Apostolicae reservatis aut ad eandem advocatis, ceterae omnes cognoscuntur a diversis tribunalibus, de quibus in can. 1572 seqq.**

... **reservatis**: tum in antecessum, videlicet, eae quae recensitae sunt in can. 247, § 2, 1557, 1683, 1999, tum futuro tempore. — ... **advocatis**: iuxta dicta in c. praecedenti. — ... **de**

quibus etc.: et quae in expositione rubricae recensita sunt collecta simul claritatis gratia.

Q. II. *Quodnam tribunal, et ad quae, habeat ius vocandi in auxilium aliud tribunal.* 104.

R. ex § 2. **Quodlibet tamen tribunal, quod attinet ad partium et testium examen aut citationem, documentorum vel rei controversae inspectionem, decretorum intimationem aliaque huiusmodi, ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal, quod normas pro singulis actibus iure praescriptas servare debet.**

Quodlibet: sive dioecesanum, sive religiosorum, sive aliud, dummodo competens aut non certo incompetens, si tamen de eius iurisdictione certo constat (cf. dicta **nn. 58, 59, 60**). — ...**examen**... **huiusmodi**: circa quae videsis dicenda in Tit. VI et seqq. — ...**ius**: et proinde in alio tribunali respondet stricta obligatio. — ...**vocandi**: per litteras quae dicuntur simpliciter *remissoriales* si mittantur ad tribunal aequale, *supplicatoriae* si ad tribunal superius, *hortatoriae* aut *imperativae* si ad tribunal inferius. — ...**aliud tribunal**: etiam superius, nam non excipitur. — ...**praescriptas**: cf. can. 1717, § 2, 177, § 2, 3°.

Can. 1571. — Q. *Quandonam tribunal et qualiter excluditur a causa bis cognoscenda?* 105.

R. **Qui causam vidit in uno iudicii gradu, nequit eandem causam in alio iudicare.**

...**Qui**: sive tribunal sive persona; unde *a*) *tribunal*, v. g. dioecesanum, quod causam vidit in prima instantia nequit eandem videre in secunda instantia licet iudex vel omnes et singuli iudices, si tribunal fuit collegiale, mutati fuerint: et *b*) *persona*, quae iudicem egit, sive unicum sive collegialem, in eodem tribunali in illa causa, nequit eam videre uti iudex sive unicus sive collegialis in tribunali metropolitano, ad quod missa fuerit in appellatione. — ...**iudicii gradu**: vel una instantia, ut supra explicatum est. — ...**nequit**: id est, non modo *prohibetur* seu est *relative* incompetens et iudicium facit illicitum, sed *non valet*, seu est incompetens *absolute* et iudicium facit *nullum;* etenim competentia ratione gradus profluit ex principiis iuris publici, est absoluta et invalide prorogatur (1).

(1) Lega, *De Iudic.*, Vol. I, n. 318.

. . . **in alio**: gradu seu instantia, quando, videlicet, contra sententiam in uno gradu latam adhibetur remedium appellationis, quod semper coram iudice gradus immediate superioris proponendum est; non autem prohibetur iudex aut tribunal causam iterum videre in eodem gradu, quod contingit quando contra sententiam pars proponit (can. 1897, § 1), aut ipse iudex adhibet (c. 1897, § 2) remedium querelae nullitatis; hoc enim proponendum est coram iudice qui sententiam tulit (c. 1893), nisi quando cumulatur cum appellatione (c. 1895).

CAPUT I.

De tribunali ordinario primae instantiae.

Expositio rubricae.

106. Q. 1) *Materia tituli et ratio ordinis;* 2) *sensus rubricae capitis;* 3) *diversitas personarum tribunalia constituentium.*

R. I. Materia tituli, praeter eam quae continetur canonibus praeliminaribus dividitur in *quatuor* capita: in tribus prioribus agitur *de triplici gradu* seu *instantia tribunalium ordinariorum* sive communium sive specialium, in quarto *de tribunali delegato*. Legislator incipit a tribunalibus inferioris gradus seu primae instantiae, quia ab ipsis quoque incipiunt iudicii instauratio et agitatio, et proinde praenoscenda est eorum competentia et constitutio, utpote de quibus tribunalia superiora debent iudicare.

R. II. Singula verba rubricae capitis non indigent explicatione, quia iam declarata sunt in expositione rubricae Tituli: sensus vero totius rubricae aequivalet huic duplici quaesito generali, *a*) quaenam sint in Ecclesia tribunalia ordinaria primae instantiae; *b*) quomodo seu ex quibus personis constituantur. Utrique quaesito, et simul, satisfacit legislator; et directe quidem secundo, personas respicienti, prout apparet ex rubricis articulorum. Unde quoad praedictas personas,

R. III. Ex personis tribunal constituentibus, 1) una est *naturali iure* necessaria, scilicet, *iudex;* 2) aliae sunt *iure ecclesiastico* omnino necessariae sub poena nullitatis, videlicet, *a*) *notarius* seu *actuarius* in omnibus iudiciis; *b*) *promotor iustitiae* in causis criminalibus et in omnibus causis contentiosis boni publici; *c*) *defensor vinculi* in causis matrimonialibus circa

validitatem ; *d*) *defensor ordinis sacri* in causis circa validitatem ordinis maioris : 3) aliae, *ex eodem iure* nominari *possunt*, hoc est, *auditores*, aut designari *debent*, nimirum, *relatores ;* aliae constitui *debent* nisi alia sit consuetudo, scilicet *apparitores*. *Assessores* si quando adhibeantur ad normam c. 1575, non adnumerantur personis tribunal constituentibus nec quidem secundario, quia eorum opera est omnino accessoria.

Art. I. — De Iudice.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis.* 107.

R. Cum in quatuor articulis huius capitis proponantur canones qui respiciunt personas, tum principales tum accessorias vel auxiliares tribunal constituentes, postulabat ordo, ut ante omnia ageretur de persona principali.

Q. II. *Iudicis notio, qualitates essentiales et officium.* 108.

R. I. Nomen *iudicis* venit a *iure dicendo*, quia quid iustum sit aut secus in contractibus aut aliis actibus humanis dicit, id est, auctoritative definit, et coactive decernit servandum. Hinc duae qualitates in eo prorsus necessariae, scilicet, *iuris scientia*, et *virtus iustitiae;* nam, ut cum Philosopho ait D. Thomas, ad eum confugiunt homines sicut ad iustitiam animatam (1).

R. II. *Officium* iudicis in eo est ut *ius* seu *legem applicet facto* coram se a partibus probato, et ex quo oritur ius subiectivum seu moralis facultas partium contendentium. Ad cuius pleniorem intelligentiam iuvat animadvertere : 1) *Ius subiectivum* seu facultas moralis aliquid agendi, exigendi, etc., fit concretum, seu oritur immediate, ex aliquo *facto iuridico*, id est, posito sub aliqua lege vel contra aliquam legem : quod *factum* in Philosophia iuris vocatur *modus* iuris subiectivi (2). Sic, *generatio*, tum active tum passive sumpta, est *modus* iurium patris erga filium, et viceversa. 2) Ad hoc igitur ut demonstretur aliquod ius competere determinatae personae requiritur ut, *a*) probetur *factum* ex quo *ius* oriri asseritur, *b*) applicetur vel commensuretur ei *ius obiectivum*, seu lex sub qua positum est

(1) Div. Thom. II-II, q. 60, a. 1.

(2) Prisco, *Principii di Filosofia del Diritto, Diritto Individuale*. Lib. I, c. 5, n. 102, sq.

aut evenit, sive conformiter ad eam, sive contra illam ut contingit in delictis. Agedum, factum probare est partium officium et interesse, applicare autem facto ius seu legem, en officium iudicis. Et hoc quidem quamvis lex videatur ipsi minus aequa, dummodo non adversetur notorie legi divinae aut naturali ; recte enim dicit l. 12 ff. « Quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est ».

109. Q. III. *Quibus modis officium iudicis impertiri possit.*

R. Dupliciter ; vel, ut hactenus dici solitum fuit, officium iudicis duplex est : alterum *mercenarium*, *nobile* alterum. « Vocabula quidem minus elegantia sunt, ait Em. Card. Lega (1) sed eorum significatio respondet examussim duplici qualitati huius officii ». Officium *mercenarium* dicitur quod iudex rependit ad instantiam et veluti *conductus* a partibus, seu ad obsequendum partium actioni, quae debet quidem admitti a iudice, sed, nisi adesset, iudex non procederet. Officium *nobile* est quod iudex ex suo munere impendit, id est, sola vi sui muneris impellente, quia hoc exigit commune bonum aut aequitas, non quia partes expostulant : unde ex hodierno usu loquendi, tunc dicitur procedere *ex officio*, antonomastice ; quando autem explet officium mercenarium dicitur procedere *ad instantiam*.

Expositio textus.

Can. 1572. — *De iudice primae instantiae dioecesano.*

110. Q. I. *Quisnam, pro quibus causis et qualiter est iudex primae instantiae in unaquaque Dioecesi.*

R. ex § 1. **In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est loci Ordinarius, qui iudiciariam potestatem exercere potest ipse per se, vel per alios, secundum tamen canones qui sequuntur.**

... dioecesi : seu territorio ecclesiastico canonice erecto in dioecesim ; hic autem nomine dioecesis venit quoque Abbatia vel Praelatura *nullius* (c. 215, § 2), cum aliud non constet ex natura rei vel sermonis contextu (ibid.), imo haec illud exigant. Vicaria aut Praefectura Apostolica non item ; quia ius non praecipit, rei autem natura vix permittit, ut Praefectis ac

(1) *De Iudic.*, I, n. 73.

Vicariis Apostolicis, quamvis potestate iudicandi praeditis, applicentur omnia quae in his canonibus praescribuntur. — ... **Ordinarius**: proinde, sede vacante, Vicarius Capitularis (cc. 198, 391, 431, 432, 437); non autem Vicarius Generalis, nisi deputatus fuerit quoque Officialis (c. 1573). — ... **per alios**: potestate sive ordinaria, uti Officialis, sive delegata, ut iudices synodales aut alii, secundum tamen canones qui sequuntur; in quibus, iam a paragr. 2 h. c. nonnullae limitationes ei apponuntur. Unde,

Q. II. *Quid si agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae aut Curiae dioecesanae?* 111.

R. ex § 2. **Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae, controversia dirimenda deferatur vel, Episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem.**

...**iuribus**: licet spiritualibus, v. g. ius patronatus gentilitium quod ad illum spectaret tamquam ea ex gente ortum. — ...**temporalibus**: utputa, recuperatione mutui ex suis bonis patrimonialibus praestiti alicui clerico suae dioecesis. — ...**Episcopi**: aut, ni fallor, illius qui loco Episcopi dioecesim regit, ut Vicarius Capitularis, nam eadem omnino est ratio. — ...**mensae** (dioecesanae): id est massae bonorum ecclesiasticorum inservientium Episcopi et familiarium suorum sustentationi. — ...**Curiae dioecesanae**: id est, massae bonorum ex quibus honoraria solvuntur illis personis quae Episcopo aliive qui, loco Episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine totius dioecesis (c. 363), ut sunt Vicarius Generalis, Officialis etc. — ...**consentiente**: ergo eo invito non potest ad tribunal dioecesanum deferri, bene vero ad iudicem immediate superiorem.

Can. 1573. — *De officiali et vice-officialibus, iudicibus ordinariis auxiliaribus.*

Q. I. *Officialis ante et post promulgationem Codicis.* 112.

R. I. Ante Codicem promulgatum Officialis erat idem ac Vicarius Generalis Episcopi, saltem iuxta stylum Curiae Romanae. Ait enim Pellegrini: «Vicarii Generales... solent quandoque appellari Officiales Episcoporum in expeditionibus Romanae Curiae, ut in Brevibus, Dispensationibus, Delegationibus, et huiusmodi scripturis, quae mittuntur extra Italiam, Ultramontes, ut

in Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, et Ultramarinas Provincias, in quibus cultus catholicus reperitur... Sed... tamen Vicarius et officiales Episcopi sunt unum et idem: cap. *licet*, cap. *finali*, in 6° » (*Praxis Vicar.* P. I. S. I., subs. II, 1).

R. II. Post Codicem, *Officialis*, vi h. c., dicitur persona ecclesiastica distincta a Vicario Generali, quatenus tali, cui in tribunali dioecesano committitur ab Episcopo officium iudicandi cum potestate ordinaria. Antea erat munus *voluntarium*, nunc *necessarium* regulariter, ut ex seqq. patet.

113. Q. II. *Quisnam iudex dioecesanus teneatur Officialem eligere, et cum qua potestate, et qualiter et quando.*

R. ex § 1. **Quilibet Episcopus tenetur officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi.**

... **Episcopus**: quo nomine venit heic Ordinarius loci, non praecise Antistes consecratus ; ast vero non quilibet Ordinarius loci; sed ille qui locum tenet Episcopi qua supremus praeses *dioecesis*, ut Vicarius Capitularis, et illi qui iure veniunt nomine Episcopi, id est, Abbates et Praelati *nullius* (c. 215, § 2). Nam hic agitur de eo qui, iuxta c. praecedentem, habet in *dioecesi* potestatem iudicandi ordinariam, quam exercere potest aut debet per se vel per alios. Excluditur proinde, ut in c. praecedenti, Vicarius Generalis. — ... **tenetur**: et sapienter quidem haec obligatio imponitur, quia pertractatio negotiorum iudicialium insumit pastoris operam magis necessariam in aliis negotiis quae alteri nequeunt saepe committi. — ... **ordinaria**: quod efficitur eo ipso ac Episcopus aliquem deputat ad officialis munus, quippe cui iure adnexa est vi h. canonis potestas iudicandi.

114. Q. III. *Officialis potestas, qualis sit et quanta.*

R. ex § 2. **Officialis unum constituit tribunal cum Episcopo loci: sed nequit iudicare causas quas Episcopus sibi reservat.**

... **unum**: non modo quia tribunal est eiusdem *speciei*, seu ordinis, et, regulariter, eiusdem *ambitus*, sed quia potestas versatur erga *easdem* omnino personas et res, et in *eodem gradu* iurisdictionis; unde, ex consequenti, non potest dari appellatio ab officiali ad Episcopum. — ... **reservat**: non autem debent esse tot et tales ut potestas officialis veluti desinat esse ordinaria.

Q. IV. *Utrum plures officiales eligi possint.* 115.

R. ex § 3. **Officiali dari possunt adiutores, quibus nomen est vice-officialium.**

Igitur, officialis proprie talis, debet eligi unus tantum, quia, *a*) hoc innuit verbum **officialem** a canone adhibitum in § 1; *b*) superfluit facultas eligendi plures officiales cum adsit ius dandi officiali adiutores seu vice-officiales, qui officiali aequiparantur in omnibus ut patet ex § § 4 et 5 h. c. et ex can. 1577, § 2, et 1578; *c*) satius, imo necessarium est ut regimen tribunalis uni committatur.

Q. V. *Officialium et vice-officialium qualitates et amovibilitas.* 116.

R. I. ex § 4. **Tum officialis tum vice-officiales esse debent sacerdotes, integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, annos nati non minus triginta.**

... **sacerdotes**: e clero saeculari; nam ex c. 626 **Religiosus nequit ... ad ... officia promoveri, quae cum statu religioso componi non possint.** Iam vero, si religiosus admitti nequit advocatus aut procurator in tribunalibus extra suam religionem (c. 1657), nec fungi potest valide munere notarii in causis beatificationis Sanctorum nisi **ex necessitate** (c. 2014), nec potest esse Vicarius Generalis, nisi dioecesis eius religioni commissa fuerit (c. 367), et haec omnia illi prohibentur abs dubio quia componi non possunt cum statu religioso; a pari, imo a fortiori prohibetur ipse a munere officialis seu iudicis.

R. II. ex seqq. paragraphis, videlicet:

§ 5. **Sunt amovibiles ad nutum Episcopi; vacante sede, a munere non cessant, nec a Vicario Capitulari amoveri possunt; adveniente autem novo Episcopo, indigent confirmatione.**

§ 6. **Qui Vicarius Generalis est idemque officialis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii, non autem ab officialis munere.**

§ 7. **Si officialis eligatur in Vicarium Capitularem, ipse novum nominat officialem.**

... **ad nutum**: prout hoc intelligitur in iure, id est, ex causa quidem rationabili, quam tamen non tenetur Episcopus manifestare. — ... **nec ... amoveri**: citra delictum, et extraiudicialiter, ut planum est. — ... **a Vicario Capitulari**: vi can. 436, **Sede vacante nihil innovetur** (1). — ... **confirmatione**: ad validitatem actuum? Minime certo, nam non expri-

(1) Cap. 9, X *Ne sede vacante*, III, 9.

mitur haec necessitas. — . . . **novum nominat officialem** : id est, tenetur ipse et cessare a munere officialis et nominare alium.

Can. 1574. — *De iudicibus synodalibus et pro-synodalibus, iudicis dioecesani auxiliaribus cum potestate delegata.*

117. Q. I. *Huius instituti iuridici occasio et scopus*, 1) *ante*, et 2) *post promulgationem Codicis.*

R. I. Cum S. Sedes saepe indigeret committere causas personis ecclesiasticis ob nimiam locorum distantiam sibi ignotis, Bonifacius VIII, ne praedictae causae cognosci contingeret a iudicibus non idoneis, in melius reformans, ut ipse ait, quamdam suam Extravagantem, incipientem *Statuimus*, et aliam Innocentii III, quam non habemus, sancivit, *ut nullis nisi dignitate praeditis aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum Cathedralium canonicis, causae auctoritate litterarum Apostolicae Sedis, vel Legatorum eius de cetero non committantur ; nec audiantur alibi quam in civitatibus et locis insignibus ubi commode possit copia peritorum haberi* (1).

Concilium autem Tridentinum hanc ordinationem perficiens (2), *statuit in singulis Conciliis Provincialibus, aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, iuxta constitutionem Bonif. VIII, quae incipit* Statutum : *et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac, causae ecclesiasticae, ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus relegandae committantur. Et si aliquem illorum interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio capituli alium* etc.

R. II. Hoc pristinum et salutare institutum iuridicum Codex partim confirmavit, partim vero reformavit, scilicet, quoad iudicum qualitates, numerum, nominationem, maxime autem quoad scopum seu functiones, quae deinceps in eo sunt praecipue ut tribunal collegiale constituant cum officiali aut cum Ordinario in causis gravissimis et gravioribus (c. 1576).

118. Q. II. *Ubinam, quales, quot et ad quem finem eligi debeant iudices dicti synodales.*

R. ex § 1. **In qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in iure canonico periti, etsi extradioecesani, non plures quam duodecim eligantur ut potestate ab Episcopo delegata in litibus iudicandis partem habeant ; quibus no-**

(1) Cap. 11, I, III, in 6.
(2) Sess. XXV, c. 10, *De ref.*

men esto *iudicum synodalium*, **aut** *pro-synodalium*, **si extra Synodum constituuntur.**

... **dioecesi**: vel Abbatia aut Praelatura *nullius*, ex c. 215, § 2. — ... **presbyteri**: e clero saeculari, ob rationes allatas in comm. ad c. praecedentem. — ... **periti**: non ex necessitate laurea in iure decorati. — ... **Episcopo**: vel Abbate aut Praelato *nullius*, vel Vicario Capitulari, utpote qui habent potestatem ordinariam iudiciariam, non a Vic. Gen. — ... **delegata**: quod valde notandum est; nam ex hoc sequitur, inter alia, presbyteros, qui dicuntur iudices synodales, habitualiter esse iudices nomine, eosdemque tunc tantum devenire iudices re et veritate, utpote vera iurisdictione praeditos, cum primum deputantur ad cognoscendam aliquam causam, vel aliquod causarum genus, vel quascumque causas in tribunali dioecesano contigerit tractari. (Cf. **n. 163**, 2), ubi quid simile dicit De Luca de auditoribus S. R. Rotae.

Sequitur item potestatem singulorum qui ad aliquam determinatam causam deputati fuerint, cessare pronuntiata sententia; sed, hoc nullatenus obstante, tribunal conflatum ex eis cum officiali, vice-officiali aut Episcopo, est ordinarium, et de querela nullitatis valet cognoscere (c. 1893). — ... **litibus iudicandis**: non negotiis extraiudicialibus seu gubernativi ordinis expediendis; et quidem in litibus ad competentiam tribunalis dioecesani pertinentibus, non in causis forsan delegandis; qui erat scopus horum iudicum ex iure veteri.

Q. III. *Quomodo iudices synodales* 1) *eligantur*, *substituantur*; etc.; *et* 2) *an differant a pro-synodalibus.* 119.

R. I. ex § 2. **Quod ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere attinet, servantur praescripta can. 385-388.**

Porro vi can. 385, **omnes in Synodo constituantur, propositi ab Episcopo, a Synodo approbati.** Ex c. autem 386, § 1, synodalibus **medio tempore inter unam et aliam Synodum demortuis vel alia ratione a munere cessantibus, alios pro-synodales Episcopus substituat de consilio** (cf. c. 105, 1°), **Capituli cathedralis.** Ex c. 387, iudices sive synodales sive pro-synodales **post decennium ab incepto munere vel etiam prius, adveniente nova Synodo, officio cadunt** (§ 1.); substituti autem **in officio persistunt dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti fuerunt** (§ 2.). Denique, ex c. 388, **Removeri ab Episcopo nequeunt nisi ex gravi causa et de consilio Capituli cathedralis.**

R. II. Negative ex § 3. **Nomine iudicum synodalium in iure veniunt quoque iudices pro-synodales.**

Can. 1575. — *De assessoribus seu consiliariis tribunalis unipersonalis.*

120. *Q.* I. *Assessoris notio, officium, qualitates, obligationes.*

R. Assessor dicitur ab *assidendo*, et est ille qui iudici assistit consiliarius, et eum instruit ad recte decidendum causam. (cf. Glossam in cap. 11, I, III, in 6°). « Officium eius, ait Pellegrini, non est publicum » (1) nec « habet iurisdictionem » (id.). Unde « laicus potest esse assessor iudicis ecclesiastici » (id.). Debet esse utrique parti non suspectus (cap. 11 cit.), et exinde potest ab utraque recusari, quia eius consilia et suggestiones influunt efficaciter in sententiam: « et si iudex non admittit suspicionem sit ipse suspectus... et si partem gravat potest ab eo appellari, argum. cap. » (Pellegrini, *ibid.*). Porro « tenetur de malo consilio » (id.), et « punitur aliquando plus quam iudex faciens » (id.).

121. *Q.* II. *Quinam assessorem eligere* 1) *poterant iure veteri;* 2) *possunt iure Codicis.*

R. I. ex cap. 11 citato: *Assessores autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod conscientiae relinquatur eiusdem, sibi nequaquam adiungat: alioquin de suo proprio teneatur eidem.*

R. II. ex h. c. **Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest; quos tamen ex iudicibus synodalibus eligere debet.**

Unicus: quia iudicium unius facile fallitur: tribunal autem collegiale non indiget assessore, qui merito ipsi abdicitur. — ... **potest**: id est, ius habet hoc canone concessum; quin opus sit ei consulere propriam conscientiam, ut ex iure veteri, utrum assessore indigeat an non. — ... **eligere**: cuius expensis? Litigantium certe, nam iudex utitur posthac iure suo.

Can. 1576. — *De tribunalibus collegialibus, et de causis cognoscendis ab iisdem.*

122. *Q.* I. *Tribunal collegiale, quotuplex?*

R. Ratione *necessitatis* est *duplex:* aliud *necessarium*, quod praescribitur pro causis determinatis in §§ 1, 2; aliud *voluntarium*, de quo in § 3. Ratione *numeri iudicum* et *gravi-*

(1) *Praxis Vicar., Pract. Civ.* P. II. *Praemiss.* III, n. 26.

tatis causarum, est pariter *duplex;* aliud, nempe, *trium*, aliud *quinque iudicum*. Illi *graviores*, isti *gravissimae* causae committuntur: causae simpliciter *graves* manent tribunali unius iudicis, aut collegiali voluntario.

Q. II. 1) *Sub qua obligatione tribunali collegiali committi de-* 123.
bent causae hic recensitae; et 2) *quaenam tribunali trium; quaenam vero* 3) *tribunali quinque iudicum committendae sunt?*

R. I. Obligatio committendi certas causas tribunali collegiali est *absoluta*, videlicet, ex hoc c. § 1. **Reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio:**

... **consuetudine:** licet immemorabili, vi canonis 5. — ... **privilegio:** scilicet Apostolico, cum in hac materia nemo unus praeter S. Sedem privilegium concedere potuisset. — Item, est obligatio, suapte natura, *universalis*, id est, complectens universos auctoritate iudiciaria pollentes ac utentes, uti Vicarios Apostolicos, Superiores Religiosorum et iudices delegatos.

R. II. ex h. c., § 1. 1° **Causae contentiosae de vinculo sacrae ordinationis, et matrimonii, vel de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae; itemque criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione, tribunali collegiali trium iudicum reservantur;**

... **vinculo:** non circa effectus vinculi, etiam spirituales, ex. gr. ius cohabitandi, legitimitatem natalium, etc. — ... **cathedralis:** quatenus significat sive templum vel fabricam, sive Sedem dioecesanam seu beneficium episcopale, et prout iura et bona eius in utroque sensu sunt diversa a bonis et iuribus tum Episcopi tum Capituli, et a bonis et consequentibus iuribus mensae episcopalis, aut curialis aut capitularis (Cf. c. 1572, § 2). — ... **irroganda:** id est, *applicanda* a iudice per sententiam condemnatoriam, ad normam c. 2233, non *ferenda* per legem aut praeceptum, seu adnectenda a Superiore suae legi vel praecepto iuxta can. 2220, 2221. Intellige tamen si irrogatio, aut declaratio, *debeant* fieri *iudicialiter*, minime vero si *possint* fieri et fiant *extraiudicialiter*, seu simplici **scripto aut coram duobus testibus;** quod contingit si excommunicatio lata fuerit **ad modum praecepti particularis;** ut patet ex c. 2225. (Cf. c. 1933, § 4.)

R. III. ex h. c., § 1. 2° **Causae vero quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important, reservantur tribunali quinque iudicum.**

124. Q. III. *Quis et quasnam alias causas committere potest tribunali collegiali.*

R. ex § 2. **Loci Ordinarius tribunali collegiali trium vel quinque iudicum cognitionem committere potest etiam aliarum causarum, idque praesertim faciat quando de causis agitur quae, attentis temporis, loci et personarum adiunctis et materia iudicii, difficiliores et maioris momenti videantur.**

Loci Ordinarius: non autem Vicarius Generalis, ob rationes allatas in c. 1574, id est, quia non habet potestatem iudiciariam quam deleget seu committat: nec Superiores religiosi, strepitus vitandi ergo.

125. Q. IV. *Quinam, a quo, et quomodo designandi sunt iudices pro tribunali collegiali?*

R. ex § 3. **Duo vel quatuor iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices synodales Ordinarius, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, eligat per turnum.**

... Ordinarius: non autem Vicarius Generalis ob dicta superius — **... per turnum**: ad vitandam vel speciem studii partium.

126. **Can. 1577.** — Q. *Tribunali collegiali* 1) *quaenam imposita sit procedendi forma; et* 2) *quisnam praesit, et cum quibus iuribus.*

R. I. ex § 1. **Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.**

... collegialiter procedere: id est, intervenientibus omnibus et singulis, can. praecedenti praescriptis pro quolibet causarum genere: ita ut *omnes* iudices adsint singulis sessionibus seu actibus iudicialibus, v. g. interrogationi partium, examini uniuscuiusque testis, recognitioni instrumenti, loci, etc., nisi pro aliquo vel aliquibus actibus designent auditorem vi facultatis tribunali concessa in c. 1580; et si vel unus ex iudicibus desit, saltem in prolatione sententiae (cc. 1892, § 2, et c. 1874, § 5), vel quia nequit vel quia non vult interesse, iudicium sit nullum et quidem insanabiliter, ut praescribitur in c. 1892, § 2.

Dico *vel unus desit*, in primis, quia praesens canon non distinguit; deinde vero quia numerus ternarius aut quinarius desinit esse talis, et proinde numerus legitimus, id est, a lege seu canone 1576 praescriptus, si unus tantum ex iudicibus desit.

Nec obstat c. 102, § 2: **Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit, ius omnium in illud recidit;** nam praeterquam quod tribunal collegiale non est quaedam persona moralis proprie loquendo ut patet ex istius definitione in praedicto canone, ibi agitur de personis moralibus, ut regulariter sunt, id est, quarum membrorum numerus non est a lege determinatus. Hinc, in cap. 16 *de off. Deleg.*, explicans S. Pontifex cur in delegatione facta simpliciter seu collegialiter debent omnes concurrere, adducit hanc rationem peremptoriam: *cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet.*

In casu autem designationis auditoris, ad normam cc. 1580, 1581, 1582, non oportet quod omnes et singuli actus processuales ab isto expleantur coram iudicibus, sed requiritur, quod omnibus et singulis innotescant singuli actus ante sententiam, vel, alias, ante finem iudicii, si hoc terminetur alio modo, puta per transactionem; etenim controversiae definitio, sive per sententiam sive alio quovis modo, omnino reservata est iudici seu tribunali.

... **maiorem**: maioritate non relativa, sed absoluta, quae sola est proprie loquendo maioritas, et proinde ea sola intelligenda est, nisi aliud exprimatur. — ... **suffragiorum**: equidem in actibus sententias praecedentibus sufficit ut singuli iudices concurrant ut explicatum est, scilicet, sive coram astando et ea quae exhibentur, aut dicuntur aut fiunt videndo, audiendo, legendo, sive notitiam eorum desumendo vel accipiendo, ex actis ab auditore; sed in sententias concurrere debent per suffragium. — ... **sententias**: igitur, non modo sententiam definitivam sed etiam eas interlocutorias, si a collegio, non ab auditore, proferantur.

R. II. ex § 2. **Eidem praeest officialis vel vice-officialis, cuius est processum dirigere, et decernere quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt.**

... **dirigere**: invigilando utrum et an rite actus processuales ponantur a quibus oportet, et, si opus sit, instruendo qualiter poni debeant; imo illos actus perficere, qui in tribunali non collegiali spectant ad iudicem unicum, v. g. citationem edere, partes et testes interrogare, etc., exceptis iis quae a tribunali commissa fuerint auditori, cuius tamen negligentias aut defectus supplere debet, etiam nondum finita instructione actorum ei commissa. — ... **decernere**: sive ad instantiam, sive *ex officio*. — Quae hic dicuntur de officiali, intelliguntur de alio quolibet praeside.

127. **Can. 1578.** — Q. *Utrum Episcopus possit tribunali praeesse, et an hoc expediat.*

R. Affirmative ad primum, negative ad secundum. Ita ex h. c.: **Exceptis causis de quibus in can. 1572, § 2, Episcopus semper potest tribunali ipse per se praeesse; sed valde expedit ut causas, praesertim criminales et contentiosas gravis momenti, iudicandas relinquat tribunali ordinario, cui praesit officialis vel vice-officialis.**

... **Episcopus**: id est, loci Ordinarius in sensu explicato in comm. ad c. 1572. — ... **potest** ... **praeesse**: videlicet cooperando actibus tribunalis collegialis eosdemque dirigendo. — ... **valde expedit**: quia iudicialis disceptatio, praecipue vero ea quae habetur in rebus gravioribus, quae in tribunalibus collegialibus tractantur, praeterquam multum temporis insumit, quo Episcopus indiget ad alia negotia quae non possunt alteri committi, non est apta conciliare Episcopo reverentiam ac fiduciam subditorum tantopere necessarias pro eorumdem bono spirituali supernaturali.

Can. 1579. — *De iudice 1ae instantiae pro religiosis.*

128. Q. I. *Quisnam, in Religione clericali exempta, sit iudex primae instantiae quoad controversias,* 1) *inter religiosos;* 2) *inter duas Provincias, aut duo monasteria sui iuris.*

R. I. ex h. c., § 1. **Si controversia sit inter religiosos exemptos eiusdem religionis clericalis, iudex primae instantiae, nisi aliud in constitutionibus caveatur, est Superior provincialis, aut, si monasterium sit sui iuris, Abbas localis.**

... **religiosos**: viros, nam hic paragraphus loquitur de Religionibus clericalibus. — ... **nisi aliud**: ut puta, si caveretur ut non Superior Provincialis, sed provinciale Capitulum aut Supremus Moderator potestatem iudiciariam exerceant; vel, e contra, ut alii, inferiores Provinciale, v. g. Superiores locales, sint iudices in prima instantia sive privative sive cumulative cum ipso, ut in Ordine Praedicatorum. — ... **provincialis** illius Provinciae ad quam pertinet reus conventus vi canonis 1559, § 3. **actor sequitur forum rei.** — ... **sui iuris**: quod nempe, intra suam Religionem non habet Superiorem nisi localem.

R. II. ex h. c., § 2. **Salvo diverso constitutionum praescripto, si res contentiosa agatur inter duas provincias, in prima instantia iudicabit ipse per se vel per delegatum supremus religionis Moderator; si inter duo monasteria, supremus Moderator Congregationis monasticae.**

Salvo ... praescripto: quae clausula, cum in principio

semi-periodi posita sit, afficit totam periodum usque ad *monasticae*. — ... **duas provincias**: uti tales, seu sensu proprio, quatenus provincia significat personam moralem ex pluribus domibus constitutam. Quod si res contentiosa agitur inter domos diversarum provinciarum, iudex erit Superior Provinciae conventae in iudicio tamquam reus. Equidem exitus litis interest utriusque provinciae; sed hoc contingit indirecte: contentio habetur revera inter personas morales quae dicuntur *domus*, non inter personas morales quae sunt *provinciae*.

Q. II. *Quid, in aliis casibus, si enascatur controversia inter* 129.
personas religiosas, vel cum iisdem?

R. ex h. c., § 3, in quo sic deciditur quintuplex casus qui fingi potest: § 3. **Si demum controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis** (1us casus), **aut etiam inter religiosos eiusdem religionis non exemptae** (2us casus), **vel laicalis** (3us casus), **aut inter religiosum et clericum saecularem** (4us casus), **vel laicum** (5us casus), **iudex primae instantiae est Ordinarius loci.**

... **diversae religionis**: exemptae vel secus. — ... **laicalis** (etiam exemptae) v. g. monialium subiectarum alicui Ordini religioso virorum. — ... **loci**: videlicet, in quo reus conventus sortitur forum aliquo ex modis praescriptis in cc. 1560-1568.

Art. II. — De Auditoribus et Relatoribus.

Expositio rubricae.

Q. I. *Auditores ante* et *post promulgationem Codicis.* 130.

R. I. *Auditor* dictus fuit in iure ab *audiendo partes*, earumque allegationes; etenim in c. 27, X, *De off. Delegati*, I, 29, habetur: *ab eo cui medium causae committitur, sive cognitor, aut exsecutor, vel (quod melius est) auditor...* Illius ergo munus fuit, regulariter, causas instruere (medium causae) seu processus conficere (cognitor), interdum vero aliquem actum processualem exsequi absque potestate cognoscendi (exsecutor); non autem iudicium instaurare per citationem, nec finire per sententiam. In causis ad S. Pontificem delatis officium Auditoris commissum fuit Cappellanis Papalibus, ex quibus in perpetua memoria erit S. Raymundus a Pennafort, qui iussu et auctoritate Gregorii IX confecit Collectionem Decretalium, qua, tamquam textu legali seu authentico, usa est Ecclesia in Tribunalibus et in Scholis usque ad promulgationem Codicis.

Illud notatu dignum est quod Cappellani seu Auditores Papales fuerunt initium celeberrimi Tribunalis Rotae, quod usque ad nostram aetatem perduravit. Decursu temporis Auditores Papae devenerunt veri iudices, etiam ordinarii, quoad certas causas (*Regolam. Giudiz. Greg. XVI*, § 321 sq. et 377 sq.).

R. II. Novissimis temporibus ille cui committitur *medium causae* seu *confectio processus* vocatus est *iudex instructor* (S. C. EE. et RR., 11 Iun. 1880, art. 11). Codex noster eum appellat *auditorem* aut *actorum instructorem* (c. 1580) ; et, ni fallor, in c. 1582 permittit ut eidem, quin desinat esse merus auditor vel actorum instructor, saepe committi possint *omnia acta iudicialia*, praeter sententiam definitivam. Equidem hunc conceptum *auditorum* iam exhibuit Schmalzgrueber, scribens : « Sunt quibus vel tota causa, vel certus causae articulus examinandus committitur, eo fine, ut post diligens examen super hoc institutum, rem omnem exponant iudici, eiusque decisioni relinquant ». Habent *quidem* illi iurisdictionem in *cognoscendo, ita ut partes ad audientiam* citare, testes et probationes admittere possint, etc. In decidendo autem et sententiando iurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter a principali delegetur (1).

131. Q. II. *Auditoris potestas et qualitates in genere.*

R. Quoties, ut assolet, ei committitur vera cognitio, id est, instructio processus, et non nudum ministerium, ipsius potestas est iurisdictionalis. Sequitur eum debere esse *clericum*, in iure specialiter *peritum*, qualiter exigit causarum instructio ex qua pendet sententia, et utrique parti *non suspectum* (2).

132. Q. III. *Relatores ante et post promulgationem Codicis.*

R. I. *Relator*, dictus a *referendo*, et alias *Ponens* et *Referendarius*, erat veluti *Auditor tribunalis collegialis*, qui constituebatur ut expleret actus instructionis processus qui in tribunali unipersonali fiunt ab iudice unico, et de eorum exsequutione referret tribunali. Siquidem ait Schmalzgrueber ibidem : « His (auditoribus) quoad officium consimiles videntur esse *referendarii*, a *referendo* dicti... Usus illorum maxime est in tribunalibus maioribus principum... ». Et revera in supremo pontificio tribunali antiquae Rotae usus extitit ut, quemadmodum docet Lega (3), « *commissionis* rescriptum cuidam Auditori detur, qui exinde fit causae *Ponens* seu instructor ». Eadem

(1) *I. E. U.*, L. II, Tit. I, n. 15.
(2) Idem, *ibid.* et Bouix, *De Iudiciis*, II.
(3) *De Iudiciis*, Vol. II, n. 66.

lex ac praxis viget in Hispania pro omnibus tribunalibus collegialibus civilibus (1).

Equidem, cum incommoda non pauca nec levia sint in eo quod omnes iudices collegii expleant simul singulos actus proprios iudicis, visum fuit valde utile designare unum, et quidem e gremio, qui vice omnium eos expleret, et approbationi eorundem submitteret postquam ipsos de iis a se visis, auditis et gestis informasset. Attamen non paucis iuristis invisum usque fuit officium instructoris attributum uni ex iudicibus collegii, in sententia postmodum suffragaturo, quippe qui praesumitur esse affectus erga causam, et conari hanc definiri prout resultaverit ex instructione a se peracta ceterosque ad se allicere. Propterea fortasse *Lex Propria* novae S. Rotae Romanae, c. 22, n. 2, statuit: *Ponens autem seu Relator non potest simul esse causae instructor, sed hoc officium debet demandari alicui ex auditoribus turni.* At vero nobis certo constat quod, inspectis incommodis in quae huiusmodi praescriptum offendit in praxi, S. Pontifex concessit ut ponens valeat esse instructor causae in contentiosis.

R. II. Praescriptum Codicis hac de re non est omnino clarum. Ex una parte, consideratis *a*) iure veteri (quod tamen, cum tribunalia collegialia praeter supremum vix extiterint, non est magnopere urgendum), *b*) dispensatione pontificia in praescripto Legis Propriae vix in praxim deducto, cuius dispensationis causae frequentiores et urgentiores adsunt in tribunalibus inferioribus, nam horum praesides difficilius reperient sufficientem numerum instructorum collegio extraneorum, et *c*) dictione **ponens,** cui ex modo loquendi hactenus usitato tribuitur officium instructoris, videtur canonem interpretandum esse in eo sensu quod relator debeat de causa prout a se instructa referre. Ex alia autem parte inspectis, *a*) quod canon non facit mentionem expressam de instructione, sed tantummodo praescribit ut ponens seu relator referat de causa, quod quidem potest intelligi de causa iam instructa ab alio ut praescribitur in Codice Italico (2), et *b*) quod, ut supra dictum est, plures iuristae obsistunt quominus instructor suffragium ferat in sententia, et *c*) quod dispensatio pontificia supradicta coarctatur ad causas contentiosas, videtur nobis S. Sedem in genere intendere quod relator referat de causa ab alio instructa, et sententiam redigat, sed, saltem quoad causas contentiosas, faciliter concessuram fore dispensationem.

(1) *Ley de Enjuiciamiento Crim.*, art. 146.
(2) *Cod. P. C.* art. 349; *Cod. P. P.* art. 491, 522.

Expositio textus.

133. **Can. 1580.** — Q. *Quotnam, a quo et quomodo possint constitui Auditores.*

R. ex h. c., § 1. **Potest Ordinarius unum aut plures auditores, seu actorum instructores, sive stabiliter sive pro certa aliqua causa constituere.**

§ 2. **Iudex auditorem eligere potest tantummodo pro causa quam cognoscit, nisi Ordinarius iam providerit.**

. . . **Ordinarius**: quae vox heic opponitur, ni fallor, dictioni, **iudex** quae adhibetur in § 2, et significat eum qui potestatem iudiciariam ordinariam habet ex cc. 1572, § 1, 1579 et 1594; quapropter ea excluditur Vicarius Generalis. — . . . **iudex**: sive *unicus* sive *collegialis*, quia canon haud distinguit; tum *ordinarius* (c. 199, § 1), tum *delegatus* ab Apostolica Sede (ad normam tamen c. 199, § 2) vel ab alio inferiore delegato ad universitatem causarum (item ad normam c. 199, § 3); non autem delegatus ad causam particularem, nisi **ex concessione expresse facta,** aut nisi committere velit **articulum aliquem non iurisdictionalem** (c. 199, § 4), ut puta instrumenti exemplaris collationem cum originali, informationem capiendam super facto possessorio, etc. — . . . **providerit**: constituendo aliquem vel aliquos sive pro illa causa sive stabiliter; aut, ni fallor, nisi certo constiterit nullum ex constitutis ab Ordinario posse intervenire.

134. **Can. 1581.** — Q. *Quinam deligendi sunt Auditores pro tribunali tum dioecesano tum religiosorum?*

R. **Auditores pro tribunali dioecesano, quantum fieri potest, deligantur ex iudicibus synodalibus; pro tribunali vero religiosorum deligendi semper sunt ex alumnis eiusdem religionis ad normam constitutionum.**

. . . **constitutionum**: id est, prout constitutiones statuunt vel statuerint.

135. **Can. 1582.** — Q. *Auditorum officium ex Codice.*

R. **Eorum est testes citare et audire, aliaque acta iudicialia instruere secundum tenorem mandati, non autem sententiam definitivam ferre.**

Eorum est: intellige, eis committi potest. — . . . **testes citare et audire**: quae, iuxta Schmalzgrueber supra citatum, ius

vetus interpretantem, dicenda sunt expressa hic *demonstrative*, seu ad modum exempli et quia praecipue vel frequentius eis committuntur, non autem *taxative;* et hoc ipsum innuunt verba **aliaque acta iudicialia. — ... secundum tenorem mandati:** id est, ea tantum quae in mandato legitime et clare continentur. Circa quod oportet notare sequentia:

1) *In genere*, possunt auditori committi ea quae ordinantur *ad conficiendum processum seu ad causam probationibus instruendam*, unde auditores vocantur a Codice *actorum instructores;* videlicet, acta *a peracta contestatione litis* usque *ad publicationem processus*, et hanc quidem inclusive, ni fallor, saltem si pars petierit, quia scopus publicationis est litigantibus praebere copiam non modo hauriendi defensionis media ex probationibus simul inspectis, verum etiam supplendi aut roborandi probationes exhibitas.

2) In *contentiosis* committi possunt, sed *regulariter* non debent committi ea quae ordinatur *ad introductionem causae*, scilicet, acceptatio aut recusatio libelli, vocatio in ius seu prima partium citatio et litis contestatio; haec enim sunt magis propria iudicis. Quoad *criminalia*, in casu processus *mixti*, seu quando praecedit inquisitio (c. 1939), citatio fit *semper* ab Ordinario non a iudice nisi ex speciali eius mandato (c. 1946), ergo neutiquam ab auditore: et idem videtur esse dicendum, ex eodem canone, de examine rei, et proinde de litis contestatione, quae ipso examine *initium* habet (cf. com. ad c. 1999, q. II). In casu processus *accusatorii*, seu quando absque praevia inquisitione proceditur ex crimine notorio aut omnino certo, idem videtur esse servandum, quia Codex aliud non praescribit, et, aliunde, maxime expedit ut facultas decidendi utrum delictum sit notorium aut saltem omnino certum non relinquatur promotori iustitiae aut auditori, sed Ordinario, ut fusius declaratur in com. ad c. 1955.

3) in causis sive *criminalibus* sive etiam *consentiosis*, *nunquam* possunt auditori committi illi actus in quibus consistit *definitio* causae, scilicet sententia, ut expresse heic dicitur, et illi qui sententiae aequivalent quoad hoc quod iudicium terminant, id est, transactio, iusiurandum decisorium, correptio iudicialis. Nec proinde committi possunt ea quae ex se ordinantur ad definitionem causae, ut *a*) examen defensionum scriptarum (cf. can. 1862-1866), cum hae, perficiendae postea, si opus sit, disputatione orali paulo ante prolationem sententiae, sint omnino necessariae iudici ad formandum *animi sui motum* seu

hauriendam moralem certitudinem (c. 1869); *b*) conclusio in causa, quia iudici debet semper patere aditus ad corrigendos defectus ab auditore commissos in instructione processus.

4) In causis appellationis, etiam contentiosis, cum iam sint probationibus instructae in prima instantia, non potest designari auditor tanquam actorum instructor *ut sic*, sed tantummodo ad aliquem determinatum actum, qui tamen pertineat ad genus probationum, non defensionum, utputa si forte audiendus sit aliquis testis necessarius, iniuste reiectus in prima instantia.

5) Idem dicendum est de processu in dimissione religiosorum (c. 654, sq.), qui est omnino peculiaris (c. 1555, § 3) nam constat unica instantia, proprie tali, coram Supremo Moderatore cum suo consilio vel capitulo (cum sententiae cognitio per Sacram Congregationem pro confirmatione, iuxta can. 666, non fiat in forma iudiciali); sed Superior maior immediatus vices gerit instructoris causae et veluti iudicis in prima instantia, etenim *a*) colligit probationes adversus reum non ad instar inquisitoris, (cf. can. 1941, sq.) id est, reo inaudito, sed ad modum iudicis, eumdem citando, monendo et, proinde excusationes, si quas affert, perpendendo; et *b*) ex c. 663, nonnisi postquam iudicio eius, etsi non per formalem sententiam expresso, **monitiones et correctiones incassum cesserint,** causa defertur ad Supremum Moderatorem. Ergo cum defertur iam est probationibus instructa, et proinde non est locus auditori tanquam instructori, sed tantummodo ad aliquem determinatum actum ut dictum est de causis appellationis.

Quod si procedendum esset adversus subditum immediate subiectum Moderatori Generali, hic, ut salva maneat forma procedendi a Codice praescripta, debet, si quid opinor, delegare aliquem qui gerat locum Superioris maioris immediati pro inquisitione et monitionibus faciendis.

6) Ob paritatem rationis idipsum contingit, id est, non est locus auditori ut sic in quolibet processu criminali, etiam in prima instantia, si delictum sit notorium notorietate emergente ex monitionibus et praeceptis rite peractis, nimirum, ad normam can. 2306, sq.

. . . **non autem sententiam definitivam ferre**: nec iudicium quolibet alio modo terminare, videlicet, per iusiurandum litis decisorium, per transactionem, per arbitros, aut per correptionem in criminalibus; nam iudicium finire pertinet ad iudicem exclusive.

Can. 1583. — Q. *A quo, quando, cur et qualiter possit Auditor removeri.* 136.

R. **Auditor in quovis litis momento ab officio removeri potest ab eo qui eundem elegit, iusta tamen de causa, et citra partium praeiudicium.**

. . . **litis momento**: sive lite nondum incepta, sive ea iam incepta. — . . . **iusta**: prudenti arbitrio removentis. — . . . **praeiudicium**: iniustum, seu non necessarium, ut puta, si ob remotionem auditoris non necessariam opus esset aliquem testem iterum producere et expensas augere.

Can. 1584. — *De Relatore in tribunali collegiali.*

Q. *An quis, quem et ad quid debeat Relatorem designare.* 137.

R. **Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatorem designare qui in coetu iudicum de causa referat et sententias in scriptis redigat; et ipsi idem praeses potest alium ex iusta causa substituere.**

. . . **debet**: quia magnopere expedit ut iam inde ab introductione uniuscuiusque causae adsit unus qui examini ipsius specialiter incumbat, progressus, vicissitudines et praecipuas probationes adnotet, conclusiones inde emergentes colligat, quas deinceps opportune proponat aliis iudicibus pro eorundem illustratione, cum moraliter impossibile sit quod quilibet iudex tribunalis collegialis pari conatu examini singularum causarum vacet. — . . . **unum**: forte etiam seipsum? Ex contextu verborum videtur quod non: et certe non expedit celeri actorum expeditioni, cum praeses subeat onus instructionis, et in secunda instantia, directionis singularum causarum. — . . . **ponentem seu relatorem**: potius relatorem quam ponentem; nam hic, in sensu hactenus usitato, haberi solitus est uti actorum instructor in tribunali collegiali, ut dictum est. — . . . **designare**: etiam oretenus, ni fallor, cum hoc munus nullam relationem habeat ad extra.

. . . **in coetu iudicum**: et quidem non in eo conventu, qui, iuxta c. 1871, § 1, habendus est ad deliberandum super sententia proferenda, sed in alio praecedenti, quo relatio aliquid conferat ad hoc ut iudices facilius conficiant suas conclusiones ad normam c. 1871, § 2. — . . . **de causa referat**: id est, speciem facti summarii exponat; probationes facti et allegationes iuris, utrinque allatas, succincte innuat; suas conclusiones, cum relativis rationibus iuris et facti, breviter proponat. — . . . **in scriptis redigat**: sub formula ab aliis iudicibus approbanda

ante suffragationem. — . . . **ex iusta causa**: ab ipsomet praeside aestimanda : in tribunalibus collegialibus civilibus Hispaniae, relatori, a ceteris iudicibus dissentienti, alius necessario substituitur in redigenda sententia (1).

Art. III. — De Notario, Promotore iustitiae, vinculi Defensore.

Expositio rubricae.

138. Q. I. *Notarius in genere, divisio et ratio.*

R. Dictus est a *notis*, seu signis, ad celeriter scribendum adhibitis. Est *persona publica, creata a publica auctoritate, ut de actis data opera et solemniter coram se gestis, et ab ipso sub forma publici instrumenti scriptis vel subscriptis, faciat fidem publicam;* quam, nimirum, duo testes faciunt, ex communi hominum sensu, auctoritate divini eloquii confirmato: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (2). Unde sequitur quod natura sua est *testis auctorizabilis*, sed de his quae scripsit.

Alii sunt *iudiciales*, qui ad scribenda acta iudicialia, alii *extraiudiciales*, qui ad alia acta vel negotia scribenda deputantur. A solo Principe, seu suprema societatis perfectae auctoritate *creantur;* et ideo *crèari* dicuntur « quia ut credatur pelli animalis (nimirum instrumento seu scripto in pelle animalis, ut mos erat, exarato), est contra ius, cui solus Princeps supremus potest derogare » (3).

139. Q. II. *Notarii ecclesiastici ante promulgationem Codicis; notarii iudiciales; notarii ex Codice.*

R. I. *Persona publica*, a suprema auctoritate Ecclesiae deputata ad fidem publicam faciendam, diversis nominibus vocata est: *scrinarius, tabellio, notarius, actuarius, cancellarius, secretarius.* Postremis hisce temporibus, *scrinarius* vocatus est *archivista* seu *protocollista; tabellio* potius dicitur *cursor* pro litteris deferendis ; *notarius* dicitur, qui ad acta et negotia potius extraiudicialia deputatus est ; *actuarius* dicitur ab actis scribendis, praecipue iudicialibus ; *cancellarius* appellatur notarius curiae addictus, qui alicubi dicitur *secretarius.*

Notarii ecclesiastici *creati sunt, hactenus*, iure nativo a S. Pontifice, iure autem derivato consuetudinario ab Episcopis ;

(1) *L. E. C.*, art. 146.
(2) Matth., xviii, 16.
(3) Fagnanus, *in cap. Sicut*, X, III, 50.

unde quidam dicuntur *Apostolici*, ceteri simpliciter *ecclesiastici*. Ex illis, quatuor numerati sunt ordines et adhuc numerantur: 1) *Protonotarii Apostolici de Numero Participantium*, qui septem sunt et Collegium privative constituunt; 2) *Protonotarii Apostolici Supranumerarii;* 3) *Protonotarii Apostolici ad instar Participantium;* 4) *Protonotarii Apostolici Titulares*, seu honorarii (extra Urbem).

R. II. Notarii *inducti sunt in iudicia ecclesiastica* ab Innocentio III; qui in c. 11, X, *De probationibus*, II, 19, statuit, *ut tam in iudicio ordinario quam extraordinario iudex semper adhibeat aut publicam si potest habere personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta exscribant. Personam: a iudice* constituendam, ut nonnulli autumarunt, si aliqua inveniretur idonea: *a Superiore ecclesiastico* legaliter constitutam, ut ferebat communis opinio; quae quidem in Codice obtinuit (c. 1585, § 2). Cum ex notarii iudicialis imperitia aut infidelitate in actis exscribendis possit grave damnum partibus imminere, usque recognitum est istis ius dirigendi contra illum exceptionem suspicionis tum ante iudicium tum inter ipsum celebrandum.

R. III. Quoad notariorum creationem et officium ex Codice cf. cc. 373 seq.

Q. III. *Promotoris iustitiae* 1) *notio*, 2) *origo, et* 3) *evolutio historica.* **140.**

R. I. *Promotor iustitiae*, prout nunc temporis accipitur, est species Procuratoris publici seu societatis perfectae. Ex documentis ecclesiasticis definiri potest: *publicus officialis ecclesiasticus pro iustitiae et legis tutela.* Iste est conceptus iuridicus expressis verbis exhibitus art. 13. *Instruct. S. C. EE. et RR.*, 11 Iun. 1880; quae est primum documentum ecclesiasticum, in quo constat denominatio *Promotoris iustitiae*, et officium per eam significatum praecipitur institui universaliter, seu in qualibet curia dioecesana.

Vi *sui officii* Promotor iustitiae est *custos* ac *vindex* legis, et *censor* iustitiae. Qua *custos* invigilat observantiam omnium legum ecclesiasticarum; ceu *vindex* denuntiat Superiori transgressiones earumdem, et expostulat in iudicio transgressorum punitionem; qua *censor* curat rectam administrationem iustitiae, invigilans tum actorem, tum reum, tum ipsum iudicem, et proferens animadversiones in istius rationem agendi et contra illorum allegationes.

Qui paulo ante codificationem coepit vocari *Promotor iustitiae*, vocabatur in curiis, etiam ecclesiasticis, a tribus saltem antea saeculis, *Promotor* aut *Procurator Fiscalis*.

R. II. Quoad *initium* seu *originem* instituti iuridici expressi eo nomine Promotoris Fiscalis, ait Em. Card. Lega (*De Iudiciis Eccl.*, Vol. I, pag. 171): « Historia Procuratoris Fiscalis tenebris obvolvitur remotioris antiquitatis, at certe in iure canonico suum initium habet ». Equidem in iure romanorum nomen erat, sed institutum non erat; nam tituli in Digestis *De officio procuratoris Caesaris*, et *De procuratoribus et defensoribus*, in Codice autem tituli *De Procuratoribus... praediorum fiscalium domus Augusti*, et *De Defensoribus civitatum*, referebant officia procuratoris aut curatoris in negotiis contentiosis tantum, eo quod apud romanos delatio criminum in foro erat *actio popularis*, non reservata alicui publico ministro.

Sunt equidem plures eruditi qui, ut ait Lega (1) hoc institutum in Ecclesia repetunt a more Galliae, invalso sub finem saeculi XIII, instituendi *Procuratorem Regium*, qui iura Fisci seu Reipublicae, id est bonum publicum tueretur non modo in contentiosis, verum etiam in criminalibus, atque, in hunc finem, munus ei erat inquirendi in legum observantiam, et denuntiandi, ad publicam vindictam, earumdem transgressionem; quod munus collimat cum illo assignato Promotori Ecclesiastico. Arridet tamen sententia Em. Card. Lega; nam ut ipse subiungit (*op. cit.*, p. 173): « inquisitio *ex officio curiae*, ni me fallit opinio, retinenda est uti fundamentum in historia Procuratoris Fiscalis ». Iam vero, in foro ecclesiastico receptus fuit quidem ab initio processus accusatorius, seu accusatoris privati, iuris romani, sed non exclusive; etenim, habita ratione finis Ecclesiae procurandi salutem animarum auferendo proprio motu et nemine instante peccata et occasiones scandali, « iure canonico statim inolescit criminum insecutio *ex officio*, instituta a publica auctoritate, nempe ab Episcopis, suisque ministris, donec systema *inquisitivum accusatorium ex officio*, iure Decretalium, ex Conc. Lateran. IV, ad formam stricte iudicialem et ordinariam constituitur » (*Ibid.*).

R. III. Quoad *evolutionem* dicendum est, ex supra expositis, primos Procuratores, vel melius Promotores Fiscales fuisse Episcopos, qui, ceteroquin, numquam desinunt esse tales. Progressu temporis « maxime per *testes synodales* perficiebatur

(1) *De Iudiciis*, I, n. 135, *nota*.

vigilantia in legum observantiam et inquisitio in crimina » (Lega, *l. c.*). Postea « synodales testes fere ubique desueverunt : in eorumque loco suffecti sunt *Fiscales Episcoporum* et Decani, hoc est, Vicarii Foranei » (Bened. XIV, *De Synodo Dioec.* c. 3, n. 8). Hos autem Fiscales Episcopi Galliae habuerunt ex primis, iam inde a saeculo XVI, per institutionem ministrorum, quos vocaverunt « promoventes inquisitionem ». Exstant quoque plures resolutiones S. C. C. illius temporis, quae Promotorem Fiscalem aut institutum agnoscunt aut instituendum decernunt, ut in una *Hispalen.* mensis Sept. 1559. Ipse S. Pontifex Bened. XIII, per chirographum 12 Iun. 1724, illum instituit pro Dioecesi et Prov. Romana. Postremis temporibus S. C. EE. et RR., per suam *Instructionem* 11 Iunii 1880, instituendum decrevit in curiis dioecesanis. Tandem Codex, hoc titulo, eumdem instituendum praescribit in qualibet curia, etiam regularium.

Q. IV. 1) *Defensoris vinculi notio, divisio et historia;* 2) *alii* 141.
Procuratores seu Defensores publici.

R. I. *Defensor vinculi* est species Promotoris iustitiae in hoc quod attinet ad vinculum religiosum ortum ex matrimonio aut ex sacra ordinatione validis. Est igitur duplex defensor vinculi, alius vinculi matrimonii, alius vinculi sacrae ordinationis. *Prior* est publicus officialis pro tutela validitatis matrimonii. Institutus est a Bened. XIV, sua constit. *Dei miseratione*, 3 Nov. 1741; quam excepit constitutio *Nimiam licentiam*, 18 Mart. 1743, reprobans coniugum pacta *de non appellando*. Scopus fuit providere de persona quae in contentione iudiciali super vinculo matrimonii staret pro sua firmitate seu matrimonii validitate, cum, ob collusionem coniugum aut praecipitantiam iudicum, saepe illa persona deesset, et exinde non raro matrimonia iniuste declarabantur nulla. Hoc sapientissimum institutum Ecclesia retinuit et perfecit pluribus Instructionibus, uti *Instr. S. C. C.* 22 Aug. 1840, *Instr. S. C. C. ad Episcopos orientales*, *Instruct. S. C. de Prop. Fide ad Stat. Foed. A.* Sept. 1883. Codex quoque illud retinet hoc titulo.

Defensor ordinis sacri est publicus officialis pro tutela validitatis sacrae ordinationis. Institutum est mediante *Instructione S. C. C.* data a. 1836, qua praecipitur ut in quolibet processu super nullitate sacri Ordinis Subdiaconatus constitueretur aliquis, qui staret pro validitate sacrae ordinationis. Codex verbis generalioribus illum retinet h. titulo.

R. II. Quaedam species Promotoris iustitiae aut Procuratoris seu Defensoris boni publici sunt aut fuerunt: 1) *Promotor fidei*, qui intervenire debet in causis beatificationis aut canonizationis Sanctorum, et de quo agetur in Parte II: 2) *Defensor professionis religiosae*, qui usque ad Codicem viguit; institutus fuit a Bened. XIV sua const. *Si datam*, 4 Mart. 1748, ut in iudicio super nullitate professionis religiosae staret pro validitate; de eo silet Codex, quia c. 586, § 3, abolevit processum qui antea adhibebatur ad iudicandum de nullitate professionis; et erat diversus, prout actio nullitatis proponeretur, ut erat praescriptum, infra quinquennium ab emissa professione, aut, lapso quinquennio, peteretur *restitutio in integrum:* 3) *Defensores pauperum;* qui a remotiori aetate usque ad aevum modernum instituti sunt, ut instarent pro iustitia pauperibus et miserabilibus personis administranda, et iisdem patrocinium praestarent in iudicio: serius non fuerunt amplius necessarii, cum ad protegendas miserabiles personas iniuste oppressas sufficerent Promotores Fiscales in omnes curias moderno aevo inducti.

Expositio textus.

Can. 1585. — *De Notarii necessitate, officio et assumptione in iudiciis.*

142. Q. I. *An Notarius sit necessarius in iudiciis: quodnam sit eius officium et qualis eius necessitas.*

R. ad omnia, ex h. c., § 1. **Cuilibet processui interesse oportet notarium, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta.**

Cuilibet: ad litteram, seu nullo processu prorsus excepto. — . . . **interesse**: proprie loquendo seu personaliter; nam notarius est testis stricte sumptus, et ideo debet deponere de illis tantum quae gesta vidit aut dicta audivit proprio auditu. — . . . **actuarii officio**: quae verba indicant munus notarii in iudicio non esse tantum attendere ad ea quae videt et audit, ut postea referat ad instar testis ordinarii, sed eadem, prout audit et videt, exscribere seu in actis statim referre; quod est officium proprium actuarii. — . . . **saltem**: quo verbo ostenditur posse alium, notario praesente, exscribere acta, vel haec a notario scripta transcribere, dummodo in utroque casu notarius subscribat.

Q. II. *Quis, quando et quem Notarium debet assumere in actuarium.* 143.

R. ex h. c., § 2. **Quare iudex, antequam causam cognoscere incipiat, in actuarium assumere debet unum e notariis legitime constitutis, nisi ipse Ordinarius aliquem pro ea causa iam designaverit.**

... **iudex**: non partes vel alii. — ... **antequam ... incipiat**: scilicet, statim ac petitionem actoris audiverit, nam c. 1707, § 3, praescribitur ut iudex notarium iubeat scriptis petitionem redigere; vel ubi primum libellum acceperit et antequam decretum admissionis aut reiectionis edat, cum istud decretum sit actus vere ordinatus ad cognitionem causae, et ad genus actuum iudicialium pertinens, ut patet ex eo quod contra illud datur recursus, non ad Superiorem in ordine administrativo, sed ad iudicem immediate superiorem (cc. 1709, 1710). — ... **e notariis... constitutis**: nam iudex, qua talis, nequit notarium creare seu designare; designat vero si sit Ordinarius, iuxta cc. 372, 373, 294, § 1, 315, § 1, 323, § 1, 368, § 1, 503.

Can. 1586. — Q. *Promotor iustitiae et Defensor vinculi* 1) *in quibus tribunalibus constituendi sint; et* 2) *pro quibus causis.* 144.

R. **Constituatur in dioecesi** *promotor iustitiae* **et** *defensor vinculi;* **ille pro causis, tum contentiosis in quibus bonum publicum, Ordinarii iudicio, in discrimen vocari potest, tum criminalibus; iste pro causis, in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii.**

... **in dioecesi**: et in Abbatia aut Praelatura *nullius* uterque constituendus est; promotor vero in tribunali quoque religiosorum, ut patet ex c. 1589. Porro, ex eo quod, licet in hoc articulo non praescribatur expresse ut promotor iustitiae deputetur pro religiosis, tamen canon 1589 supponit eum a religiosis adhiberi, et hoc, procul dubio, quia usus promotoris iustitiae est institutum profluens ex principiis iuris publici quando in causa est publicum bonum, deducitur quod, ob eandem rationem, Vicarii Apostolici, et ceteri iudices debent eum adhibere in causis boni publici, necnon defensorem vinculi in causis matrimonialibus. — ... **bonum publicum** autem versatur in causis spiritualibus et etiam in temporalibus personarum moralium ecclesiasticarum, v. g. Ecclesiarum, Seminariorum, etc. — ... **Ordinarii iudicio**: cui, absque disceptatione, stare debent tum partes tum promotor. — ... **vinculo**: seu validitate, non de effectibus ex vinculo ortis.

145. **Can. 1587.** — Q. *Qualiter opus sit* 1) *Promotoris et Defensoris citatio; qualiter vero* 2) *eorum interventus.*

R. I. ex h. c., § 1. **In causis in quibus eorum praesentia requiritur, promotore iustitiae aut vinculi defensore non citato, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint.**

. . . **non citato**: seu monito pro unoquoque actu vere iudiciali, scilicet, reiectione libelli, examine rei, litis contestatione, productione testium, etc. — . . . **irrita sunt**: et talia declarari debent, necnon sanari per iterationem, a iudice coram quo peracta sunt (cf. c. 1893), vel ad instantiam promotoris iustitiae, vel, illo negligente, proprio iudicis motu, nam utriusque muneris est validitati actuum consulere, et proinde applicatur ipsis c. 1679. — . . . **interfuerint**: quo in casu actuarius significat in actis eos adfuisse (cf. c. 1711).

R. II. ex h. c., § 2. **Si legitime citati aliquibus actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda omnino sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverint.**

. . . **aliquibus**: Quid si, citati, omnibus actibus absint? Putamus acta seu processum valere, si eorum examini fuerunt subiecta, nam eorum praesentia singulis actibus non constituit ex se *actum*, hoc est, processum essentialiter, nec est conditio a sacris canonibus expresse requisita sub poena nullitatis (c. 1680). Ex hoc quod h. c. dicat acta valere si adsint aliquibus *actibus*, non sequitur necessario eadem non valere si absint *omnibus*. — . . . **sive voce**: plus, igitur, conceditur istis defensoribus boni publici, quam privatis advocatis partium, quibus informationes orales prohibentur (c. 1866, § 1).

146. **Can. 1588.** — Q. *Promotor et Defensor*, 1) *utrum debeant esse personae distinctae; et* 2) *constitui debeant stabiliter.*

R. I. ex h. c., § 1. **Eadem persona officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi multiplicitas negotiorum et causarum id prohibeat.**

R. II. ex § 2. **Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem causarum tum pro singulis causis.**

. . . **ad universitatem causarum**: id est, stabiliter seu permanenter, vel semel pro semper, donec removeantur ad normam c. 1590: non quod Ordinarius nequeat aliquas causas excipere. — . . . **pro singulis causis**: et proinde transitorie, ita ut finita causa cessent ipso facto in officio.

Can. 1589. — Q. *Quisnam Promotorem ac Defensorem eliget;* 147.
et quales in tribunali 1) *communi;* 2) *religiosorum.*

R. I. ex § 1. **Ordinarii est promotorem iustitiae et vinculi defensorem eligere, qui sint sacerdotes integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, ac prudentiae et iustitiae zelo probati.**

R. II. § 2. **In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis alumnus.**

. . . **integrae famae**: non igitur bonae vitae tantum, sed bonae famae, saltem negative seu integrae. — . . . **periti**: quod usque prae oculis habendum est et examussim servandum, cum ex peritia promotoris et defensoris maxime pendeat exitus rectae administrationis iustitiae. — . . . **probati**: id est, tamquam iusti et prudentes positive cogniti a posteriori seu per facta, non existimati tales a priori et negative. — . . . **alumnus**: proprie talis, seu professus.

Can. 1590. — *De Promotoris et Defensoris cessatione, remotione aut confirmatione.*

Q. I. *Quid* 1) *sede vacante;* 2) *adveniente novo Praelato.* 148.

R. ex h. c., § 1. **Promotor iustitiae et vinculi defensor electi ad universitatem causarum a munere non cessant, sede episcopali vacante, nec a Vicario Capitulari possunt removeri; adveniente autem novo Praelato, indigent confirmatione.**

. . . **a Vicario Capitulari**: utrum ab Administratore Apostolico? Affirmative, ex h. c., § 2, si est permanenter constitutus; negative si ad tempus (cf. c. 315). — . . . **confirmatione**: non electione nova; ex quo sequitur eos non cessare in officio si non removeantur expresse; sed verbo *indigent* Legislator imponit Episcopis obligationem vel confirmandi eos vel removendi.

Q. II. *Quis et ob quam causam potest eos removere.* 149.

R. ex h. c., § 2. **Iusta tamen intercedente causa, Episcopus eos removere potest.**

. . . **Episcopus**: et qui veniunt nomine Episcopi, ut dictum est in com. ad c. 1585, § 2, excepto Vicario Capitulari.

Art. IV. — De Cursoribus et Apparitoribus.

Expositio rubricae.

150. Q. I. *Cursores: eorum qualitates, praerogativa et usus ante promulgationem Codicis.*

R. Cursor, appellatus est *minister tribunalis ecclesiastici deputatus ad acta iudicialia, iudice committente, intimanda, et intimationem iudici referendam.* Dictus est quoque *nuntius, pedellus, viator, tabellio, apparitor;* sed hoc postremum nomen ei tantum proprie convenit, si mandati iudicialis fuit simul exsecutor. Nullo iure fuit prohibitum, quin potius moribus fuit inductum, et merito, ut essent laici, fideles quidem et fide digni. Eorum opera non habita fuit adeo necessaria ut non posset aliter suppleri, v. g. per qualificatam personam, aut per publicos tabelliones (cf. *Instr. S. C. EE. et RR.* 9 Febr. 1770, et *Instr.* 11 Iun. 1880). Haec illis agnita fuit praerogativa, ut eorum relationes de actibus a se peractis fruerentur publica fide, innixa approbationi iudicis. Quae omnia, plus minusve, vigere pergunt.

151. Q. II. *Apparitores ante promulgationem Codicis; quamnam vim subaudiat eorum officium in societate civili, quamnam vero in Ecclesia.*

R. I. *Apparitor* vocatus est *minister tribunalis ecclesiastici deputatus ad acta iudicialia exsequenda, iudice committente.* Apparitores dicti sunt quoque *lictores;* quo nomine insigniebantur ministri qui magistratibus Imperii Romani praeibant, tenentes manibus fasces virgarum cum securi inter ipsas media.

R. II. *Officium* apparitorum subaudit in societate civili potestatem adhibendi *vim physicam;* et non modo *privatam*, id est, modicam et veluti paternam coercitionem, sed etiam *vim publicam*, seu coercitionem ineluctabilem, vel idoneam ad violentiam corporalem inferendam homini, quantumvis invito; in summa, *vim armatam militarem;* illam, exercendam per apparitores, istam per milites, qui, si opus sit, eos protegant. Huius ratio est quia auctoritas civilis non habet alia media ad flectendos animos subditorum, exsecutioni mandatorum iudicis obsistentium. Ad Ecclesiam quod attinet, cum sit societas ex hominibus coalescens, et quidem publica et perfecta, non repugnant ei nec potestas nec usus vis physicae, tum privatae et paternae tum publicae et ineluctabilis, imo maxime eidem conveniunt; sed

tamen omnino necessaria non sunt eidem potestas et usus vis physicae publicae seu armatae, quia habet media, id est poenas spirituales ordinis supernaturalis, quae aliqualiter, et, ut plurimum, sufficienter, supplent defectum vis armatae.

Q. III. *Utrum, quomodo et quo iure Ecclesia adhibuerit* 152.
in iudiciis Apparitores cum usu vis armatae.

R. Quandoque Ecclesia vim armatam adhibuit per alios, id est, per brachium saeculare, seu vim armatam potestatis civilis; et hoc modo adhuc adhibet eam in aliquibus locis, v. g. in Hispania. Quibus in casibus usa est et utitur iure suo; *mediato* quidem, quatenus per alios exercito, sed *proprio*, scilicet, ei divinitus concesso, eo ipso quod Deus imponit potestati civili obligationem praebendi auxilium brachii sui Ecclesiae invocanti (Cavagnis, *I. P.*, I, n. 331).

Interdum vim armatam adhibuit per seipsam, deficiente potestate civili; veluti cum civitates Italiae beneficia polytici regiminis recipere nequibant a proprio Imperatore, Bizanzii sedente; et tunc usa est iure item proprio sed *devolutivo*, id est spectante per se ad potestatem civilem, devoluto autem ad Ecclesiam per accidens, et ex tunc ad eam pertinente, cum et quamdiu desit potestas saecularis quae auxilium brachii sui valeat et velit ei praestare. Denique, aliquando nonnullae curiae ecclesiasticae habuerunt *familiam armatam* propriam, seu parvam cohortem, protegendam in casu necessario a vi armata potestatis civilis; quo modo « aliquando concordatis concessum est, ut Episcopi haberent, ex. gr. 12 lictores, Archiepiscopi 24 » (Cavagnis, *I. P.*, I, n. 336): in his casibus Ecclesia gavisa est privilegio seu iure a principibus *concesso*.

Utrum Ecclesia possit *iure proprio immediato*, id est, per se ipsam exercendo, habere vim armatam propriam, etiam non deficiente potestate saeculari, videbitur in commentario ad c. 2214, de potestate coactiva Ecclesiae.

Expositio textus.

Can. 1591. — Q. *Cursores et Apparitores*, 1) *ad quid con-* 153.
stitui debeant; et 2) *an separatim inter se.*

R. I. ex § 1. **Ad acta iudicialia intimanda, nisi alia sit probata tribunalis consuetudo, constituantur cursores sive pro omnibus causis sive pro causa peculiari; item apparitores ad sententias ac decreta iudicis, eo committente, exsecutioni mandanda.**

... **intimanda**: ita ut de facta intimatione conficiant in scriptis relationem, quam, subscriptam, iudici tradant (c. 1593). — ... **consuetudo**: non merus usus. Quonam spatio temporis praescripta? Eo nimirum, quod iure veteri requirebatur, scilicet decem annorum; nam c. 28 loquitur de consuetudinibus futuris, cum non habeat effectum retroactivum. — ... **probata**: id est rationabilis, seu approbatione digna, iudicio, ni fallimur, Ordinarii. — ... **omnibus**: ideoque permanenter. — ... **causa peculiari**: unde, si deputetur pro aliquo peculiari actu tantum, censendi non sunt cursores seu ministri curiae. — ... **committente**: ergo, si non intimatio aut non mera intimatio, sed aliqua exsecutio facienda est, requiritur specialis commissio iudicis. — ... **exsecutioni**: v. g. exactio multae pecuniariae, vel quodcumque aliud, dummodo excludat omnino usum vis physicae, a qua Ecclesia hisce temporibus abstinet etiam dum ius habet eam adhibendi. — ... **mandanda**: ita ut de facta exsecutione conficiant in scriptis actum seu relationem quam tradent tribunali (c. 1593).

R. II. ex § 2. **Eadem persona utroque officio defungi potest.**

154. **Can. 1592.** — Q. *Quales debeant esse Cursores, et qualiter nominandi.*

R. **Laici ipsi sint, nisi prudentia in aliqua causa suadeat ut ecclesiastici ad id muneris assumantur; quod vero ad eorum nominationem, suspensionem et revocationem attinet, eaedem serventur regulae quae pro notariis can. 373 statutae sunt.**

... **ecclesiastici**: ut puta, si pars vel testis sint personae insignes, aut causae tractationem expediat alto silentio premere.

155. **Can. 1593.** — Q. *Quaenam Cursorum fides et circa quae.*

R. **Acta quae hi confecerint, publicam fidem faciunt.**

Acta: non ergo eorum dictis, sed potius eorum scripto creditur. — ... **publicam**: nimirum, aequivalentem testimonio duorum testium, sed tamen oppugnabilem; quemadmodum oppugnabiles sunt ipsimet cursores aut apparitores per exceptionem suspicionis.

CAPUT II.

De tribunali ordinario secundae instantiae.

Expositio rubricae.

Q. *Appellatio* 1) *quid sit;* 2) *qua in re competat;* 3) *quaenam fuerit sua evolutio historica quoad ordinationem tribunalium, etc.*

R. Remissive ad **n. 886,** sq.

Expositio textus.

Can. 1594. — *De diversis tribunalibus appellationum a tribunalibus ordinariis primae instantiae.*

Q. I. *Quodnam sit tribunal secundae instantiae pro appellationibus a tribunali* 1) *Episcopi Suffraganei;* 2) *Metropolitae, seu Archiepiscopi habentis Suffraganeos;* 3) *Archiepiscopi carentis Suffraganeis, et Ordinarii loci exempti;* 4) *Religiosorum exemptorum;* 5) *Abbatum localium;* 6) *Ordinarii loci in causis religiosorum.* 156.

R. ad tria priora ex § § 1, 2, 3 h. c.; ad cetera ex § 4; videlicet:

§ 1. **A tribunali Episcopi Suffraganei appellatur ad Metropolitam.**

§ 2. **A causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita fit appellatio ad loci Ordinarium, quem ipse Metropolita, probante Sede Apostolica, semel pro semper designaverit.**

§ 3. **Pro causis primum agitatis coram Archiepiscopo qui caret Suffraganeis vel coram loci Ordinario immediate Sedi Apostolicae subiecto, fit appellatio ad Metropolitam, de quo in can. 285.**

§ 4. **Inter religiosos exemptos, pro omnibus causis coram Superiore provinciali actis tribunal secundae instantiae est penes supremum Moderatorem; pro causis actis coram Abbate locali, penes supremum Moderatorem Congregationis monasticae; pro causis vero de quibus in can. 1579, § 3, servetur praescriptum §§ 1, 2, 3 huius canonis.**

... Superiore provinciali... Quid si, constitutionibus ita

caventibus (c. 1578, 1579, § 1), causa acta fuit vel in prima instantia coram iudice ordinario, non delegato, infra Provincialem, vel coram supremo Moderatore? In primo casu, nisi in constitutionibus aliud caveatur, tribunal secundae instantiae erit penes iudicem, qui, secundum constitutiones, sit immediate superior eo qui iudicavit in prima intantia; hoc enim expostulat ordo appellationum. In altero casu tribunal est penes Sacram Rotam, vi c. 1599, § 1, 1°.

. . . **coram Abbate locali**: in sensu canonis 1579, § 1, id est, **si**, vel etiamsi **monasterium sit sui iuris. — . . . Congregationis monasticae**: cum autem hic non apponatur clausula, *nisi aliud in constitutionibus caveatur*, dicendum est indici his verbis ius seu ordinem appellandi in secunda instantia ad supremum Moderatorem, si constitutiones sileant, et etiam si prohibeant (c. 6, 1°).

157. Q. II. *Quinam sit ordo appellationis a iudice delegato.*

R. Deest in Codice praescriptum expressum de hac re. Quapropter, sumpta norma, iuxta c. 20, ex generali principio iuris, quod appellationes debent fieri, non per saltum vel omisso medio, sed ad iudicem immediate superiorem (cap. 3 *De appell.*, in VI; *Concil. Trid.* Sess. XXII, c. 7 *de ref.* et Sess. XXIV, c. 20 *de ref.*), dicendum est appellationem a iudice delegato fieri debere ad delegantem, et appellationem a subdelegato fieri ad subdelegantem, si hic non delegaverit totam iurisdictionem (cap. 10 *De off. Delegati* in VI), aliter vero ad delegantem.

In quod animadvertere iuvat quod appellatio a delegato ab Episcopo facienda est ad officialem eius, nisi Episcopus aliud expresse voluerit; nam iurisdictio, per delegationem ab eo subtracta officiali quoad illam causam in prima instantia, non intelligitur subtracta quoad eamdem in secunda instantia (Cf. Schmalzgrueb., *I. E. U. De appellat.* n. 53).

158. **Can. 1595.** — Q. *Tribunal appellationis quomodo debeat* 1) *constitui, et* 2) *regi.*

R. ex h. c. **Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet; et eaedem regulae, accommodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt.**

. . . **eodem modo**: id est, debet constare ex *officiali* (c. 1573), *notario* (c. 1585), *promotore iustitiae* et *defensore vinculi* (c. 1586), *cursoribus* et *apparitoribus* (c. 1591), etc., quoties praedicti

canones sint eidem applicabiles. Hisce autem muneribus fungi intelliguntur eaedem personae quae in curia appellationis exerunt munera eiusdem generis pro causis in prima instantia.

. . . **regulae**: ut puta, circa citationem, testes et attestationes, disciplinam in tribunali servandam, ordinem cognitionum, etc. — . . . **accommodatae ad rem**: sic, pro oblatione libelli valet interpositio appellationis cum regulis ei adnexis; loco contestationis litis stat introductio appellationis cum normis in ea servandis.

Can. 1596. — Q. *An, et quaenam causae cognosci debeant aut possint collegialiter in secunda instantia.* 159.

R. **Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet.**

Ex quo non sequitur quod, si causa in prima instantia fuit cognita ab unico iudice, non possit collegialiter cognosci in secunda instantia; adest enim rationis disparitas: hinc iudex appellationis, si sit Ordinarius, uti potest iure concesso in c. 1576, § 2.

CAPUT III.

De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus.

Expositio rubricae.

Q. *Quid venit hic nomine ordinariorum.* . . . . . 160.

R. Tribunalia *ordinaria* opponuntur heic *extraordinariis*, non modo *delegatis*. De istis fit sermo in cap. IV subsequenti. Porro Tribunalia *extraordinaria* sunt Tribunal *a*) S. Officii pro causis fidei; *b*) S. C. Rituum pro causis beatificationis et canonizationis Sanctorum; *c*) Concilii Generalis seu Oecumenici. — Accedit Tribunal Rotae Matritensis.

Expositio textus.

Can. 1597. — Q. *Quisnam in Ecclesia ius dicit in ultima instantia, respectu quorum, et, in via ordinaria, quot modis.* 161.

R. **Romanus Pontifex pro toto orbe catholico ad normam can. 1569 iudex est supremus, qui vel ipse per se ius dicit, vel per tribunalia ab ipso constituta, vel per iudices a se delegatos.**

... **catholico**: id est, quoad personas et quoad res totius orbis Religioni Catholicae subiecta; de illis enim, sive personis sive rebus, quae extra Ecclesiam sunt, nec quidem Summus Pontifex iudicare solet, etiam cum possit. — ... **ad normam c. 1569**: scilicet, quoad quamlibet causam sive contentiosam sive criminalem (*ibid.*, § 1); et suspenso exercitio iurisdictionis in iudice quando sententiam definitivam tulit contra quam interposita fuerit appellatio, non autem quando, causa iam incepta, alia ediderit decreta aut acta contra quae interpositus fuerit alius recursus, nisi constiterit S. Sedem causam ad se advocasse (*ibid.*, § 2). — ... **supremus**: a quo, nimirum in quacumque instantia iudicet, non datur appellatio, quia **Prima Sedes a nemine iudicatur** (c. 1556). — ... **per se**: quod raro quidem, sed non extraordinario modo contingit. — ... **per tribunalia ab ipso constituta**: modo stabili et cum potestate ordinaria, scilicet, *S. R. Rotam*, *et Signaturam Apostolicam*. — ... **per iudices a se delegatos**: ad normam cc. 1606, 1607.

Art. I. — De Sacra Romana Rota.

Expositio rubricae.

162. Q. *Tribunalis S. R. Rotae* 1) *nomen, origo historica et primi legislatores;* 2) *prisca constitutio;* 3) *competentia in diversis temporibus;* 4) *antiquus modus procedendi;* 5) *cessatio post Gregorium XVI;* 6) *restitutio per Pium X.*

R. I. 1) Plura fuerunt a medio aevo et deinceps tribunalia collegialia, civilia et ecclesiastica, quae nomine *Rotae* decorata sunt, ut illa Florentiae, Bononiae, Genuae, Luccae, Senae, Matriti; quod postremum adhuc exsistit, et est Apostolicum, quippe cui praesidet Nuntius Apostolicus penes Regem Catholicum.

Sed celeberrimum evasit *Tribunal Rotae Romanae*. Nomen accepit, iuxta aliquos, a mensa seu tabula circulari, ad quam sedebant iudices, aliis alias nominis causas afferentibus. Solutionem quaestionis videtur praebuisse cl. P. C. Ehrle, Custos Archivi Vaticani (1), qui incumbens in investigationem descriptionis Palatii Avenionensis, invenit mentionem fieri pluries *rotae Auditorum*, quo nomine (rotae) significatur *pluteum*, libris sustinendis aptum, rotis ita instructum ut circumagi posset.

(1) *Hist. Bibliothecae Rom. Pont. tum Bonifacianae tum Avenionensis*, p. 696. Cf. tamen Ojetti. *De Romana Curia*, n. 137.

2) Origo huius tribunalis, ait Lega, in tenebris delitescit remotioris antiquitatis, adeo ut nonnulli eruditi non dubitent illud ad ipsa Sedis Romanae Apostolica tempora referre Certum est autem quod sub nominibus *Rotae*, *Auditorii*, *Cappellae*, *Consistorii*, *Presbyterii*, initium repetit ex primordiis Ecclesiae Romanae, et continuationem habuit usque ad nostra tempora. Initium illius fuerunt Consiliarii familiares Summi Pontificis, seu *Cappellani Papales*, in iure ecclesiastico et civili doctissimi, qui propius adstabant Summo Pontifici, dum statis hebdomadae diebus, corona seniorum vel presbyterorum circumdatus, ad suam *audientiam* vel ad *consistorium* admittebat antistites et fideles qui, per se vel procuratores, ex toto orbe terrarum confluebant quo gratias obtinerent, aut dubiorum resolutiones, aut litium compositiones.

Etenim S. Pontifex omnibus ad se, ut dictum est, recurrentibus responsum illico regulariter dabat, requisito, prout et quando Ei placuisset, aliquorum vel omnium seniorum assistentium consilio. Tamen, praecipue postquam, decursu temporis, negotia multiplicata sunt et in dies devenerunt magis implexa, plura, magis difficilia, deferebat suis Cappellanis, qui ea attentius perpenderent, *auditis partibus*, unde ortum est nomen *Auditoris* datum Cappellanis Papalibus et deinde Rotae iudicibus. Hi igitur causam sibi demandatam diligenti inquisitione *facti* et *iuris* parabant solutioni praebendae a S. Pontifice, qui eam auctori quaesiti intimabat per decreta scripta, quae *epistolae decretales* appellatae sunt, et ad Collectiones Canonicas pertransierunt, et tandem, in Collectionibus authenticis adunatae, Ius novum, usque ad Codicem vigens, constituerunt. « In iisdem Decretalibus non desunt exempla, ait Lega, *l. c.*, quibus comprobatur iam sub saeculo XIII coepisse uni, sed frequentius pluribus Auditoribus collegialiter delegari ipsam iurisdictionem ad causas iudicialiter instruendas et definiendas ; unde sensim constitui coepit ex Auditoribus quoddam collegium, hoc habens quasi ordinarium munus, expediendi scilicet iudicialiter causas eidem commissas ex delegatione S. Pontificis ».

3) « Huic tribunali, ait idem auctor, *l. c.*, certas leges statuere coepit Ioannes XXII, Const. *Ratio iuris exigit*, a. 1421 ; cuius constitutionem et normas iudiciales melius determinarunt praecipue Martinus V, Const. *Romani Pont. providentia*, a. 1421 ; Innoc. VIII, Const. *Finem litibus*, a. 1487 ; Pius IV, Const. *In throno iustitiae*, a. 1561 ; Urb. VIII, Brevibus *Cum sicut nobis*, a. 1637 et *Exponi nobis*, a. 1643. — Alii Pontifices certatim

hoc tribunal privilegiis honestarunt ac grati et reverentis animi attestationibus prosecuti sunt. Haec documenta legi possunt apud Bernino, *Il tribunale della S. Rota Rom.*, scriptorem hac de re principem. — Demum Gregorius XVI in suo *Codice* edito a. 1834, plura reformavit in hoc Tribunali ».

163. *R.* II. 1) Principio constabat magno *Auditorum* numero, plus minusve *triginta*, qui ex omnibus fere nationibus deligebantur, ut, super quaestionibus vel negotiis ex qualibet earum provenientibus, adesset qui S. Pontifici notitiam praeberet. Sixtus IV, a. 1472, reduxit ad numerum Apostolorum seu duodenarium, quibus, titulo *Decani*, praeesset, quasi *primus inter pares*, antiquior cooptatione in collegium. Usque ad finem saeculi XVIII tres erant ex Urbe Roma, unus e Tuscia, unus Bononiensis, unus e Ducatu Ferrariensi, unus ex imperio Austriaco, unus e Gallia, duo ex Hispaniis, unus e republica Veneta, unus e Ducatu Mediolanensi. In designatione attendebatur praesentatio vel commendatio Principis saecularis, sed Auditor, semel nominatus, immunis erat a iurisdictione sui Principis: gaudebat insuper inamovibilitate.

2) Singulare fuit huic tribunali ut, quamvis illud esset *ordinarium*, Auditores singulas causas videbant *ex Commissione Papae* per Decanum, « atque iure delegati non autem ordinarii iudicis metiendi erant » (1). Verum Gregor. XVI nonnullas causas S. Rotae attribuit iudicandas absque ulla commissione. Attamen Const. Mart. V, *Rom. Pont. providentia*, cautum fuit ut unica commissio potestatem conferret necessariam pro causa cum accessoriis instruenda, et sententia proferenda atque exsecutioni mandanda.

3) « Ob praestantiam Auditorum S. Rotae doctrinaeque famam, ait Lega, *l. c.* n. 49, eisdem causas ex commissione Rom. Pont., et nonnumquam praevia litigantium postulatione, consueverunt demandari non qua *iudicibus Auditoribus*, sed qua *Praelatis*, aliquando etiam uti *arbitris;* sed notat De Luca, *l. c.* n. 35 in summario: « Auditor non decidit causas etiam compromissas non audito voto Rotae ».

4) Singuli Auditores habebant *Studii adiutorem* seu *auditorem* et unum aut alterum *adiutorem Studii*, qui *secreti* (a secreto servando) vocabantur. « Vetus enim est, et admodum laudabilis mos in curia, ut in maioribus tribunalibus iudex suum habeat *Studium*, cui addicantur probati iuvenes qui iu-

(1) Card. De Luca, *Relatio Curiae Romanae*, *Disc.* 32, n. 5.

dicem adiuvent in studio causarum incumbentes in diligentem quaestionis *facti et iuris* inquisitionem. Exinde enim iudici magnum comparatur auxilium ; iuvenibus vero optima schola seu palaestra qua in praxim traducant abstractas iuris notiones » (1).

R. III. Ordinario habitum fuit uti *tribunal supremum* pro recipiendis appellationibus a sententiis iudicum universae terrae ; cum autem ratione Primatus S. Pontificis plures causae ad ipsum deferrentur iudicandae in prima instantia, illas quoque contingebat tribunali Rotae committi. Quam competentiam magis confirmavit et expressit Ben. XIV Const. *Iustitiae et pacis ;* et eamdem melius determinavit tum distinguendo *causas rotales*, quae, nimirum decidendae erant servatis regulis illius tribunalis, a *causis praelatitiis*, quae debebant committi Praelatis extra Rotam vel Auditoribus Rotae uti Praelatis, et extra stylum Rotae poterant definiri, tum recensendo causas graviores sive in Urbe sive extra iudicatas quae introduci poterant in *Tribunali Auditoris Camerae* vel apud *Cardinalem Vicarium* (si iudicatae extra Romam) vel in *Auditorio Rotae.* **164.**

2) Sed Codex Gregorianus profundam induxit mutationem, primo distinguens S. Rotam uti tribunal *ordinarium* et tribunal *extraordinarium.* « Iudicat uti Tribunal *ordinarium* et absque commissione in causis appellationum aut restitutionis in integrum pro Urbe Roma et Statu (Pontificio civili) : iudicat uti Tribunal *extraordinarium* auctoritate commissionis seu delegationis Principis in causis de valore rescriptorum Pontificalium et in causis Statuum exterorum, quando ad eius iudicium deferantur » (art. 327). Quae ordinaria competentia absque necessitate commissionis vigebat quoque pro negotiis ecclesiasticis, ut apparet ex art. 377, 378, 379, 381.

3) Interdum Rota suam competentiam exercebat *ad instar Coetus consiliarii ;* cum nimirum S. Pontifex causam committebat alicui S. Congregationi vel alicui tribunali inferiori, *cum voto Rotae* in primo casu, ob praestantiam SS. Congregationum, *cum voto vel de voto Rotae* in altero casu, in quo, si rescriptum commissionis prodiisset cum clausula de voto Rotae, tribunal inferius sequi tenebatur votum Rotae, quae tunc *periti* seu *consiliarii* munere fungebatur.

R. IV. 1) Iudicia fiebant per turnos quatuor iudicum. **165.**

2) Quoad causas in prima instantia tractandas, in stylo Rotae *rescriptum commissionis* Auditori traditum per Decanum

(1) Lega, *l. c.* n. 52.

aut *deputatio Auditoris* (quando non dabatur commissio) locum tenebat *supplicis libelli.*

3) Auditor, uno ex praedictis modis deputatus, constituebat *ipso facto* turnum cum duobus eum subsequentibus ordine antiquitatis, et deveniebat *Ponens* cum iure et onere peragendi citationes, inhibitiones, monitoria, ac instruendi causam per probationes.

4) *Litis contestatio* fiebat per *propositionem dubii*, cuius formula desumebatur ex natura rei controversae.

5) Porro *instructio causae* ad normas iuris communis perficiebatur.

6) Quod attinet ad causas *in gradu appellationis*, constitutio turni et Ponentis determinabantur pariter per deputationem Auditoris aut traditione rescripti commissionis.

7) Actis primae instantiae ad Ponentem transportatis, pars diligentior citabat aliam coram Iudice Ponente ad *concordandum dubium*, sin minus, ea non comparente, ad sinendum subscribi dubium, cuius copia in citatione transmittebatur.

8) Pro antiquo stylo curiae formula dubii erat communis, videlicet: *An sententia curiae vel tribunalis* N. *sit confirmanda* vel *infirmanda in casu;* postmodum Rota solita est hanc formulam adhibere pro suis sententiis, quoad sententias vero ab aliis tribunalibus latas appositam dubii concordationem expostulabat a partibus; quam praxim Gregorius XVI confirmavit in suo Codice.

9) Citationi pro concordatione dubii adnecti solebat invitatio ad determinandum diem propositionis causae; in qua dignae sunt mentione appellationes quibus designabantur diversa vacationum tempora. Clausula *ad calendas*, vel *post aquas*, scilicet, autumnales, significabat causae tractationem differri ad calendas Novembris, vel post vacationes autumni. Clausula *ad Reges* vel *post Reges* exprimebat causae dilationem usque ad Epiphaniam: *ad pisces* dicebatur differri causa tractanda tempore quadragesimae post baccanalium ferias; *post agnos* vel *ad agnos* differebatur causa tractanda post vacationes Paschae; *post ignes*, usque post ferias Pentecostes.

10) Praeter informationes in scriptis aut viva voce factas coram Ponente prout incidentia litis emergebat, biduo ante diem propositionis causae advocati et procuratores informabant in scriptis et oretenus Ponentem et Auditores reliquos de turno, et, si opus esset, respondebant; die autem propositionis Ponens legebat in tribunali relationem omnium actorum et proba-

torum. Antiquitus Ponens non gaudebat iure suffragii, tamen postea Ben. XIV ei concessit votum deliberativum in aliquibus casibus, Gregorius vero XVI in omnibus indiscriminatim. Alii Auditores vota deferebant scripta, ex quibus, traditis Ponenti, hic exarabat decisiones, exornatas argumentis iuris et facti, quae continebantur in votis Auditorum.

11) Nisi in commissione vel alio decreto poneretur clausula: *videant omnes*, causa definiebatur ab ordinario turno. « Id autem, ait Lega (1), quod maiori parti placuit nondum sententiae iudicialis vim habet sed tantum *opinamentum iudicum* continet partibus litigantibus manifestandum, ut eidem contradicant vel acquiescant; unde denique deveniatur ad *sententiam definitivam*. Ponens allegationem partium Auditoribus Corresponsalibus deferebat qui cum eo decernebant utrum *nova audientia* concedenda esset, an potius esset *locus expeditioni sententiae*. In priori casu resolvebatur dubium: *an sit standum vel recedendum a decisis* ».

12) Appellatio dabatur non a *decisione* (hinc nova audientia habebatur coram eodem turno) sed a *sententia* quae expediebatur conformis decisioni. Iudices appellationis erant alii quatuor Auditores, illi nimirum qui e laeva sedebant Auditoris Ponentis.

166. *R.* V. Licet ad conciliandam tanto tribunali reverentiam *a*) cautum fuisset ut nonnisi viri doctrina et moribus magnopere praestantes in illud cooptarentur, unde Auditores Rotae appellati sint antonomastice *Magistri; b*) plures caeremoniae valde solemnes planeque singulares in eorum institutione et intronizatione servarentur, inter quas iteratae visitationes et obsequia aliis Auditoribus, adeo « ut, ait De Luca (2) in huiusmodi aliisque caeremoniis plurium mensium spatium decurrat »; *c*) notabilis magnificentia in eorum vestibus et conventibus refulgeret, et denique, *d*) extraordinaria frequentia in eorum funeribus curaretur; nihilominus, progressu temporis, post innumera et insignia servitia Ecclesiae et societati civili praestita, paulatim decrevit, et tandem, pluribus annis ante decretum codificationis Iuris Canonici scilicet, post Gregorium XVI, omnino cessaverat.

167. *R.* VI. Tandem S. P. Pius X, codificatione vix incepta, illud restituere cogitavit, prout sua Const. *Sapienti consilio* restituit a. 1908. Quam sapienti consilio apparebit vel ex ipsa

(1) *De Iudic.*, Vol. II, n. 73.
(2) *Relatio Curiae Rom.*

relatione canonum quos statim transcribimus et commentamus. Causam restitutionis ipsemet S. Pontifex exprimit his verbis : « Quum Sacrae Romanae Rotae Tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut Sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur... non solum iubemus per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes... ».

Expositio textus.

Can. 1598. — *De constitutione et modo procedendi Tribunalis S. R. Rotae.*

168. Q. I. *Tribunal ordinarium S. Sedis pro appellationibus a) quodnam, et b) quale.*

R. ex h. c., § 1. **Tribunal ordinarium a Sancta Sede constitutum pro appellationibus recipiendis est Sacra Rota Romana, quae est tribunal collegiale constans certo Auditorum numero cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.**

Tribunal: strictissime tale, id est, fori externi; pro foro interno adest S. Poenitentiaria. — ... **ordinarium**: ratione *a) potestatis*, quae in toto tribunali est ordinaria, licet in singulis iudicibus seu auditoribus sit delegata; *b) materiae*, quia iudicat de omnibus causis expresse non exceptis (cf. c. 1600, 1601); *c) institutionis*, quae est stabilis seu permanens, et non transitoria. — ... **a Sancta Sede**: est, igitur, humanae originis, et proinde potest mutari. — ... **pro appellationibus**: principaliter; iudicat enim etiam in prima instantia de aliquibus causis (c. 1599, § 2). — ... **certo**: ad praesens, vi *Legis propriae*, c. 1, denario numero. — ... **auditorum**: id est, iudicum stricte talium, qui, tamen, in memoriam originis ipsorum ex Cappellanis seu Auditoribus S. Pontificis, retinent nomen Auditorum. — ... **pares**: quapropter Decani ordinationes non habent quoad ceteros Auditores naturam legis aut praecepti, quia *par in parem imperium non habet*, sed merae regulae directivae, pro ordinata expeditione negotiorum Tribunalis, quae tamen eos obligant in conscientia.

Nota. Praeter Auditores seu iudices, adsunt in S. R. Rota 1) *Adiutores studii*, id est totidem Sacerdotes in iure canonico

laureati, singulis Auditoribus addicti; 2) *Promotor iustitiae;* 3) *Defensor vinculi matrimonii*, et *sacrae ordinationis;* 4) *Notarii*, quot sunt necessarii, duo saltem Sacerdotes pro causis criminalibus clericorum et religiosorum; 5) *nonnulli laici* pro custodia aulae et officii cursorum et apparitorum. (Cf. *Lex propria* S. R. Rotae et Signaturae Ap.cae).

Q. II. *Auditores, a) quales, et b) a quo eliguntur?* 169.

R. ex h. c., § 2. **Ii sacerdotes esse debent laurea doctorali in utroque saltem iure praediti.**

§ 3. **Auditorum electio Romano Pontifici reservatur.**

... sacerdotes ... laurea doctorali ...: *spectata morum probitas*, imo sanctitas, qualis praesupponitur in iis qui Deo ministrant, et probata *iuris peritia;* en qualitates quas S. Sedes expostulat pro suis iudicibus: praeterea nihil; non ortus nobilitatem, non propaginis aut nationis celsitudinem. Ubi primum autem electi sunt, in dignitate praelatitia constituuntur (*Lex propria...* c. 1). — **...in utroque iure:** canonico, scilicet, et civili.

Utro autem iure civili? Num romano quod olim ubique gentium civilium viguit, an eo quod nunc penes singulas nationes excultas viget? Equidem, iuxta stylum Romanae Curiae, nomine iuris civilis sine additamento venit ius romanum; nihilominus putamus acceptandam fore a S. Pontifice, uti sufficientem, lauream in iure nationum Europae et aliarum ex eis propagatarum: quia *a*) ius romanum est veluti generale substratum iuris civilis earumdem; *b*) praecipua instituta iuris romani sunt iuri cuiusque nationis incorporata, etsi mutata quoad plura; *c*) laureandi in patrio iure incumbere coguntur studio iuris romani, non modo tamquam antecedenti historico, verum etiam uti fundamento iuridico.

... electio: omnino libera, non ad praesentationem alicuius, ut in antiqua Rota eveniebat quoad Auditores ex Gallia, Hispania et Austria.

Q. III. *Duplex modus procedendi.* 170.

R. ex h. c., § 4. **Sacra Rota ius dicit aut per singulos turnos trium Auditorum, aut videntibus omnibus nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat.**

...per singulos turnos: id est, *in forma ordinaria.* Tunc autem, *a*) turni non ad arbitrium eliguntur, sed iuxta ordinem immutabilem praestitutum c. 12 *Legis propriae; b*) praeses turni est etiam *Ponens* seu *Relator* causae; *c*) litterae pontificiae commissoriae, aut appellationis libellus ad S. Rotam missus, ex

Decani mandato transmittuntur turno; qui procedit ad eius examen iuxta ordinarias iuris normas (c. 19 *L. P.*); *d*) non obstante can. 22, 2 *Legis propriae*, si contigerit causam tractari debere in prima instantia, et, proinde, processum instrui, Ponens, ex recenti dispensatione Pontificia, est etiam actorum instructor in contentiosis, non autem in criminalibus.

... videntibus omnibus: seu *in forma speciali;* hic modus procedendi adhibetur quando iudicat de causa *in integrum restituta* et ei remissa a Sign. Ap.ca (c. 41 *L. P.*), et si pontificia Commissio facta sit *videntibus quinque*, vel *septem*, vel *omnibus Auditoribus*. Quandoque causa committitur dumtaxat *pro voto*, ut fieri solet quoad supplices libellos ad Sanctissimum porrectos (c. 1603, § 2). In omnibus his casibus S. Rota, servato in primis tenore rescripti, in reliquis debet procedere iuxta regulas iuris communis et sibi proprias (c. 19, 2, *L. P.*).

171. *Nota.* Quamplura dici possent de modo procedendi apud S. R. Rotam, desumenda ex *Lege propria*... et ex *Regulis servandis in praecipuis actis iudiciariis apud S. R. Rotae Tribunal:* sufficiat innuere haec magis necessaria cuicumque coram ea sive convento sive agere volenti, videlicet:

1) Partes *per se ipsae* possunt iura sua dicere coram S. Rota; sed pro causa oraliter forte ante sententiam disputanda debent adhibere advocatum.

2) *Advocatus* eligi debet inter approbatos a S. Rota.

3) Advocato, aut qua consultori et adsistenti, aut qua patrono seu procuratori debent partes tradere *mandatum in scriptis*, tribunali exhibendum.

4) Causa introducta, non modo actor, verum etiam reus, si ipsius intersit, Ponentem rogabit ut diem dicat alteri parti pro contestatione litis seu *concordatione dubiorum*.

5) Elapso citationis termino, Ponens, vel ad instantiam partis comparentis, vel *ex officio*, potest alterius partis aut istius procuratoris non comparentium *contumaciam declarare*, et subinde formulas dubiorum proponere, et diem rotalis audientiae determinare: quod si contumacia non declaretur, Ponens decernit notificari parti actus, ea vel procuratore non praesente, positos, ut valeat eos impugnare.

6) Acta quaelibet, contra quae expostulatio facta sit, *exhibenda sunt* S. Rotae saltem decem dies ante litis contestationem; documenta in propriae thesis suffragium triginta saltem dies ante causae discussionem. Exhibenda sunt in forma authentica, colligata in fasciculo et cum adiecto indice.

7) *Defensio* typis est imprimenda, et duplici exemplari distribuenda singulis iudicibus, notariis, etc.: defensioni adiungatur summarium, typis pariter impressum, cum potioribus documentis.

8) Responsiones, cum novis forte documentis, exhibendae sunt decem dies ante causae discussionem.

9) Defensionis scriptura excedere non debet *viginti paginas* folii romani impressi; responsionis vero decem paginas.

10) Defensionis et responsionis *exemplaria*, antequam edantur, exhibenda sunt Ponenti vel eius Adiutori a studiis pro evulgationis facultate.

11) Acta quaelibet exarari debent in foliis *sigillum S. Apostolicae* referentibus, exceptis primo supplici libello et foliis typis edendis. Pretium uniuscuiusque folii, triginta linearum in singulis quatuor paginis est lib. 1; at in eodem folio cumulari nequeunt acta diversa, etiam eiusdem causae.

12) Deponenda est in arca nummaria S. Rotae *summa pecuniae* a 100 ad 500 lib.

13) Pauperibus ius est exemptionis ab expensis et gratuiti patrocinii; qui pauperes absolute non sunt, sed tamen omnibus expensis ferendis sunt impares, ad earum *reductionem* ius habent. Utrique, in supplici speciali libello Praesidi turni, debent *a*) conditionem suam adductis documentis comprobare; *b*) et demonstrare se non futilem aut temerariam causam agere.

Can. 1599. — *De competentia S. R. Rotae.*

Q. *Quasnam causas iudicat S. Rota* 1) *in secunda instantia;* 172.
2) *in ultima instantia;* 3) *in prima et secunda et tertia.*

R. ex. h. c., § 1. **Sacra Rota iudicat:**

1° In secunda instantia causas quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferantur;

2° In ultima instantia causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint.

§ 2. **Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas de quibus in can. 1557, § 2 aliasve quas Romanus Pontifex sive motu proprio, sive ad instantiam partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota iudicat quoque in secunda et tertia instantia ope turnorum qui sibi invicem succedunt.**

. . . **a quorumvis Ordinariorum tribunalibus**: tum Ordinariorum loci tum Ordinariorum Religiosorum: uno verbo, a tribunalibus ordinariis in sensu rubricae cap. I. Tit. II. huius Libri, prout ea opponuntur tribunalibus Sedis Apostolicae, sive haec ordinaria sive delegata potestate iudicent. — . . . **in primo gradu**: ergo S. R. Rota concurrit cum Ordinariorum tribunalibus in secunda instantia, non in prima, circa quam servandi sunt cc. 1572, 1579, salvis c. 1569, § 1 et h. c. § 2. — . . . **diiudicatae**: idest tractatae in forma iudiciali (c. 1552-1998), et decisae per sententiam *definitivam*, vel quae **habeat vim definitivae, nisi** etc. (c. 1880, 6°). — . . . **per appellationem legitimam**: idest, non contrariam sacris canonibus appellationem prohibentibus (cc. 1880, 666), vel sollemnitates aut requisita appellationum statuentibus (cc. 1881, 1882, 1883, 1886, 1891).

. . . **in rem iudicatam**: ut puta, causae matrimoniales (c. 1989).

. . . **ope turnorum**: ita nimirum, ut « si iudicata iam ab uno turno aliqua causa, opus sit secunda sententia, eam videt turnus qui proxime subsequitur... Et si opus sit tertia sententia, eodem modo turnus qui duos praecedentes proxime subsequitur, causam videndam suscipit » (c. 12 *L. P.*).

173. **Can. 1600.** — *De incompetentia S. Rotae quoad causas.*

Q. *Quaenam causae excluduntur a competentia S. R., et qualiter.*

R. **Causae maiores penitus excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.**

. . . **maiores**: sive tales sint ratione *obiecti*, sive ratione *personarum* (c. 15 *L. P.*). Ad primum genus pertinent causae fidei reservatae Tribunali S. Officii (c. 247), et causae beatificationis et canonizationis Sanctorum, vi cc. 253 et 1999; ad alterum spectant causae ipsi Romano Pontifici reservatae vi c. 1557, § 1. — . . . **penitus**: hoc est, *absolute;* quapropter « defectus auctoritatis S. Rotae in videndis causis (praedictis) est absolutus, ut ne obiter quidem de his cognoscere queat, et, si tamen sententiam proferat, haec ipso iure sit nulla » (c. 17 *L. P.*). — Excluduntur quoque, ut dictum est in com. ad can. praecedentem, causae dimissionis religiosorum.

174. **Can. 1601.** — *De incompetentia S. Rotae quoad decreta.*

Q. *An et qualiter excludantur a competentia S. Rotae Ordinariorum decreta.*

R. **Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed de eiusmodi recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregationes.**

...decreta: id est, quaelibet dispositiones, « quae non sint sententiae forma iudiciali latae » (c. 16 *L. P.*), ut puta, ea quae indigitantur cc. 2142-2194, remedia poenalia (cc. 2306-2311), poenitentiae (2312-2313). — **...recursus**: ita proprie dicitur appellatio extraiudicialis seu provocatio contra decreta, aut contra sententiam iudicialem futuram; appellatio proprie talis, et sine additione, est appellatio iudicialis, seu provocatio contra sententiam stricte talem, seu iudicialem, et quidem latam. Agedum, contra Ordinariorum decreta non datur recursus ad S. Rotam, quae est Tribunal, sed ad Sacras Congregationes. — **...exclusive**: ergo incompetentia S. Rotae est absoluta, et si tamen vel iudicialiter vel extraiudicialiter cognosceret, nihil ageret (cf. c. 17 *L. P.*).

Art. II. — De Signatura Apostolica.

Expositio rubricae.

Q. I. *Signaturae Apostolicae* 1) *ortus*, 2) *in diversis tempo-* 175.
ribus constitutio, 3) *competentia*, 4) *ratio procedendi*, 5) *cessatio, et* 6) *per Pium X restitutio.*

R. I. *Signaturae* nomen derivatum est *a subsignatione*, quam S. Pontifex solebat apponere decretis ab hoc tribunali editis. Data ortus seu institutionis nequit determinari. Ab initio autem institutionis extitit semper duplex Signatura: alia, nempe, *Iustitiae*, ad dirimenda negotia *iudicialiter* controversa; alia vero *Gratiae*, ad expedienda negotia pure gratiosa; sed una non erat ab alia distincta, usquedum Alexander VI, anno 1492, eas divisit. Quod quidem merito factum fuit, quia cum in illa deberent negotia tractari ad normas rigorosae iustitiae et more iudiciali, in ista vero deliberandum esset utrum expediret ut S. Pontifex aliquid decerneret aut concederet etiam contra ius constitutum, imo, interdum, contra ius tertii, pro suprema Principis potestate, resolutio negotii, prout ad unum vel ad alterum genus pertineret, diversam expostulabat cognitionem et Tribunalis constitutionem.

R. II. Igitur, *Signatura Iustitiae* devenit verum *Tribunal ordinarium*, sententias edens vicè ac nomine S. Pontificis; et ideo, ex hoc secundo capite, superius omnibus aliis Tribu-

nalibus, v. g. Camerae Apostolicae et S. Rotae, ex primo autem capite, valorem tribuens suis actis quin Papae signaturam deinceps referrent. Coalescebat ex *Praeside*, qui erat Cardinalis, et ex duplici ordine officialium seu Praelatorum ; quorum alii dicebantur *Praelati votantes*, et erant veri iudices, quia habebant votum decisivum, alii autem appellabantur *Praelati referendarii*, quia, per turnum, causas iudicibus referebant.

R. III. *Competentia*, ante cessationem temporalis Principatus S. Pontificis versabatur circa negotia tum civilia tum ecclesiastica. Quoad priora, ex Codice promulgato a Gregorio XVI a. 1834, art. 338, iudicabat, 1) de *circumscriptione* seu rescissione actorum iudicialium, 2) de competentia inter tribunalia, 3) de unione et causarum avocatione, 4) de recusatione iudicum, 5) de petitione restitutionis in integrum. Quod attinet ad negotia ecclesiastica, a competentia Signaturae excipiebantur S. Congregationes Romanae (art. 385) ; necnon quaestiones de competentia inter ipsas, quae definiri debebant super simplici memoriali Cardinalis Praefecti cum voto consultivo Decani et Subdecani, praevia relatione facta SS.mo.

R. IV. *Processus* erat scricte iudicialis. Instaurabatur per formalem citationem ab una parte provocatam. Succedebant informationes scriptae, summariae, a Praelato Referendario, per turnum, exaratae et distributae Praelatis votantibus et advocatis partium. Inde advocati conficiebant scriptis orationes defensionis, quas iudicibus tradebant. Dein advocati, seorsim, singulos iudices adibant pro eorum *informatione orali*. Tandem omnibus Praelatis votantibus et singulis Referendariis Ponentibus cuiuslibet causae convenientibus in Palatio Praefecti, causa decidebatur maioritate suffragiorum. Pars non acquiescens efflagitabat *beneficium novae audientiae*, quod ipse Praefectus concedere poterat, et regulariter concedebat semper prima vice, non autem altera vice, nisi praevio quodam pecuniae deposito.

R. V. *Signatura Gratiae*, ut aiebat Leo XII in motu proprio 17 Octobris 1826, habenda erat ut *Primum Tribunal*, tum quia gratiosum, tum quia ipse Papa solus iudicem agebat. Idcirco ipsae Sacrae Congregationes Romanae et alii iudices, qui Signaturae Iustitiae non suberant, subiiciebantur Signaturae Gratiae. Sixtus V, sua famosa Const. *Immensa*, eam quasi Cardinalium Congregationem ordinavit; in quam cooptati sunt illi potissimum, qui in aliis SS. CC. Romanis aliquod munus gerebant, ad hoc ut, in conventu cum S. Pontifice, possent ei consilium ferre super gratiis elargiendis aut denegandis. Unus

ex Cardinalibus munere Praefecti fungebatur, sed potius ad caeremoniam, quam ad auctoritatem exercendam.

R. VI. *Competentia* versabatur tota circa conferendas gratias, etiam adversus decreta SS. Congregationum et ipsius S. Pontificis constitutiones et rescripta, v. g. circa rescissionem seu circumscriptionem actorum etiam iudicialium, circa arbitrium *aperitionis oris*, seu concessionis facultatis iudicandi de valore alicuius actus Pontificii, circa alicuius causae, maxime iam inceptae, advocationem a iudice ordinario, etc. Cum unus iudex esset S. Pontifex, unus finis seu limes competentiae praefigebatur, scilicet, prudentia regiminis ; ad quem non praetergrediendum Summi Pontifices constituerunt hoc Tribunal, cuius tamen acta signaturam Papae necessario referebant, et planum est.

R. VII. *Ratio procedendi* conveniebat cum ea adhibita in Signatura Iustitiae ; nisi quod S. Pontifex, auditis Referendariorum informationibus, et requisito, vel minus, omnium aut aliquorum Cardinalium consilio, rem ipse solus decidebat, vel signando rescriptum concessionis vel decernendo repulsam.

R. VIII. Iam tempore Cardinalis De Luca huiusmodi conventus Signaturae cum S. Pontifice rarius haberi solebant, postea magis magisque desueverunt ob pressuram negotiorum animum Supremi Capitis Ecclesiae distrahentium. Ipsum quoque Tribunal *tandem siluit :* Gregorius XVI deputavit Praefectum Cardinalem Tiberi Reatinum, qui anno 1839 mortuus est, et non habuit successorem : gratiarum elargitiones quae in eo deliberari solebant remissae fuerunt consultui SS. Congregationum, maxime vero Concilii.

R. IX. Pius P. X., codificatione Iuris Canonici iam incepta, sua constitutione *Sapienti Consilio* edixit : « Item Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal restituendum censemus, et praesentibus litteris *restituimus* seu *melius instituimus*, iuxta modum qui in memorata Lege (*Lex Propria* S. R. Rotae et Signaturae Ap.) determinatur, antiqua ordinatione Tribunalium *Signaturae papalis, gratiae et iustitiae*, suppressa ».

Expositio textus.

Can. 1602. — Q. *Signaturae Apostolicae praesens constitutio*, *quae ?* 176.

R. **Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal constat nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur.**

Supremum : non absolute, sed inter tribunalia ordinaria S. Sedis : manent insuper Tribunalia extraordinaria (cf. commentar. ad rubr. tit. II). Gerit vices Tribunalis quod in Italia et in Gallia vocatur *Tribunal Cassationis*, et in Hispania et in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis *Tribunal Supremum Iustitiae*. — ... **nonnullis** : a S. Pontifice eligendis: ex *Lege Propria* ... c. 35, sunt sex Cardinales. — ... **Praefecti** : vere talis, id est, ad veram auctoritatem exercendam, non ad meram caeremoniam ut antiquo Tribunali suppresso. Ex eodem c. 35 *L. P.* n. 2, Praefecto dabitur a Summo Pontifice *Adiutor*, seu *a secretis*, qui iuxta regulas eiusdem Signaturae proprias, sub ductu Cardinalis Praefecti, omnia praestabit quae ad propositae causae instructionem eiusque expeditionem necessaria sunt. Ex c. 36 « § 1. Praeter *Secretarium* erit etiam in Apostolica Signatura unus saltem *Notarius*... : habebitur quoque custos conclavium ; prior sacerdos, alter laicus. § 2. Erunt etiam aliquot Consultores, a S. Pontifice eligendi, quibus poterit examen alicuius quaestionis pro voto ferendo committi ».

Can. 1603. — *De competentia Signaturae Apostolicae.*

177. Q. I. *De quibusnam videt potestate ordinaria?*

R. ex h. c., § 1. **Apostolica Signatura videt potestate ordinaria :**

1° De violatione secreti ac de damnis ab Auditoribus Sacrae Rotae illatis eo quod actum nullum vel iniustum posuerint ;

2° De exceptione suspicionis contra aliquem Sacrae Rotae Auditorem ;

3° De querela nullitatis contra sententiam rotalem ;

4° De expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit ;

5° De recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit ;

6° De conflictu competentiae quem enasci contingat inter tribunalia inferiora, ad normam can. 1612, § 2.

... **De violatione secreti** : quod videlicet, servandum est ad normam cc. 1625, et 1623, § 2. — ... **nullum** : intellige, ex culpa iuridica, v. g. temere se competentes declarando (c. 1625, § 1), vel pergendo iudicare causam postquam suam incompetentiam absolutam agnoverint (c. 1611 et 1892), aut admittendo in iudicio personam illegitimam vel sine legitimo mandato

(c. 1892). — ... **vel iniustum** : ut puta si, cum sint certe competentes, ius reddere recusant (c. 1625, § 1), aut denegant appellationem a iure certe concessam, ut in c. 1610, § 3, etc. — ... **De exceptione suspicionis**: ob aliquam ex causis indigitatis in c. 1613, § 1.

... **De querela nullitatis** : saltem quando proponitur seorsim ab appellatione ; de qua, ex iure communi (cc. 1893, 1895) cognoscit ipse iudex qui sententiam nullam tulit ; et, proinde, praescriptum huius canonis constituit quamdam exceptionem pro Tribunali S. Rotae. Quid si querela cumuletur cum appellatione ? De ea, utpote de causa connexa, iudicat, ni fallimur, vi c. 1567, iudex appellationis, id est, turnus rotalis, ad quem appellatio, simul cum querela, delata fuit. — ... **pro restitutione in integrum** : utrum, videlicet, restitutio concedenda sit vel secus, ad normam c. 1905. De restitutione adversus sententias aliorum Tribunalium (cf. c. 1906).

... **De recursibus ... novum examen**: quod, scilicet, post secundam sententiam (c. 1987) intra legitimum tempus (c. 1986) non appellatam, partes forte expostulaverint vi iuris ex eo derivantis quod sententiae in causis matrimonialibus numquam transeunt in rem iudicatam (c. 1989). — ... **De conflictu competentiae** : quando, nempe, Tribunalia inferiora non habent Tribunal superius, et non adsit Legatus Apostolicus (c. 1612, § 2).

Q. II. *De quibusnam videt Signatura Ap. ex potestate delegata ?* 178.

R. ex h. c., § 2. **Videt ex potestate delegata de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectis ad obtinendam causae commissionem apud Sacram Rotam.**

... **per supplices libellos** : continentes petitiones extraiudiciales. — ... **causae commissionem** : quando causae cognitio non spectat ex se ad S. Rotam (c. 1599, §§ 1, 2) nec ipsi commissa est motu proprio S. Pontificis (ibid., § 2, v. *aliasve...*).

Can. 1604. — Q. *Quinam sit ambitus competentiae Signaturae Apostolicae circa suum obiectum.*

R. ex h. c., § 1. **In causa criminali, de qua in can. 1603, § 1, n. 1, si forte locus sit iudicio appellationis, hoc obtinetur penes ipsum Supremum Tribunal.**

§ 2. **In casu suspicionis, Apostolica Signatura definit utrum sit locus recusationi Auditoris, necne ; quo facto, iu-**

dicium ad Sacram Rotam remittit, ut, secundum suas regulas ordinarias, procedat, Auditore, contra quem exceptio mota fuit, in suo turno manente vel excluso.

§ 3. **In casu querelae nullitatis aut restitutionis in integrum aut recursus de quibus in can. 1603, § 1, nn. 3, 4, 5, de hoc tantum iudicat num sit nulla sententia rotalis, num locus sit restitutioni vel recursus sit admittendus; et nullitate declarata aut restitutione concessa vel admisso recursu, causam remittit ad Sacram Rotam, nisi Sanctissimus aliter providerit.**

§ 4. **In examine supplicum libellorum Signatura, habitis opportunis notitiis et auditis iis quorum interest, decernit utrum precibus annuendum sit, necne.**

In causa criminali: ergo Signatura Ap., quod attinet ad rem criminalem, iudicat de causis *emergentibus*, id est, de delicto Auditorum consistente sive in violatione secreti sive in positione actus nulli aut iniusti, et de damnis ortis ex illis delictis; de causa autem *principali*, sive contentiosa sive criminali, cuius occasione praedicta delicta aut damna emerserunt, non cognoscit nisi quatenus opus sit ad illa delicta investiganda et damnorum quantitatem dimetiendam — **... iudicio appellationis ... penes ipsum:** igitur, de praedictis iudicat in prima, et in secunda aut ulteriori instantia. — **... utrum sit locus recusationi:** et proinde, utrum existat aliqua ex causis suspicionis quae in c. 1613 indigitantur. Iudicat igitur in hac re de causa incidentali tantum; et quidem inappellabili sententia (c. 1880, 1°); quo facto, iudicium, id est, cognitionem causae principalis, remittit ad S. Rotam. — **... excluso:** quem « praevio Decani decreto, supplet primus Auditor liber, non proximi quidem turni, sed alterius subsequentis » (c. 12, 5 *L. P.*).

... num sit nulla: ad normam cc. 1892, 1894; et proinde heic iudicat quidem causam principalem, non autem *de merito*, seu iustitia intrinseca, sed *de forma*, seu iustitia extrinseca. — **... restitutioni:** seu remedio extraordinario; id est, utrum *a*) res iudicata sit evidenter iniusta (c. 1905), et *b*) non supersit aliquod remedium ordinarium (*ibid.*). Iudicat proinde, in hoc casu, causam principalem, et quidem *de merito*, *non autem absolute*, sed quatenus iniustitia sit evidens, et non aliter. — **... recursus sit admittendus:** in quem finem perpendit utrum rationes allatae in petitione novi examinis sint tales quae possint efficaciter influere in mutationem sententiae. Unde sequitur eam, *indirecte* et aliquatenus, iudicare hic de merito causae

principalis, *directe* vero nonnisi de opportunitate novi examinis aut revisionis. — **... nisi Sanctissimus :** unde eruitur quod iudicium Signaturae Ap. in tribus posterioribus casibus non est definitivum donec consultui et approbationi S. Pontificis subiiciatur.

... decernit : quod verbum innuit cognitionem Sign. Ap. de simplicibus libellis, licet delegatam, non esse ad referendum Ss.mo, sed ad decidendum ; salvis tamen, ut planum est, et S. Pontificis potestate primatiali et fidelium iure ineluctabili, de quibus in c. 1569.

Can. 1605. — Q. *Modus* 1) *formandi sententiam, et* 2) *pro-* 179.
cedendi.

R. I. ex h. c., § 1. **Supremi Tribunalis Signaturae sententiae suam vim habent, quamvis rationes in facto et in iure non contineant.**

§ 2. **Nihilominus sive ad instantiam partis sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicere potest ut praedictae rationes exponantur secundum regulas Tribunalis proprias.**

... rationes : seu motiva, quibus dispositiva pars sententiae innititur, et quorum expressio imponitur (c. 1873, § 1, 3°) aliis tribunalibus, etiam S. Sedis non extraordinariis (c. 1555, § 2) sub poena nullitatis (c. 1894).

R. II. *In genere*, servat in primis *normas iuris communis* (c. 1555, § 2), deinde *regulas pro S. Rota* statutas (c. 43 *L. P.*) eidem non contrarias. *In specie ;* 1) « Ad postulandam restitutionem in integrum, et ad introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem, dantur tres menses utiles a reperto documento aut a cognita causa, ob quam ad haec remedia recursus fieri potest » (c. 38 *L. P.*). 2) Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit ; sed iudex, ob fundatam suspicionem potest aliter decernere (c. 1907). 3) Libellus, quo causa introducitur, exhibendus est Secretario Signaturae Ap.cae. Cardinalis autem Praefectus, una cum Secretario, accepta instantia, examinare debet utrum fundamentum aliquod boni iuris habeat ; quod si desit, instantiam ipsam quamprimum reiicere, sin vero habeatur, tenetur admittere (c. 40 *L. P.*).

CAPUT IV.

De tribunali delegato.

Expositio rubricae.

180. Q. I. *Tribunal delegatum, quid, et quotuplex?*

R. I. Est illud *quod ab alio iudice vel tribunali, sive singulari sive collegiali, deputatur ad unam causam vel plures quidem, sed aliquo modo determinatas, cognoscendas et definiendas.* Dico *unam*, saltem, quia commissio ad peragendum aliquem actum iudicialem etsi iurisdictionalem, v. g. auditionem testium, non constituit aliquem in officio iudicis delegati. Dico *aliquo modo*, id est, ad aliquod vel ad aliqua genera determinata, ad differentiam iudicis ordinarii, qui potest iudicare quascumque causas officio suo adnexas. Dico *definiendas*, quia deputatio ad instruendam causam seu ad conficiendum processum citra sententiam, non facit aliquem *iudicem simpliciter* sed iudicem *secundum quid*, id est, *iudicem instructorem*, seu commissarium, vel, melius, *auditorem* (cf. n. 130).

R. II. Tribunal delegatum: 1) Aliud est *Apostolicum seu S. Sedis*, aliud *inferius*, quod nimirum, a quovis alio praeter S. Sedem designatum est. 2) Aliud est delegatum *ad universitatem causarum*, aliud *ad causam particularem*. Prius dicitur illud cui omnes universim causae, vel saltem certum genus causarum, v. g. matrimonialium sub uno nomine collectivo committuntur; sive dein commissio restringatur ad certum tempus, puta, annum, vel ad determinatum locum, vel ad certum ordinem personarum, v. g. religiosos, vel religiosos talis Instituti. (cf. Reiff. Lib. I. *Decretal.*, tit. XXIX. § II). Alterum dicitur illud tribunal cui una vel altera tantum causa particularis, hic et nunc emergens, diiudicanda committitur. Illud reputatur quasi ordinarium; secus est de isto.

Non loquimur de divisione in delegatos *hominis*, seu ab homine, et delegatos *iuris*, seu a iure, quales, in causis haeresis et aliis contra exemptos, erant Episcopi, qui, ex commissione iuris, poterant contra eos procedere tamquam Apostolicae Sedis delegati; quia de huiusmodi delegatis iudicialibus *a iure* silet omnino Codex. Iudicialibus, inquam, nam de delegatis non iudicialibus intelligendi sunt cc. 81, 884 et 2252.

Expositio textus.

Can. 1606. — *Normae pro tribunalibus delegatis.*

Q. I. *Undenam desumantur regulae pro delegationis subiecto activo et passivo, interpretatione, etc.* 181.

R. **Delegati iudices servare tenentur regulas statutas in can. 199-207, 209.**

Q. II. *Potestas iudicialis delegata,* 1) *a quo concedi potest;* et 2) *in cuius commodum et ubi exercenda est?* 182.

R. I. ex c. 199, sex diversis modis, pro sex casibus qui ibi distinguuntur; prout nimirum, iudex sit 1) ordinarius; 2) delegatus ab Ap. Sede ad actum, vel ad unam vel alteram causam; 3) delegatus ab Ap. Sede ad universalitatem causarum; 4) delegatus a iudice inferiore S. Sede, ad universalitatem causarum; 5) idem ad unam vel alteram causam; 6) subdelegatus a quocumque. Itaque:

Can. 199, § 1. **Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse iure caveatur.**

§ 2. **Etiam potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita.**

§ 3. **Potestas delegata ad universitatem negotiorum ab eo qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, potest in singulis casibus subdelegari.**

§ 4. **In aliis casibus potestas iurisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta, sed articulum aliquem non iurisdictionalem etiam sine expressa commissione iudices delegati possunt subdelegare.**

§ 5. **Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit.**

... ordinariam: seu **quae ipso iure adnexa est officio** (c. 197). *Iure* autem, sive scripto sive consuetudinario: *Adnexa officio*, non commissa personae; quod ultimum est proprium potestatis delegatae. *Officium* autem, dummodo sit munus ecclesiasticum stricto sensu (c. 145), potest esse tale quod exerceatur vel *nomine proprio*, vel *nomine alterius* ut Supremus Pontificatus vel sit *commissum*, veluti officia Vicarii Generalis et officialis

(cc. 366-371, 1573). — ... **ex toto**: non praecise, et proprie loquendo, quod possit transferre totam suam potestatem; nam delegans semper retinet, velit nolit, potestatem revocandi delegationem et praeveniendi delegatum, saltem re adhuc integra; sed *ex toto*, id est, quoad totum obiectum suae potestatis. In summa, iudex ordinarius potest delegare omnes et singulas causas, quas vi sui officii iudicare valet, et absque ulla limitatione temporis, scilicet, loci aut personarum, et proinde habitualiter seu permanenter, nisi aliud expresse caveatur; nam lex non distinguit heic aut alibi. — ... **ex parte**: nimirum, ad unum genus causarum, vel ad unam aut alteram causam, vel ad unum aut plures actus unius causae.

... **Etiam**: ac si diceret: potestas ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest eodem modo, id est, *ex toto* vel *ex parte*, et in utroque casu, sive *ad actum*, sive etiam *habitualiter*. — ... **ad actum**: id est, subdelegatum deputando *transeunter*, seu in singulis casibus vel ad singulas causas prout hic et nunc emerserint; et tunc ad cognoscendum, sive *principium*, sive *medium*, sive *medium* et *finem* causae, sive *totam causam*. — ... **habitualiter**: seu permanenter, id est, subdelegatum designando *semel pro semper* ad iudicandas causas iam natas vel nascituras, sive in uno vel altero, sive in quolibet genere causarum competentiae subdelegantis subiectarum. — ... **industria**: quae censetur electa, quando hoc deducitur ex tenore mandati delegationis, ut si in eo dicatur delegato ut per se, personaliter, suis manibus negotium pertractet; aut ex gravitate causae, quae talis sit ut sine interventu delegati nequeat commode terminari. Quid si in mandato apponantur clausulae: *de tua industria, et circumspectione confidentes: prudentiae tuae de qua specialiter confidimus?* Diversi diversa opinantur: videntur esse clausulae potius urbanitatem sapientes.

... **in singulis casibus**: seu pro singulis causis perfecte determinatis quoad obiectum, personas et gradum iudicii, sive iam ortae fuerint, sive adhuc non; in quo ultimo casu subdelegatio erit conditionalis. — ... **In aliis casibus**: videlicet delegationis non Apostolicae et particularis, seu ad unam alteramve causam. — ... **non iurisdictionalem**: utputa, informationem super facto possessionis pure materialis, nullum secumferentem examen de iustitia vel iniustitia possessionis; aut actum mere exsecutivum, seu nudi ministerii, v. g. exactionem pensionis, mulctae, etc. ita ut nullo modo includat aliquam cognitionem de causa.

R. II. ex c. 201, § 2. **Iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit in proprium commodum aut extra territorium, salvis praescriptis can. 401, § 1, 881, § 2 et 1637.**

... **in proprium commodum**: ita ut non modo quis nunquam iudicet se ipsum, sed ne quidem **cognoscendam suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis ..., ipsius intersit** (c. 1613, § 1). — ... **extra territorium**: ut hactenus verior sententia affirmabat.

Q. IV. *Causa, seu controversia iudicialis*, 1) *quotupliciter potest pluribus delegari?*; 2) *quomodo praesumitur delegari?*; 3) *qualiter expediri debet?* 183.

R. I. Potest delegari: *a*) vel *in solidum* vel *collegialiter*; *b*) aut *simul*, aut *successive*. Delegatur *in solidum*, quandoque *absolute* interdum vero *sub conditione*, si conceditur ut quilibet ex iudicibus possit causam iudicare: delegatur autem *collegialiter*, quando iudicibus iniungitur ut omnes conveniant ut causam expediant, et quidem **pro actorum validitate** (§ 3).

R. II. ex c. 205, § 1. **Si plures iurisdictionem delegatam obtinuerint pro eodem negotio, et dubitetur utrum delegatio facta fuerit in solidum an collegialiter, praesumitur facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali.**

R. III. ex eod. c., § 2. et ex sequenti, videlicet:

Can. 205, § 2. **Pluribus in solidum delegatis, qui antea negotium occupavit, alios ab eodem excludit, nisi aut posthac impediatur aut nolit ulterius in negotio procedere.**

§ 3. **Pluribus collegialiter delegatis, omnes simul pro actorum validitate in negotio expediendo procedere debent, nisi in mandato aliud cautum sit.**

Can. 206. **Pluribus successive delegatis, ille negotium expedire debet cuius mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit.**

Q. V. *Quotupliciter exstinguitur potestas?* 184.

R. Exstinguitur septem modis recensitis in c. 207, § 1 et 3, scilicet:

§ 1. **Potestas delegata exstinguitur, expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata; non**

autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61.

... mandato: in re iudiciali, pronuntiata sententia definitiva, aut inita transactione (c. 1925, sq.), aut peracto compromisso (c. 1929, sq.), aut perempta instantia (c. 1736), aut admissa instantiae renuntiatione (c. 1740): exsecutio sententiae reservatur alii, ut dicitur in c. 1920. — **... revocatione ... intimata:** utrum revocatio fiat valide, an etiam licite, etsi res non sit amplius integra, id est, si causa a delegato iam incepta fuerit per citationem? Affirmative in omnibus, nam canon non distinguit. Potest autem revocans offendere in legem naturalem iustitiae, prudentiae. Et quia subdelegatus est vere delegatus, et canon non distinguit inter ambos, dicendum est idem si agatur de causa subdelegata etiam *simpliciter* vel *totaliter;* quo in casu, ex iure veteri, subdelegata potestas non poterat revocari, nec valide, si res non erat integra (cap. 37, X, *de Offic. delegati*, I, 29). Sed cum istud ius vetus non contineatur in hoc canone nec alibi, vim amisisse dicendum est (c. 6, 6°).

... non autem resoluto iure delegantis: quamvis res sit adhuc integra et aliud praescriberetur iure veteri (c. 30, X, *de Off. del.*, I, 29); quod abrogatum est (c. 6, 1°), ob oppositionem huic canoni, qui contrarium praescribit, excipiens tantum duos casus, de quibus in c. 61, scilicet; 1) si aliud ex tenore mandati delegationis appareat; 2) aut mandatum delegationis contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis. Sed in re iudiciali cessat *resoluto iure delegantis* ante citationem, ut arguitur, a sensu contrario, ex c. 1725, 3°.

Can. 1607. — *De constitutione tribunalium delegatorum, et de eorum ministris.*

185. Q. I. *Quando et quomodo constituitur tribunal delegatum?*

R. Cum primum delegatus *a*) aliquem assumit in actuarium, ex c. 1855 et iuxta d. c. 1607, cum actuarius sit primus essentialis minister tribunalis; *b*) mandatum delegationis interesse habentibus ostendit, actuario praesente, et in actis referente iuxta c. 200, § 2; *c*) iusiurandum praestat de officio rite et fideliter adimplendo, ad normam c. 1621.

186. Q. II. *Quibus ministris possunt aut debent uti iudices delegati a S. Sede aut ab Ordinariis locorum?*

R. ex h. c., § 1. **Iudex a Sancta Sede delegatus uti potest ministris constitutis in Curia dioecesis in qua iudicare**

debet; sed potest etiam alios quoscumque maluerit eligere et assumere, nisi in delegationis rescripto aliud cautum sit.

§ 2. **Iudices vero ab Ordinariis locorum delegati uti debent ministris Curiae dioecesanae, nisi Episcopus in aliquo peculiari casu ob gravem causam proprios et extraordinarios ministros constituendos decreverit.**

Q. III. *Quibus ministris uti potest aut debet iudex delegatus a religiosis exemptis?* 187.

R. I. Si delegatus est Ordinarius seu Superior maior 1) utatur eis quos ipse libere constituerit; 2) nisi delegans sit supremus Religionis Moderator, et ipse ministros constituendos designaverit aut constituerit.

Dico 1) *quos ipse libere constituerit, non autem qui in Provincia, Congregatione*, etc., *sint constituti*, quia, ni fallor, Codex, ut eruitur ex cc. 655, § 2, 1586, 1607, § 2, 1621, § 2, supponit quod in Religionibus (fortasse utpote in quibus, ob perfectionem quam vovent sodales, delicta et contentiones retinenda sunt ut facta extraordinaria), licet quidam Superiores agant iudicem etiam ordinarium, non tamen habent tribunal stabile, sed istud constituunt quoties aliqua causa diiudicanda emergit. Sic, in c. 1621, § 2, praescribitur iudicibus ordinariis religiosorum ut iusiurandum de officio fideliter adimplendo emittant, non quando alii iudices ordinarii, id est, quando assequuntur Superioris officium, cui adnexa est potestas iudicandi, sed ad similitudinem cum delegato a S. Sede, nimirum **cum primum tribunal constituitur,** id est, cum ad cognoscendam unamquamque causam, inter diversas personas agitatam, assumitur notarius. (Cf. comm. ad c. 1621, § 2).

Porro, quoties ob hanc rationem, modo nostra sententia sit vera, vel ob aliam, ministri non sint constituti, potest eos constituere iudex delegatus qui sit Superior maior, ut, quoad notarium constat ex c. 503, et, quoad Promotorem iustitiae, ex c. 1589, § 1; quod ad inferiores ministros attinet, quaestio deciditur a fortiori.

Dico 2), *nisi delegans, etc.*, quia, quemadmodum Ordinarius loci delegans, ita et Supremus Religionis Moderator delegans potest habere causam gravem ad constituendos ministros. Puto autem quod, cum, ex dictis, in Religionibus non sint ministri tribunalium stabiles, non requiritur causa adeo gravis, imo ulla specialis causa, ad hoc ut Supremus Moderator per se ipsum ministros deputet.

R. II. Si delegatus non est Superior maior debet uti ministris constituendis a proprio ipsius Ordinario immediate superiori, vel ab ipso delegante, si iste sit supremus Religionis Moderator.

TITULUS III.

De disciplina in tribunalibus servanda.

Expositio rubricae.

188. Q. I. *Disciplina heic* 1) *quid sit, et* 2) *quaenam importet.*

R. I. *Disciplina* heic est complexus regularum generalium quae, sub appositis sanctionibus servandae sunt a iudicibus, et tribunalium ministris, ceterisque iudicio assistentibus, ut propositio, discussio et definitio causarum iuste et ordinate perficiantur.

R. II. Praedictae regulae plura respiciunt, ut puta, officia iudicum et tribunalis ministrorum, ordinem cognitionum seu propositionis causarum et quaestionum, et cetera quae generalioribus verbis indicantur in inscriptionibus quinque capitulorum huius tituli, et verbis explicatioribus continentur in singulis canonibus.

CAPUT I.

De officio iudicum et tribunalis ministrorum.

Expositio rubricae.

189. Q. I. *Officium in hoc loco, quid?*

R. Heic non significat *munus* seu *complexum iurium et obligationum*, quae ad iudicem et tribunalis ministros spectant quoad iustitiae administrationem, sed potius *officia iuridica*, ationes quae iidem in hunc finem adimplere debent a et sub sanctione humana.

Expositio textus.

Can. 1608 et **1609.** — *De iudicis officiis ante iudicium.*

Q. I. *An et qualiter teneatur iudex impertire suum mini-* 190.
sterium.

R. ex c. 1608. **Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium ne recuset, firmo praescripto can. 1625, § 1.**

... **competens**: et quidem certo; nam si competentia eius sit dubia aut nulla non tenetur, ut deducitur ex c. 1625 a sensu contrario. — ... **legitime**: nam aliter pars non habet ius ut audiatur. Requirit autem legitime tunc solummodo cum, 1) petierit declarationem facti iuridici (c. 1552, § 2) quod *a*) non sit notorium aut evidens, sed vere dubium, et *b*) petentis vere intersit; aut 2) persequatur vel vindicet aliquod ius (c. 1552, § 2), actione seu protectione iudiciali munitum (c. 1667); et 3) **possit iure consistere** (cf. c. seq.). — ... **firmo** ...: id est, cum obligatione resarciendi damna et luendi poenas, de quibus in dicto canone.

Q. II. *Quaenam teneatur iudex videre, et quomodo, antequam* 191.
aliquem ad tribunal trahat vel admittat.

R. I. Tenetur videre duo *semper, data opera, et praecipue*, quia si circa ea erretur, iudicium exponitur semper periculo nullitatis (c. 1892), scilicet: **utrum ipse sit competens, necne,** et **num** iudicandus **in iudicio possit iure consistere.** Ita ex c. 1609:

§ 1. **Iudex antequam aliquem ad suum trahat tribunal et iudicaturus sedeat, videat utrum ipse sit competens, necne.**

§ 2. **Eodemque modo antequam aliquem ad agendum admittat, cognoscere tenetur num is in iudicio possit iure consistere.**

... **aliquem** ... **trahat**: sive tanquam reum, sive uti testem, nam etiam ad cogendos testes requiritur in iudice competentia; sed sufficit competentia iudicis in causam, non requiritur ut aliunde iudex habeat iurisdictionem in testes. — ... **necne**: id est, an sit incompetens, etiam *relative*, nec enim hunc potest licite iudicare (c. 1559, § 1). — ... **antequam** ... **iudicaturus sedeat**: id est, ante litis contestationem, dum examinat libellum et responsionem rei ad citationem; firmo tamen canone 1611. — ... **aliquem ad agendum**: id est, in-

terveniendum, sive uti actorem, sive uti reum : nam etiam is talis esse debet ut **in iudicio possit iure consistere,** et quidem eo modo quo intervenire vult, ut puta, per se, cum non semper possit, aut per procuratorem, cum pluries hoc sit prohibitum (cf. Tit. IV).

Dixi : *duo semper, data opera et praecipue ;* quia, praeter illa duo, videlicet, num *ipse* sit competens, et *iudicandus* sit idoneus, debet iudex certiorari quod *ille* qui requirit eius ministerium non sit *evidenter* privatus actione seu protectione iudiciali, tum actione in genere, tum illa quam proponit, seu quod, uti dicitur, non desit illi *aliquis fumus iuris ;* sed de hoc necessario et sufficienter cognoscit, dum de aliis duobus videt.

R. II. ex h. c., § 3. **Non est tamen necesse ut de his referatur in actis.**

192. **Can. 1610.** — *De iudicis obligatione, cognoscendi de propria competentia.*

Q. I. *Quot et quaenam sint remedia contra incompetentiam iudicis.*

R. Duo : *exceptio incompetentiae,* quae a partibus proponi *potest* (arg. h. c., § 1), et *declaratio propriae incompetentiae,* quae a iudice fieri *debet* (c. 1611, et arg. cc. 1609, 1610, 1559).

193. Q. II. *Quis, et cum quo effectu debet videre de exceptione incompetentiae?*

R. I. ex h. c., § 1. **Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.**

... iudex : tum ordinarius, tum delegatus, sive constituat tribunal unipersonale sive pertineat ad tribunal collegiale, nam canon non distinguit. — **... debet :** et ideo nequit se inhibere. Neque opponatur : *nemo iudex in causa propria :* nam merito in l. 1, § *In propria ff.,* ad dignoscendum utrum causa sit alicuius propria necne datur hoc criterium : « eam esse propriam causam cuius emolumentum vel damnum ad aliquem, suo nomine, pertinet » ; atqui, data iudiciorum gratuitate, de qua in c. 1624, nullum emolumentum aut damnum iudici provenit ex eo quod suum tempus impendat uni causae iudicandae potius quam alii.

R. II. Quoad effectum decisionis, distinguuntur duo casus, expressi in § § 2 et 3 h. c., videlicet :

§ 2. **In casu exceptionis de incompetentia relativa, si**

iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem.

§ 3. **Quod si iudex se incompetentem declaret, pars quae se gravatam reputat, potest intra decem dierum spatium appellationem ad superius tribunal interponere.**

... **de incompetentia relativa**: ergo, a sensu contrario, in casu de incompetentia absoluta, decisio admittit appellationem. — ... **non admittit appellationem**: et proinde, voluntate legislatoris, vi huius canonis, iudex forsitan incompetens fit competens, etiam invitis partibus. Quae legislatoris voluntas potest dici quidam modus extraordinarius sortiendi forum, prorogatione competentiae, sed necessaria. — ... **incompetentem**: incompetentia, sive *relativa*, sive *absoluta;* declaratione facta tum *ad instantiam* tum *ex officio*.

Can. 1611. — Q. *Quodnam sit officium iudicis qui se agnoverit incompetentem.* 194.

R. **Iudex quovis in stadio causae se absolute incompetentem agnoscens, suam incompetentiam declarare tenetur.**

... **quovis in stadio**: sive *a*) **antequam... iudicaturus sedeat** (cf. comm. ad c. 1609); sive *b*) inter iudicandum, id est, a litis contestatione usque ad pronuntiationem sententiae, in primo iudicio; sive *c*) ante aut inter iudicandum in altero iudicio, nimirum, si causa super nullitate sententiae primi iudicii proponatur quolibet ex modis praescriptis in c. 1893. — ... **absolute**: si vero se agnoverit incompetentem *relative*, tenetur saltem **antequam iudicaturus sedeat,** suam incompetentiam declarare vi can. 1559, § 1: post inceptum iudicium tenebitur forte interdum iure naturali, sed iure canonico non puto, ex hoc ipso quod legislator loquitur expresse de incompetentia *absoluta* dumtaxat. — ... **tenetur**: *ex officio*, seu etiam non opposita a partibus exceptione; nam, vi canonis 1625, tenetur, et quidem sub poena, vitare actus nullos. Utrum si iudex suam incompetentiam absolutam agnoscat primo iudicio finito et altero non provocato, teneatur seipsum prodere declarando nullitatem, an vero sufficiat quod damno provenienti ex nullitate occurrat alio modo? Videtur verius hoc postremum.

Can. 1612. — Q. *Quomodo dirimuntur conflictus competentiae?* 195.

R. Distinguendo, ex h. c. quatuor casus, videlicet:

§ 1. **Si inter duos pluresve iudices controversia oriatur**

quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, res definienda est a tribunali immediate superiore.

§ 2. **Quod si iudices, inter quos exsistit competentiae conflictus, subsint distinctis tribunalibus superioribus, controversiae definitio reservatur tribunali superiori illius iudicis, coram quo actio primo promota est; si non habeant tribunal superius, conflictus dirimatur vel a Legato Sanctae Sedis, si adsit, vel ab Apostolica Signatura.**

... **immediate superiore**: si, nempe, omnes uni eidemque subsint: en primus casus. Ut puta, si controversia versetur inter duos Episcopos vel Officiales suffraganeos eiusdem Archiepiscopi. — ... **distinctis tribunalibus superioribus**: ut si conflictus esset inter duos Episcopos vel Officiales suffraganeos diversorum Metropolitanorum; en secundus casus. — ... **promota est**: quae regula concordat cum illa: **actor sequitur forum rei** (c. 1559, § 3). — ... **superius**: quod contingit quando conflictus est inter duos iudices immediate subiectos S. Sedi, v. g. duos Metropolitanos, vel duos Ordinarios loci, *nullius*. Tunc, igitur, conflictus dirimatur vel a Legato Sanctae Sedis, si adsit (en tertius casus), vel, si non adsit, (en quartus casus) ab Apostolica Signatura.

196. **Can. 1613.** — Q. *De inhibitione: an et quandonam sibi facienda a iudice, promotore iustitiae et defensore vinculi.*

R. § 1. **Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo gradu lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum aut procuratorem egerit.**

§ 2. **In iisdem rerum adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor et defensor vinculi.**

... **tutelae et curatelae**: non modo praesentis, verum etiam praeteritae, cum vinculum affectionis praesumendum sit perdurare. Reor autem huiusmodi praesumptionem admittere facile probationem in contrarium. — ... **consuetudinis**: ut puta, si sint mutui commensales, aut membra consortii quod inter suos communicationem frequentem, et specialem mutuam protectionem foveat, etc., quia in his casibus praesumitur nasci amicitiae aut gratitudinis affectus. — ... **magnae simultatis**: quae probari possit obiective, scilicet, per factum quod simultati prae-

buerit ex se causam vere gravem, v. g. si iudex ab aliquo ex litigantibus iniuriatus fuerit graviter, vel quod sit simultatis signum, utputa si iudex litigantem laeserit scienter.

Can. 1614. — *Recusationes, seu exceptiones suspicionis, a quo cognoscendae?*

Q. I. *A quo definiendae sunt recusationes iudicum et auditorum?* 197.

R. Dantur septem casus qui deciduntur ex duobus primis paragraphis h. c., videlicet:

§ 1. **Cum iudex, etsi competens, a parte recusatur ut suspectus, haec exceptio, si proponatur contra iudicem delegatum in causa unicum vel contra collegium vel maiorem delegatorum iudicum partem, definienda est a delegante; si contra unum vel alterum ex pluribus iudicibus delegatis, etsi Collegii praesidem, a ceteris iudicibus delegatis et non suspectis; si contra Auditorem Sacrae Rotae, a Signatura Apostolica ad normam can. 1603, § 1, n. 2; si contra officialem, ab Episcopo; si contra auditorem, a iudice principali.**

§ 2. **Si ipsemet Ordinarius sit iudex et contra ipsum exceptio suspicionis opponatur, vel abstineat a iudicando vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici immediate superiori.**

... **principali**: id est, qui deputavit auditorem, vocari solitum iudicem instructorem, et ideo quemdam veluti iudicem secundarium. — ... **Ordinarius**: simpliciter, et, proinde, sive loci, sive Religiosorum. — ... **immediate superiori**: qui, si Ordinarius loci recusatus sit Metropolitanus, vel Archiepiscopus carens suffraganeis vel Ordinarius loci immediate subiectus S. Sedi, est ille quem praedicti elegerint pro appellationibus ad eum deferendis iuxta can. 1594, § 2, non S. Sedes; nam ille est *de facto* iudex eorum immediate superior.

Q. II. *A quo definienda est exceptio suspicionis si proponatur contra collegium aut contra maiorem partem iudicum collegii seu tribunalis ordinarii, vel contra unum vel alterum iudicem eiusdem collegii.* 198.

R. I. De his casibus non adest in Codice expressum praescriptum saltem quoad omnes; sed possunt resolvi confugiendo ad locos iuris parallelos, iuxta c. 20, et distinguendo prout agatur de tribunali dioecesano aut de duplici tribunali religiosorum. Itaque,

R. II. Si agatur de tribunali Ordinarii loci, distinguendi sunt quatuor casus:

1) Si tribunali praesit ipse Ordinarius et contra ipsum proponatur exceptio, habet hic locum seu applicationem § 2 h. c., quia in eo dicitur: **Si ipsemet Ordinarius sit iudex,** et non distinguitur inter Ordinarium iudicem unicum et eundem iudicem praesidem tribunalis collegialis; et proinde Ordinarius, **vel abstineat a iudicando vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici immediate superiori** (§ 2 h. c.).

2) Si praesit officialis, et exceptio opponatur contra ipsum, ea definiatur ab episcopo, uti dicitur in § 1 h. c., ubi non distinguitur inter officialem, iudicem unicum, et eundem, tribunalis collegialis praesidem.

3) Si exceptio proponatur contra alium vel omnes alios iudices absdubio est definienda ab Episcopo, quia ex c. 1614 **definienda est a delegante**, et ex c. 1574, § 1 singuli eorum iudicant **potestate ab Episcopo delegata.**

4) Idem dicendum est si exceptio opponatur contra totum collegium, id est, contra officialem et ceteros iudices; quia exceptio suspicionis afficit iudices uti singulos.

R. III. Si agatur de tribunali collegiali Ordinum Religiosorum exemptorum, quod praescribitur pro casibus de quibus in cc. 655, et 1577, § 1, 1°, distinguendi sunt pariter tres casus:

1) Si exceptio suspicionis proponatur contra ipsum Ordinarium, huc facit § 2 h. c., ubi dicitur simpliciter Ordinarius, non distinguendo inter Ordinarium loci vel alium, et, proinde, Ordinarius Religiosus **vel abstineat a iudicando** (§ 2 h. c.) et, **de consensu aliorum qui cum eo tribunal collegiale constituunt,** compleat, si opus sit, eorum numerum (arguitur ex c. 655, § 1), **vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici immediate superiori** (§ 2 h. c.), id est, S. Congregationi de Religiosis in causis dimissionis, Sacrae autem Rotae in ceteris, si Ordinarius qui recusatur est Supremus Moderator, ipsi porro Moderatori Supremo si recusatur Superior Pronvincialis.

2) Si exceptio opponatur contra collegium aut maiorem iudicum partem, eius definitio videtur committenda iudici seu tribunali etiam unipersonali immediate superiori, ut eruitur ex casu seu praescripto simili § 1, h. c. verbis, **vel contra collegium,** etc.: seu, ad eum modum et ob eandem rationem, quibus exceptio contra collegium delegatorum iudicum definitur a delegante, quia et hic est immediatus superior. Unde si col-

legium recusatum sit tribunal provinciale seu Superioris Provincialis, exceptio definienda est a supremo Religionis Moderatore, etiam iudice unico, seu absque suis Consiliariis tanquam tribunal collegiale cum ipso constituentibus, quia hoc requiritur solum quando causa iam cognita fuit a tribunali inferiori collegiali (c. 1596); si vero collegium recusatum est tribunal supremi Moderatoris, praeses quaestionem suspicionis definiendam committat Sanctae Sedi ut supra.

3) Si exceptio opponatur contra unum vel alterum ex iudicibus, videtur definienda a ceteris non suspectis, ob similitudinem cum casu paragraphi 1 h. c. verbis, **si contra unum vel alterum,** etc.

Q. III. *Quisnam videt de exceptione suspicionis contra promotorem iustitiae et defensorem vinculi, aut alios tribunalis administros.* 199.

R. ex h. c., § 3. **Si exceptio suspicionis opponatur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administros, de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali vel ipse iudex, si unicus sit.**

Can. 1615. — Q. *Quid, et a quo mutari debeat in tribunalibus, declarata aliqua suspicione.* 200.

R. ad I. ex primo par. h. c., videlicet: **Si iudex unicus aut aliquis vel etiam omnes iudices qui tribunal collegiale constituunt suspecti declarentur, personae mutari debent, non vero iudicii gradus.**

... **gradus**: quapropter, iudex immediate superior seu superioris instantiae et gradus ad quem exceptio suspicionis definienda deferatur, cognoscit dumtaxat de quaestione *incidentali* suspicionis, nullo autem modo de causa *principali*, sed hanc relinquit iudicandam ab eodem tribunali, coram quo proposita fuit; quod tribunal non desinit esse idem, etsi omnes personae, occasione recusationis mutentur et aliae sufficiantur.

R. ad II., id est, *a quo*, etc., ex aliis duobus paragr. h. c., scilicet:

§ 2. **Ordinarii autem est in locum iudicum qui suspecti declarati sunt, alios a suspicione immunes subrogare.**

§ 3. **Quod si ipsemet Ordinarius declaratus fuerit suspectus, idem peragat iudex immediate superior.**

201. **Can. 1616.** — Q. *Exceptio suspicionis quomodo definienda.*

R. **Exceptio suspicionis expeditissime definienda est, auditis partibus, promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint, nec in ipsos suspicio cadat.**

...**expeditissime**; id est, ad instar causarum seu quaestionum incidentalium, cum et ipsa sit incidentalis (c. 1837). Ideo :

1) Proponi potest vel oretenus (c. 1838) ;

2) Definiri valet non servata forma iudiciali, sed mero decreto (c. 1840, § 1) ;

3) Etiam cum non servatur forma iudicialis, debent citari partes, et, si casus sit, promotor iustitiae et defensor vinculi (h. c.) ;

4) Dilationum termini sint quam maxime breves (c. 1840, § 2) ;

5) Probationes, quae cito produci non possunt, reiiciantur, nisi aliae sufficientes deficiant (c. 1749) ;

6) Multitudo testium refrenetur (c. 1762) ;

7) Interrogationes testium breves sunto (c. 1775) ;

8) Reprobationes *personae* testium non differantur ultra triduum (c. 1764) ;

9) Repetitio testium non admittatur aut decernatur nisi sit vere necessaria (c. 1781) ;

10) Exceptiones contra testium *examen* et *dicta* non admittantur de facili post testificationum publicationem in casu processus iudicialis (c. 1783) ;

11) Iudex moderetur defensionum extensionem (c. 1864) ;

12) Decisio, quamvis iudicialis forma non fuerit servata, exprimat breviter rationes in iure et in facto, quibus innititur (c. 1840, § 3) ;

13) Non est locus appellationi (c. 1880, 7°).

202. **Can. 1617.** — Q. *Quandonam exceptiones suspicionis et incompetentiae proponendae sint.*

R. **Quod ad tempus attinet quo exceptiones incompetentiae et suspicionis proponendae sint, servetur praescriptum can. 1628.**

203. **Can. 1618.** — Q. *Qualiter debeat iudex officium suum impertire vel quandonam procedere debeat ad instantiam, quando vero ex officio.*

R. ex h. c. **In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam**

partis; sed in delictis et in iis quae publicum ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, etiam ex officio.

... **solummodo**: sed si interest simul boni publici, potest aut debet iudex procedere *ex officio*. — ... **dumtaxat ad instantiam**: quia, si partes non petant iudicis officium praesumitur eas renuntiasse iuri suo, aut velle rem amicabiliter componere. Huc igitur faciunt illa iuris axiomata : *Iudex non impertitur officium suum nisi volenti. Fatuus est iudex qui ultra petita iudicat.* Quae principia falsa sunt si applicentur officio iudicis *nobili*. — ... **delictis**: utpote quae, si vera delicta sunt, nocent publico Ecclesiae bono quod in salute animarum consistit, et cuius tuitio iudici commissa est. — ... **publicum Ecclesiae bonum**. Enumerare, vel in genere, facta quae praeter delicta publicum Ecclesiae bonum respiciunt, longum esset et periculosum, cum pluries res pendeat ex circumstantiis. Iuvat tamen referre ad modum exempli aliquos casus qui in cc. 1 et 2, X, *de offic. Iudicis*, I, 32, proponuntur tanquam negotia spectantia bonum Ecclesiae publicum ; et in quibus, proinde, iudex procedit *ex officio*.

Primus est cum iudex parti pauperi et imperitae adsignat advocatum, ne detrimentum sui iuris capiat ob defectum defensionis. Equidem hoc postulat iustitia aut aequitas, cui si non satisfieret, bono Ecclesiae nomini detraheretur, et eius vis ad trahendas ad se animas minueretur. Alter casus est cum iudex pupillo et minori constituit curatorem. Tertius, si eidem minori laeso concedit restitutionem in integrum. Addesis, v. g. si procedat ad declarandum nullum matrimonium contractum cum impedimento ligaminis ; si...

... **animarum salutem** : ut puta, si ad vitanda iurgia vel caritatis offendicula inter duos clericos, Episcopus cogeret controversiam sibi submittere tanquam iudici.

Can. 1619. — Q. *Quando iudici non liceat, quando autem ipsi incumbat aliquid circa factum supplere.* 204.

R. § 1. **Si actor pro re sua [probationes quas afferre posset, non afferat, vel reus exceptiones sibi competentes non opponat, iudex ne suppleat.**

§ 2. **Si vero agatur vel de publico bono vel de animarum salute, eas supplere potest et debet.**

... **probationes**: proprie tales, seu quae saepe dicuntur *probationes facti ;* nam *allegationes*, quae pariter saepe et improprie vocantur *probationes iuris*, tenetur iudex supplere, corri-

gere et emendare, sive pro reo sive etiam pro actore, quoties illi eas non afferant vel inopportune afferant; quia, etiam in causis boni privati, ad officium iudicis pertinet ius obiectivum seu legem facto applicare, non qualiter a partibus allegatur, sed allegationes iuris supplendo et corrigendo prout veritas et iustitia postulent. Allegationes, inquam, *iuris obiectivi* seu legis, non *iuris subiectivi* actione seu protectione iudiciali muniti, id est, *actionis iuridicae;* nam haec est potius quid facti utpote quae ex facto iuridico oritur, ut dictum est, et ideo in controversiis quae privatorum tantum intersunt non potest suppleri vel suggeri a iudice. — **... exceptiones:** non modo probationes exceptionum sed et ipsas exceptiones prohibetur iudex supplere; quia exceptio est ex parte rei quod actio ex parte actoris. — **... ne suppleat:** quia non modo reddit se de studio partium suspectum, sed huiusmodi studio perquam obnoxium.

Can. 1620. — *De definitione causarum properanda.*

205. Q. I. *Quaenam viguerit hactenus disciplina.*

R. Ius canonicum discrepavit a romano in hac parte. In l. *Properandum Cod. De iudic.* Iustinianus, ne lites fiant immortales et vitae hominum modum excedant, edixit «causas civiles seu contentiosas non ultra triennii metas post litem contestatam esse protrahendas... quum criminales quidem causas iam nostra lex biennio conclusit». Sed cap. 20, X, *De iudic.* II, 1, ad vitanda mala uni ex litigantibus saepe provenientia ex alterius fraudibus et cavillationibus ad impediendam celerem expeditionem litis, decernitur non esse observandos instantiarum terminos lege iustinianea praescriptos.

Hinc, iure Decretalium, instantiae iudiciales seu ius prosequendi causam inceptam fuerunt *perpetuae;* non quidem *sensu proprio*, sed *sensu iuris*, quatenus, nempe, causae quomodolibet interruptae prosequi poterant quandiu perdurabat actio, seu ius persequendi in foro ius de quo controvertebatur, id est, ad summum 30 annis. Incommodis perpetuitate provenientibus consultum fuit per *remedia contra contumaces;* quae si pars diligentior adhibere volebat, poterat alteram cogere ad iudicium prosequendum et absolvendum.

Remedia autem contumacialia canonica erant tardioris expeditionis, et insuper efficacia tantum adversus litigantes, non erga iudices. Igitur Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, c. 20 decrevit: *Omnes causae ad forum Ecclesiasticum quomodolibet*

pertinentes, etiamsi beneficiales sint, prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra BIENNIUM *a die motae litis terminentur; alioquin post id spatium liberum sit partibus vel alteri illarum iudices superiores, alias tamen competentes adire. Iudicibus vero superioribus praescribitur, ut causam in eo statu quo fuerit assumant, et quam primum terminari curent...* Ex quo apparet iudicare debuisse in prima instantia, non in gradu appellationis.

Remedio Tridentini parum usi sunt litigantes; quibus regulariter magis expediebat litem coram proprio Ordinario loci protrahere ultra biennium, quam eandem cum augmento expensarum ad superiores iudices transferre. Ideo Codex remedium aptius et efficacius apposuit. Itaque,

Q. II. *Duplex remedium, aliud morale, aliud iuridicum, appositum a Codice ad properandas causarum definitiones.* 206.

R. I. Remedium *morale* est adhortatio, iudicibus et tribunalibus directa h. c. quae sic se habet:

Iudices et tribunalia curent ut quamprimum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae ultra biennium non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra annum.

... salva iustitia: quae, proculdubio, non raro exigit ut tales dilationes et terminorum prorogationes concedantur, aut cognitio alicuius causae, ob necessitatem tractandi aliam requirentem celeriorem expeditionem, taliter interrumpatur, ut evadat impossibilis eius definitio intra biennium aut annum.

R. II. Remedium *iuridicum* est illud *institutum iuridicum* quod appellatur *peremptio instantiarum*, cc. 1736-1739 sapientissime inductum; cuius fundamentale praescriptum sat est heic referre: **Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae per biennium aut in gradu appellationis per annum, instantia perimitur.**

Can. 1621. — *De iureiurando a iudicibus et tribunalium ministris praestando circa eorum officium.*

Q. I. *Ex constituentibus vel adiuvantibus tribunal,* 1) *quinam in genere;* 2) *de quo;* 3) *coram quo; et* 4) *quando praestare debent iusiurandum?* 207.

R. ex h. c., § 1. **Excepto Episcopo qui per se potestatem iudiciariam exerceat, omnes qui tribunal constituunt aut**

eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato, praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sint constituti.

Excepto Episcopo: qui unus excipitur, quia iudiciaria potestas est iure divino adnexa eius officio, de quo rite et fideliter implendo iusiurandum praestitit in sua consecratione. — **... tribunal constituunt**: id est, *a*) qui potestatem iudicandi participant, ut iudex, vel *iudices*, et auditor vel *auditores* seu iudices instructores; et *b*) qui ad validum excercitium potestatis iudiciariae sunt necessarii, scilicet, *actuarius*, semper, *promotor* autem *iustitiae* et *defensor vinculi* in certis casibus. — **... opem ferunt**; hoc est, *assessores*, qui personam iudicis, *cursores* et *apparitores*, qui tribunal adiuvant. — **... Ordinario**: proprio iurantis; etiam Vicario Generali, si agatur de Ordinario loci. — **... electi sunt.** Hic agitur de assessoribus, auditoribus et iudicibus delegatis, qui omnes ab aliquo iudice eliguntur; si delegatus deputatus fuit ab aliquo tribunali collegiali, iurabit coram praeside. Agitur quoque de actuario, promotore iustitiae, defensore vinculi, et inferioribus ministris, qui a delegato S. Sedis eligi possunt iuxta c. 1607.

208. Q. II. *Iudex a Sede Apostolica delegatus, et iudex ordinarius religiosus* 1) *quare iurare tenentur;* et 2) *coram quo?*

R. I. Prior tenetur quia mandatum seu delegatio Sedis Apostolicae non constituit eum in magistratu, nec in officio cui sit adnexa potestas iudicandi: alter vero, quia esto cum approbatione Ecclesiae iudex aut Superior religiosus, licet ordinarius, non est magistratus publicus Ecclesiae, quia non pertinet ad publicam seu generalem hierarchiam.

R. II. ex h. c., § 2. **Etiam iudex a Sede Apostolica delegatus vel iudex ordinarius in religione clericali exempta idem iusiurandum praestare tenetur cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito iureiurando actum redigat.**

... cum primum: id est, non quando *primum* tribunal constituitur, seu, quando *pro prima vice* iudicant, sed *cum primum*, videlicet, quoties actuarium assumunt ad inchoandam unamquamque causam. — **... constituitur**: scilicet, quando uterque devenit tribunal. Ad cuius intelligentiam tenenda sunt

haec *tria:* iudices, sive ordinarii sive delegati, 1) *deveniunt iudices*, illi cum assumunt officium, isti cum acceptant mandatum; 2) *deveniunt tribunal*, cum assumunt actuarium (et si agatur de delegato a S. Sede vel de iudice ordinario religioso, praestant iusiurandum) vel notario stabili utuntur in ordine ad inchoandam aliquam causam; 3) *sedent pro tribunali*, seu procedunt ut iudices, quoties aliquem actum iudicialem exercent praesente actuario, et, si opus sit, promotore iustitiae et defensore vinculi.

Can. 1622. — *De ritu et aliis servandis in praestatione iusiurandi in tribunalibus.*

Q. I. *Quonam ritu iurant sacerdotes, quonam autem ceteri.* 209.

R. ex § 1. **Quotiescumque iusiurandum praestatur sive a iudicibus aut tribunalis administris, sive a partibus, testibus, peritis, semper emitti debet praemissa divini Nominis invocatione et a sacerdotibus quidem tacto pectore, a ceteris fidelibus tacto Evangeliorum libro.**

Q. II. *Commonitio a iudice, vel tribunali praeside facienda.* 210.

R. ex § 2. **Iudex partem, testem aut peritum ad iusiurandum recipiens, eum regulariter commonefaciat tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, tum etiam de poenis, quibus obnoxii fiunt qui falsum in iudicio iurati affirmant.**

...de poenis: cf. cc. 1757, § 2, 1°, et 1795, § 2.

Q. III. *Quomodo et coram quibus praestari debet iusiurandum ordinatum ad litis aestimationem aut decisionem.* 211.

R. ex § 3. **Iusiurandum secundum formulam a iudice probatam praestari debet coram eodem iudice aut eius delegato, adstante utraque aut alterutra parte, quae interesse iurisiurandi praestationi velit.**

Iusiurandum: sive *aestimatorium* (c. 1832), sive *decisorium* (c. 1834, § 2). — **... formulam:** in qua designentur res, et earum pretium (c. 1833), vel conditio sub qua lis decisa habebitur (c. 1834, § 1).

Can. 1623. — *De secreto ex obligatione servando, aut sub fide iusiurandi imponendo.*

Q. I. *Quando, et de quo secretum servare teneantur iudices et tribunalis adiutores* 1) *in quolibet tribunali;* 2) *in tribunali collegiali.* 212.

R. I. ex § 1. **In iudicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum officii.**

R. II. ex § 2. **Tenentur etiam semper ad inviolabile secretum servandum de discussione quae in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis.**

213. Q. II. *Quando et quomodo adstringi possunt ad secretum testes, partes.*

R. ex § 3. **Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praebeatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, iudex poterit testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum.**

Can. 1624. — *De iudiciorum gratuitate, et a muneribus immunitate.*

214. Q. I. *Cur iudicia ecclesiastica sint gratuita, et quo sensu?*

R. I. Ecclesia iampridem sua iudicia ita ordinavit ut administratio iustitiae sit gratuita; quia ut dicit reg. 12 iuris in VI, *In iudiciis non est acceptio personarum habenda;* iam vero personarum acceptio vitari nequit, si in administratione iustitiae merces aut munera recipiuntur, dependenter a partium voluntate et liberalitate. Hoc postremum prae oculis teneatur, nam si merces a partibus detur, sed quae a iudice vel lege determinetur, non est metuenda partium acceptio. Cui gratuitati providebant c. 10, X, *De vita et honest. cleric.* III, 1; c. 11 *De rescrip.* in VI; c. 1 *De sent. et re iud.* in VI.

R. II. Gratuitas autem iudiciorum probe est intelligenda. Iuxta omnes Doctores, absque eius praeiudicio, iudices et tribunalia possunt, ex lege naturae recipere, 1) *stipendia*, nemo enim cogitur stipendiis propriis militare; 2) *expensas* pro sumptibus in stipendio non inspectis; 3) *xenia*, seu *munuscula*, uti osculenta et poculenta, aliave, quae hospitibus dari solent comitatis gratia. Non autem recipi possunt vera *munera*.

215. Q. II. *Disciplina, quae hactenus viguit quoad stipendia, expensas et munerum interdictionem.*

R. I. *Stipendiis* iudicum ordinariorum consultum fuit per *beneficia*, quibus eorum officium iudicandi adnexum erat: quoad

iudices delegatos ab Apostolica Sede prospectum fuit praescribendo ut non delegarentur nisi qui dignitate, aut personatu seu canonicatu ecclesiae cathedralis praediti essent; quoad alios delegatos, necnon officiales tribunalium provisum fuit ex taxis ordinariis impositis pro actibus iudiciariis, et cumulum constituentibus in qualibet Curia.

R. II. *Expensas* omnino connexas cum officio iudicis ordinarii nefas fuit semper huic repetere a partibus. Hinc nulla indemnitas ipsi debebatur si, v. gr., ad notitiam facti controversi hauriendam, iter instituisset ad locum dissitum intra suum territorium. Item, si opus ei fuisset assessore vel auditore, non poterat horum officialium expensas in litigantes refundere. Sed iudici delegato concessum fuit moderatas expensas a partibus recipere; nam illae in dignitate, personatu aliove beneficio non erant inspectae seu praevisae. Itaque in casu quo *ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum territorium proficisci* indemnis fiebat (1). Item, in casu quo indiguisset assessore vel alio officiali permissum fuit, ut *ei de competenti salario, provide moderando ab eo, faciat a partibus communiter* (nota bene *communiter*) *provideri.* (ibid.). Et merito, quia cum potestas iudicandi non esset adnexa officio aut beneficio suo, non tenebatur esse sufficienter peritus in ea exercenda.

R. III. *Ad munera* quod attinet, iudici tum ordinario tum delegato interdictum fuit *certam partem rei controversae aut eius aestimationem, exigi in stipendium redditi iudicii;* vel aliis verbis, vetitum fuit recipere *sportulas*, quae erant quaedam expensae moderatae, quas ius romanum, *Nov.* 82, 29, iudicibus permittebat petere a litigantibus, in principio aut in fine iudicii, pro labore in lite examinanda impenso. Bonifacius VIII, haec decrevit: *Insuper et gratis et cum omni puritate iudicium coram ipso procedet, nullum munus, nec quidquam aliud, nisi forsan osculentum vel poculentum, quod paucis consumi possit diebus... recipere ab eisdem partibus qualitercumque praesumat iudex* (2).

Q. III. *Quid ex iure Codicis quoad gratuitatem iudiciorum et munerum?* 216.

R. I. De *gratuitate* nihil expresse praescribit, sed non ideo, vi canonis 6, 6°, ius vetus abolevit, nam praescripta iuris

(1) C. 11 *De rescript.* in VI°.
(2) C. 11 *De rescrip.* in VI°.

veteris referunt, ut patet, principia seu regulas ethicae naturalis. Iudicia igitur pergunt esse gratuita. Manet quoque eadem fere ratio conciliandi gratuitatem cum compensatione laboris iudicum et tribunalis ministrorum. Stipendio siquidem iudicum ordinariorum, et auxiliarium eorundem (quibus accensendi sunt officiales, auditor, assessor, iudex delegatus) provisum est per redditus beneficii eorundem iudicum aut per apposita stipendia, ut contingit quoad Auditores S. Rotae; salariis vero ministrorum tribunalium occurritur per taxas in Concilio Provinciali vel conventu Episcoporum determinandas pro actibus iudicialibus ad normam c. 1909. –

R. II. Quoad *munera* ita se habet h. c. **Iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii, munera quaevis acceptare prohibentur.**

. . . **quaevis**: num etiam quae dicuntur *xenia*, necnon *osculenta* et *poculenta* iure veteri permissa? Revera haec sunt *munuscula*, non proprie munera; nihilominus malitia temporum reddit ea, ut plurimum, suspecta et vitanda.

Can. 1625. — *De sanctionibus contra iudices, et tribunalium officiales ac ministros.*

217. Q. I. *Quibus* et *a quonam infligendis, sanctionibus subsunt iudices, qui* 1) *administrationi officii desunt;* 2) *aut secretum violant vel acta secreta communicant?*

R. I. ex § 1. **Iudices qui cum certe et evidenter competentes sunt, ius reddere recusant, vel qui temere se competentes declarant, vel qui ex culpabili negligentia aut dolo actum nullum cum aliorum detrimento vel iniustum ponunt aut aliud litigantibus damnum inferunt, tenentur de damnis et ab Ordinario loci vel, si de Episcopo agatur, a Sede Apostolica, ad instantiam partis aut etiam ex officio, congruis poenis pro gravitate culpae puniri possunt, non exclusa officii privatione.**

Iudices: sive ordinarii sive delegati, nam eadem est ratio legis, et quidem naturalis. — . . . **certe et evidenter**: nam si iudex sit dubius de sua competentia potest recusare reddere ius, reiiciendo libellum intra mensem. Ast vero, si pars appellaverit (cf. comment. ad c. 1611), tenetur stare sententiae superioris iudicis, etiam manente suo dubio subiectivo, imo certitudine opposita. — . . . **recusant**: tunc iudex dicendus est recusasse cum, interposito recursu ad normam c. 1710, non obtemperaverit iudici aut tribunali superiori illum adigenti ad definien-

dam causam. — ... **temere**: vel sine aliquo rationabili fundamento. — ... **culpabili**: graviter. — ... **negligentia**: seu omissione debitae diligentiae (can. 2199) sed absque deliberata voluntate violandi legem. — ... **dolo**: qui **est deliberata voluntas violandi legem** (c. 2200, § 1). — ... **nullum**: iuxta c. 1680. — ... **tenentur de damnis**: id est, reficere damna. — ... **ab Ordinario loci**: id est, Episcopo, nam Vicarius Generalis caret potestate coactiva (c. 2220, § 2). Et nec quidem ab Episcopo si iudices delinquentes sint regulares; hi enim **ab Ordinario loci exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis** (c. 616).

R. II. ex § 2. **Iudices qui secreti legem violare vel acta secreta cum aliis quoquo modo communicare praesumpserint, puniantur mulcta pecuniaria aliisque poenis, privatione officii non exclusa, pro diversa reatus gravitate, salvis peculiaribus statutis, quibus graviores poenae praescribantur.**

... **secreti legem**: de qua in c. 1623, § 1, 2. — ... **acta secreta**: ea nimirum de quibus in c. 1623, § 3. — ... **praesumpserint**: non subsunt igitur eisdem sanctionibus, si acta communicaverint per inadvertentiam, etsi culpabilem, nam vi c. 2228: **Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum.** Manet autem Superiori facultas ei collata can. 2221, 2222, § 1.

Q. II. *Quibus, et a quonam infligendis, sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores?* 218.

R. ex § 3. **Eisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores, si officio suo, ut supra, defuerint, quos omnes etiam iudex punire potest.**

... **officiales**: id est, notarii, promotor iustitiae, et defensor vinculi. — ... **adiutores**: id est, auditores, assessores, cursores, apparitores, custos, etc. — ... **si officio suo, ut supra, defuerint**: v. g. violando legem secreti, vel violando iusiurandum, vel communicando acta secreta. — ... **etiam iudex**: v. g. Officialis, ad cuius tribunal pertinent, quin recurratur ad iudicem superiorem.

Can. 1626. — Q. *Cautiones pro ecclesiasticae sententiae observantia: quis, quando, quomodo et quasnam imponere potest.* 219.

R. **Cum iudex praevidet actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi iuribus non satis consultum**

iri, potest, ad eiusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad congruam cautionem praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia.

... **iudex**: non partes propria auctoritate. — ... **actorem**: non reum: qui invite raptus in iudicium, non est suspectus de inobedientia. — ... **probabiliter**: iudicio, iudicis. — ... **spreturum**: vel non observaturum, ipsa enim inobservantia quidam spretus est. — ... **ad eiusdem conventi instantiam**: quia ius habet non modo ut controversia definiatur, sed ut ius definitum ipsi efficaciter adiudicetur. — ... **ex officio**: cum publici boni intersit ut sententia ecclesiastica, etiam circa res privatorum, non spernatur. — ... **adigere**: Quomodo? Nam **qui pollent potestate... iudiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas ad normam iuris** (c. 2223) **applicare** (c. 2220), hic autem nulla statuitur poena. Opinor quod non obstantibus his duobus cc., potest actorem iudex adigere ad exsecutionem sui decreti, cautionem imponentis, eodem modo quo valet reum adigere ad exsecutionem sententiae iuxta c. 1924, scilicet: **utatur prius monitis et praeceptis** (id est, remediis poenalibus ad normas canonum 2306-2313) **erga reluctantem; ad poenas autem spirituales et ad censuras ne deveniat, nisi ex necessitate et gradatim.** Ergo, si necessitas cogat potest ad easdem etiam devenire. Quod confirmatur sequenti argumento:

Non absimili modo, non obstantibus praedictis duobus canonibus, **Testis inobediens... a iudice potest congruis poenis coerceri...** (c. 1705, § 2) et **omnes, iudicio assistentes,... iudex... potest censuris quoque aliisve congruis poenis ad officium reducere** (c. 1640, § 2). Et notandum quod nec in hoc canone neque in canone 1924 edicit Legislator fieri seu concedi per ipsos exceptiones contra cc. 2220 et 2223; et ex hoc satis innuit competere suapte natura iudici aliquam potestatem coercitivam, seu quod semper ac iudex potest aliquem ad aliquid adigere per iussa seu decreta iudicialia, potest sua iussa congruis poenis munire et urgere. Aliquam quidem potestatem coercitivam recognoverunt usque iudici interpretes iuris veteris. « Quia iudicis est legem exsequi, hinc iurisdictioni inest *mixtum imperium*, seu ius adhibendi modicam coercitionem in reluctantes » (1). Interpretes, inquam, iuri romano innixi: cap. 11, X, *De poenis*, V, 37, quod citatur, potius innuit contrarium; cap. vero 1 cit. in VI° non videtur facere ad rem.

(1) Lega, *De Iudic. Eccl.*, I, n. 100.

... **congruam cautionem**: id est alicuius rei traditionem sub potestate seu manu iudicis, ut puta, sequestrationem rei litigiosae apud sequestrem a iudice deputatum, aut depositionem summae pecuniariae in arca nummaria Tribunalis vel penes nummularium, commutata pecunia cum titulis ad latorem, in capsa nummaria Curiae servandis et fructum actori reddentibus usquedum causa contra ipsum forte definiatur.

CAPUT II.

De ordine cognitionum.

Expositio rubricae.

Q. I. *Cognitio et ordo cognitionum, quid.* 220.

R. I. *Cognitio*, in re iudiciali, quandoque significat examen vel inquisitionem tantum, interdum inquisitionem et decisionem circa aliquam rem, sed consideratam in esse iuridico, seu in ordine ad legem. Unde non quaevis inquisitio est cognitio. Sic, v. g. investigatio a cursore vel apparitore facta iussu iudicis ad comperiendum utrum pars aut testis, qui ad iudicium vocati non venerunt, absentiam aegritudine praetexentes, sintne domi, vel alibi, non est cognitio sed nudum ministerium. E converso, investigatio ab auditore facta iussu iudicis ad comperiendum, auxilio etiam peritorum, si opus sit, utrum eorumdem absentia fuerit legitima necne, est cognitio. In hoc capite *cognitio* significat *discussionem et discussionem causarum vel quaestionum.*

R. II. Igitur, *ordo cognitionum* est *ordo servandus ab unoquoque tribunali in examinandis seu discutiendis et definiendis diversis causis, sive inter easdem sive inter diversas personas, quae ad illud fuerint delatae.* Haec inscriptio: *De ordine cognitionum*, habetur in Decretalibus sub Titulo X, Libri II; cui rubricae respondebat in prima Collectione Tit. *De ordine iudiciorum*, quasi iudicium et cognitio unum idemque sint; utrobique autem agebatur de ordine cognitionum in causis inter se connexis vel in eodem iudicio tractandis. Codex loquitur prius de *causis inconnexis*, deinde de *causis et quaestionibus in idem iudicium deductis*, utpote inter se connexis, scilicet, de *exceptionibus, actionibus, reconventionibus*, etc.

Expositio textus.

221. **Can. 1627.** — Q. *Ordo cognitionum in causis inconnexis seu in idem iudicium non deductis.*

R. Canon exhibet unam regulam generalem, cum una exceptione generica, videlicet:

Iudices et tribunalia tenentur causas ad se delatas eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae, nisi aliqua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto a iudice seu a tribunali statuendum est.

Iudices et tribunalia: id est, iudices sive unici sive collegiales. — ... **causas ad se**: nimirum, ad tribunalia, non ad unum determinatum iudicium. — ... **delatas**: sive ad instantiam sive ex officio nihil refert; non enim istae ex hoc ipso solo praeferri debent. — ... **propositae**: seu introductae per oblationem libelli. — ... **celerem prae ceteris expeditionem**: quales sunt causae *a*) super electionibus et postulationibus, quia diuturna vacatio nocet bono ecclesiae; *b*) super officiis et beneficiis ecclesiasticis, si lis versetur circa titulum, nam prorogatio litis obest ecclesiae aut beneficiis Rectore certe legitimo destitutis; *c*) super matrimoniis et usuris; *d*) circa pauperes, pupillos, carceratos, aliasque personas miserabiles, seu speciali miseratione dignas; *e*) de spolio, mercede, alimentis, deposito, etc. — ... **decreto**: a quo non datur appellatio (c. 1880, 6°).

222. **Can. 1628.** — Q. *Quandonam proponendae sunt exceptiones dilatoriae* 1) *in genere, praecipue quae respiciunt personas et modum iudicii;* 2) *de incompetentia absoluta;* 3) *excommunicationis.*

R. I. ex § 1. **Exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii, proponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint aut pars iureiurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse.**

Exceptiones: id est, quaestiones *defensivae*, propositae a reo ad excludendam actionem seu petitionem actoris. — ... **dilatoriae**: seu *temporales*, quia actionem excludunt ad tempus et proinde iudicium differunt ad aliud tempus. — ... **personas**: sive *iudicis*, quod sit incompetens (cc. 1610, 1611), vel suspectus (c. 1614), vel excommunicatus (cc. 2263, 2264, 1892, 1°); sive *actoris* aut *rei*, quod non habeant legitimam personam standi

in iudicio, quia sunt minores, bonis interdicti, religiosi, etc. (cc. 1646, 1654, 1892, 2°); sive *procuratoris*, quia est inidoneus, (cc. 1657, 1658), vel caret legitimo mandato, (cc. 1659, 1892, 3°); sive *auditoris* (aut *assessoris*) (c. 1614, § 1), *promotoris iustitiae* aut *defensoris vinculi* (c. 1614, § 3), ob suspicionem aut eorumdem excommunicationem (c. 2263, v. **officiis**).

... **modum iudicii**: id est, *formam* qua actus iudiciales positi fuerunt; v. g., quod *oblatio libelli* est immatura, cum obstet pactum de non petendo ante certum tempus, quod nondum advenit; quod *libellus* non sit legitime subscriptus, aut sit inidoneus, quia non exprimit quid, a quo, et quo iure petatur (c. 1708); quod *citatio* non est legitima, quia non munita sigillo, aut non exprimens a quo iudice vel ob quam causam, vel ad quos locum et diem reus conveniatur (c. 1715); quod *litis contestatio* non est apta, quia ex ea non constat **quinam sint controversiae termini** (c. 1727), vel quia in ea divisae sunt causae inter se connexae, contra praescriptum c. 1567, etc., etc. — ... **proponendae**: cum suis probationibus, nam reus excipiendo fit actor, et proinde asserit et probare tenetur (c. 1748). — ... **primum emerserint**: ut puta, si iudex, auditor, aut promotor iustitiae intimam vitae consuetudinem cum altero litigante inierint post litem contestatam. — ... **iureiurando affirmet**: lex gravis, sed iusta et necessaria, quandoquidem dilatorias exceptiones differre post litem contestatam favere potest tricis et cavillationibus male litigantium.

R. II. ex § 2. **Exceptio tamen de incompetentia iudicis absoluta a partibus opponi potest in quovis statu et gradu causae.**

... **statu et gradu**: id est, a tempore ante litis contestationem in prima instantia usque ad pronuntiationem sententiae in prima et quavis ulteriore instantia: uno verbo, *perpetuo;* quia sententia, et omnes actus ad eam ordinati, laborant nullitate insanabili (c. 1892), quae **proponi potest per modum exceptionis in perpetuum** (c. 1893).

R. III. ex § 3. **Pariter exceptio excommunicationis opponi potest in quolibet iudicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam; imo si agatur de excommunicatis vitandis, aut toleratis contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata fuerit, ii ex officio semper excludi debent.**

... **excommunicationis**: sive agatur de iudice (c. 2264); sive de actore (c. 2263); sive de procuratore (ibidem, v. **agere**);

sive de auditore, promotore iustitiae aut vinculi defensore (ibidem, v. **ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi**) sed toleratis et non condemnatis aut declaratis. — **... ante sententiam definitivam**: sed non post eam, et, proinde non in gradu appellationis, aut in querela nullitatis coram eodem iudice, quia quoad iudicem, auditorem, etc. actus iurisdictionis fuerunt validi (c. 2264), quoad alios vero excommunicati tolerati **generatim stare in iudicio queunt** (c. 2264), nimirum, quoties non repellantur; iam vero, qui eos non repellit seu non excepit contra eos tempore opportuno renuntiavit iuri suo. — **... ex officio semper**: etiam post sententiam definitivam, et proinde in iudicio seu querela nullitatis si forte proponatur coram eodem iudice, et in gradu appellationis in quavis instantia.

223. **Can. 1629.** — Q. *Quandonam opponuntur exceptiones peremptoriae, tum litis finitae tum aliae?*

R. I. ex § 1. **Exceptiones peremptoriae, quae dicuntur *litis finitae*, veluti exceptio rei iudicatae, transactionis, etc., proponi et cognosci debent ante contestationem litis; qui serius eas opposuerit, non est reiiciendus, sed condemnetur in expensis, nisi probet se oppositionem malitiose non distulisse.**

... peremptoriae: quae, nimirum, ius actoris perimunt, seu eius actionem excludunt in perpetuum. — **... ante contestationem**: Legislator enim vult ut lis decisa seu finita legitime, id est, per sententiam *firmam*, seu quae transierit *in rem iudicatam*, aut *per transactionem*, aut *iusiurandum*, aut *pactum de non petendo*, aut *per compromissum in arbitros*, non tractetur in iudicio; iudicium autem incipit per litis contestationem. — **... in expensis**: cf. c. 1908, sq.

R. II. ex § 2. **Aliae exceptiones peremptoriae proponi debent post contestatam litem, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes.**

Aliae: v. g. *exceptio doli, solutionis factae, praescriptionis*, etc. — **... post litem contestatam**: quia *a*) cum exceptio sit exclusio actionis, ordo exigit ut reus non proponat suam exceptionem antequam actor affirmaverit et probaverit suam actionem, quae quidem non fiunt nisi in contestatione et post contestationem litis; *b*) cum, **actore non probante, reus absolvitur** (c. 1748), frustra reus laborasset probando exceptionem si actor non probaverit suam actionem. — **... incidentes**: cf. canonem 1633.

Can. 1630. — Q. *Actiones reconventionales, quando et quo-* 224.
modo cognoscendae?

R. I. ex § 1. **Actiones reconventionales satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt.**

... reconventionales: quas, nimirum, reus, coram eodem iudice instituit **contra actorem ad submovendam vel minuendam eius petitionem** (can. 1690). — **... satius statim post:** quia, ut dicitur in *Clem. Saepe, Verum quia iuxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet, pro parte actoris, et etiam rei si quid petere* (en reconventio) *voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda.* — **... utiliter:** id est, valide et licite seu cum iure ad hoc ut admittatur a iudice; etsi, revera, et quidem ex rei natura, minus utiliter quo magis tarde, cum in dies deveniat minus possibile ut ambae cognoscantur simul seu pari gradu. — **... ante sententiam:** nam debent simul cognosci, id est, simul discuti, quidem ante sententiam, et simul seu eadem sententia definiri.

R. II. ex § 2. **Cognoscantur autem simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut iudex opportunius existimaverit.**

... simul: quia scopus reconventionis est *compensatio;* haec autem fit minuendo praestationem rei conventi, si condemnetur in actione conventionali, pro mensura praestationis faciendae ab actore si condemnetur in actione reconventionali, et determinandae et exprimendae in ipsa sententia; quod profecto fieri nequit nisi cognoscantur, id est, discutiantur et definiantur simul. — **... pari gradu:** sed cum praerogativa praecedentiae ex parte actoris; ita, videlicet, ut prius cognoscatur unus articulus propositus in conventione actoris, quoad quem reus respondere teneatur: deinde articulus contentus in reconventione rei, quoad quem actor pariter respondebit. Et merito, nam qui prior ad iudicium provocavit, ius habet ut audiatur prius.

... necessarium: ut puta, si actio seu petitio unius litigantium est ex illis quae *a*) gaudent praecedentia, ut actio spolii (c. 1699); vel *b*) habent, ut dicitur, paratam exsecutionem, veluti actio depositi, petitio exsecutionis instrumenti ab adversario recogniti seu confessionati; aut *c*) exigunt celeriorem expeditionem, ut causae alimentorum, mercedis, etc. — **... opportunius:** uti si una admittat expeditionem longe celeriorem, quia facilior, aut eius probationes sunt magis in promptu.

225. **Can. 1631.** — Q. *Quaestiones de cautione quando cognoscendae ?*

R. **Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuerit, et aliae huiusmodi videndae regulariter sunt ante litis contestationem.**

... **expensis ... gratuiti patrocinii** (cf. cc. 1908-1915). — ... **ab initio.** Potest tamen postulari post litem contestatam, et, tunc cum petatur, concedi aut denegari. — ... **aliae huiusmodi :** ut actiones *de rei sequestratione*, *de inhibitione exercitii iuris*, de quibus in cc. 1672-1675. — ... **regulariter ante :** quia scopus quaestionum super expensis iudicialibus et gratuito patrocinio est vitare quominus *a*) vel aliquis litem instauret (quod fit per litis contestationem) et tribunal atque alterum litigantem cogat facere expensas quas ipse reficere nequeat aut nolit, *b*) vel quis a vindicando in iudicio iure suo abstineat ob defectum advocati seu defensoris, aut, e contra ad iudicium temere provocet vacua spe fretus obtinendi gratuitum patrocinium ; scopus vero actionum de quibus in cc. 1672-1675 est vitare quantocius damnum quod imminet nisi cautio seu sequestratio decernantur.

226. **Can. 1632.** — Q. *Quaestio praeiudicialis quae et quando cognoscenda?*

R. **Quoties, proposita principali controversia, quaestio praeiudicialis suboriatur, id est eiusmodi ex cuius solutione pendeat solutio quaestionis principalis, illa ante omnia a iudice cognoscenda est.**

... **principali :** videlicet, non ea quae *maioris momenti* est, sed quae *primo* et non occasione alterius in iudicium deducta fuit. Sic, v. g., si quis ad tribunal detulerit causam in qua exiguum legatum quingentarum libellarum sibi vindicat tamquam consanguineo legitimo testatoris, et petitioni ipsius obiiciatur quaestio seu exceptio quod non sit ex legitimis natalibus ortus, ista quaestio, licet maioris momenti in se, non est quaestio principalis in iudicio, sed talis est illa super legato. — ... **praeiudicialis :** sic dicitur, tum quia debet *prius iudicari* quam alia, tum quia eius solutio praeiudicat alteri, quia exitus iudicii circa eam influit in sententiam circa aliam.

Ex Codice est illa **ex cuius solutione pendeat solutio quaestionis principalis.** Ita, in adducto exemplo, quaestio de natalibus est *praeiudicialis*. Pariter omnes exceptiones peremptoriae sunt praeiudiciales, si reus praevie confiteatur expresse inten-

tionem actoris non autem alias. *Expresse*, inquam, nam explorati iuris est propositionem exceptionis non includere admissionem seu confessionem facti cui innititur actio, nisi exprimatur. Unde si v. g. actor petat centum, ex mutuo, et reus fateatur mutuum, sed excipiat se iam solvisse, ista exceptio cognoscenda est ante omnia; si vero neget mutuum, vel sileat de eo, et nihilominus excipiat se iam solvisse (quod fieri potuit per errorem, etc.), prius debet cognosci et probari contractus *mutui*. Ratio est quia, **actore non probante, reus absolvitur** (c. 1748) licet non probet, ergo opus non est ut prius probet.

Can. 1633. — Q. *Quaestionum incidentium notio, triplex* 227.
species, et triplex ordinis cognitionis regula 1) *si logice connexae:* 2) *si inconnexae;* 3) *si una sit de spolio.*

R. ex h. c. directe quidem ad quaesitum circa *ordinem cognitionis*, obiter autem sed expresse ad alia, hoc modo:

§ 1. **Si ex principali controversia quaestiones incidentes nascantur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem.**

§ 2. **Quod si nullo nexu logico inter se cohaereant, quae prius ab alterutra parte propositae sunt, illae antea definiantur.**

§ 3. **Si de spolio incidat quaestio, haec ante omnia est dirimenda.**

...**incidentes**: ita dicuntur, quia incidunt in lite cuius gratia iudicium exercetur (1). Ex h. c. § 1: *quaestiones incidentes* sunt illae quae **ex principali controversia .....nascantur** — ...**ex principali**: id est, occasione eius. Sunt autem triplicis generis: aliae *praeparatoriae*, scilicet, **eae quarum cognitio viam sternat ad aliarum solutionem**; aliae *simpliciter incidentes*, **si nullo nexu logico inter se cohaereant**; aliae vocantur **de spolio.** Porro *spolium* in iure definitur *violenta aut clandestina alicuius deiectio a possessione rei vel quasi-possessione iuris* (c. 1698, § 1). Qui canon refert ius vetus; ex quo, cap. 7, X, *De rest. spol.*, II, 13, spolium dicitur patrare iudex qui sententiam edit iuris ordine praetermisso, seu notorie iniustam. Unde spolium potest etiam definiri: *Deiectio a possessione rei vel a quasi-possessione iuris ex magna et notoria iniustitia*, ut dicit Lega (2). Cfr. com. ad cc. 1698, 1699.

(1) Devoti, *Inst. Can.*, tom. III, p. 160.
(2) *De Iudic.*, I, n. 219.

Quod attinet *ad ordinem incidentium* in genere satis liquet ex verbis canonis: sed *quoad quaestionem de spolio* tria adnotare oportet:

1) Quod, ut satis innuit verbum *incidat* (praeter argumentum canonis) hic agitur de quaestionibus incidentalibus, et proinde de spolio obiecto tamquam quaestione incidentali seu *in forma exceptionis*, non de spolio in iudicium deducto tamquam causa principali, seu *in modum actionis*. De quaestione spolii in priori sensu dicitur quod **ante omnia est dirimenda**, non de spolio proposito per modum actionis. Quid si opponatur tamquam actio reconventionalis ad repellendam actionem conventionalem spolii? Quaestio reconventionalis est prius tractanda, quia est causa incidentalis et opponitur per modum exceptionis seu defensionis; quapropter locum heic habet quod in casu simillimo respondit Innoc. III (1):

Distinguendum esse credimus utrum spoliationis quaestio ab eisdem nobilibus sit obiecta in modum actionis ad restitutionem petendam (restitutionem castri de quo dicebantur spoliati a quodam Abbate, qui prior quaestionem moverat conquerens se spoliatum fuisse a nobilibus); *an in forma exceptionis ad intentionem adversarii repellendam... Sed quoniam illa fuit ab iisdem nobilibus tantum in modum exceptionis obiecta, interloquendo pronuntiamus ut probationes eorum super ipsa exceptione primitus audirentur, et, ea probata legitime, Abbati non cogerentur respondere super petitionibus memoratis donec restituerentur ab ipso; cum spoliatori spoliatus ante restitutionem non cogatur ullatenus respondere* (2).

2) Quod spolium, etiam per modum exceptionis obiectum debet probari, ut praescribitur in c. 1699.

3) Quod, licet exceptio definiatur in favorem obiicientis, hic non restituitur in possessionem rei aut exercitium iuris si **aliquod occurrat periculum** (c. 1699, § 3).

(1) C. 2, X, *De ord. cognit.*, II, 10.
(2) Cfr. Lega, *De Iudic. Eccl.*, I, n. 224.

CAPUT III.

De dilationum terminis et fatalibus.

Expositio rubricae.

Q. I. *Notio et divisio dilationum, terminorum, terminorum* 228.
ilationum, ac fatalium.

R. I. *Dilatio* in re iudiciali non accipitur in sensu gramaticali, seu pro prorogatione alicuius spatii temporis, sed est psum *iustum temporis spatium litigantibus concessum ad poendum vel exsequendum aliquem actum iudicialem. Terminus* ccipitur vel pro limite dilationis vel pro ipsa dilatione. *Dilaionum termini* sunt ipsae dilationes quatenus determinatae. *Fatalia legis*, vel *fatalia* simpliciter, dicuntur **termini perinendis iuribus a lege constituti.**

R. II. Dilationes seu termini alii sunt *fatales*, si a lege unt constituti; alii *iudiciales*, si a iudice; alii *conventionales*, i mutuo partium consensu, cum approbatione tamen iudicis.

Expositio textus.

Can. 1634. — Q. *Dilationum termini* 1) *quinam prorogari* 229.
ossint, 2) *quando*, 3) *et quomodo.*

R. I. Distinguendo ex duobus primis paragraphis:

§ 1. *Fatalia legis* **quae dicuntur, idest termini perimendis uribus a lege constituti, prorogari non possunt.**

§ 2. **Termini autem iudiciales et conventionales, ante eorum lapsum, poterunt, iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel petentibus partibus, prorogari.**

...iuribus: v. g. iuri appellandi, quod perimitur decem diebus (c. 1881); vel prosequendi appellationem, ad cuius peremptionem praescribuntur triginta dies (c. 1883); vel proponendi actionem nullitatis, quod durat triginta annis (c. 1893). — **...a lege:** seu iure communi scripto, nam versamur in re odiosa stricta, et, proinde strictae interpretationis.

R. II. ex § 2: **...ante eorum lapsum:** non post, quia quod non exsistit non amplius prorogari potest.

R. III. ex § 2: **poterunt iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel petentibus partibus, prorogari.**

Et ex § 3. **Caveat tamen iudex ne nimis diuturna lis fiat ex prorogatione.**

...**iusta**: prudenti arbitrio iudicis. — ...**a iudice**: non a partibus. — ...**auditis**: si forte prorogatio fiat ex officio. — ...**vel petentibus**: quod si una petat audiatur altera, nam adest semper periculum laedendi, ex prorogatione, eius iura.

230. **Can. 1635.** — Q. *Prorogatio termini, occasione diei feriatae, quando et quomodo intelligitur?*

R. **Si dies, pro actu iudiciali indicta, sit feriata nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primam sequentem diem non feriatam.**

...**indicta**: sive explicite seu decreto iudicis, sive implicite seu ex praescripto legis, ut puta, si decimus dies ad interponendam appellationem finiatur die feriata; quo in casu terminus non anticipatur, sed prorogatur ad primam diem non feriatam. — ...**expresse**: id est, designato die per numerum diei mensis vel hebdomadae, v. g. die 15 Aprilis aut feria secunda primae hebdomadae aprilis, vel per nomen proprium diei aut aequivalenter, v. g. die Iovis hebdomadae primae Aprilis, vel proximae hebdomadae.

CAPUT IV.

De loco et tempore iudicii.

Expositio rubricae.

231. Q. *Quaenam circumstantiae loci et temporis solent iure considerari in iudiciis celebrandis, et quare?*

R. I. *Quoad locum* attenditur:

1) Quod nullus actus iudicialis exerceatur *extra certum territorium;* quia iurisdictio iudicialis utpote quae aliquem strepitum fovet, determinari solet ad certum territorium; id est, in re iudiciali, nisi agatur de societatibus, v. g. Institutis religiosis, territorio non alligatis, cuilibet iudici designatur aliquod territorium intra quod exerceat officium aut delegationem sibi commissam.

2) Quod iudicia celebrentur regulariter *in certo territorii*

loco, semper eodem; ne litigantes in incertum vagentur requirentes iudicem, et expensis graventur.

3) Quod locus, sive ordinarius sive extraordinarius iudiciis destinatus, *sit tutus;* ita ut nec periclitetur libertas iudicum in iure suo cuique litiganti addicendo, nec pars a parte adversaria iniuriam possit merito timere.

4) Quod aula, iuri dicendo addicta, ornata aut *munita sit certis signis*, puta, effigie, stemmate, etc., quae tum iudices tum litigantes admoneant de eo, cuius auctoritate et nomine iustitia administratur.

5) Interdum praescripta fuit aliqua determinata iudicis habitudo ad locum, v. g. ut iudex teneret se in suggesto seu tribunali, non autem *in plano* seu ante tribunal, et sententiam, etiam proferret sedendo, non stando, etiam sub poena nullitatis.

R. II. Quoad tempus cautum semper fuit:

1) Ne iudicia celebrentur *in certis diebus*, qui, ideo, *feriati* seu *feriae* dictae sunt; et hoc quidem in bonum tum publicum tum privatum, sive tribunalium sive litigantium. Hactenus habitae fuerunt *feriae*, *a*) *sacrae*, ob reverentiam Dei, seu religionis causa inductae, ne, scilicet, strepitus iudicialis et animi sollicitudo impedirent exercitium obligationis vacandi interdum cultui divino (1); *b*) *prophanae*, ob aliam quamcumque causam praescriptae; quae fuerunt, vel *ordinariae* si statis recurrebant diebus, vel *extraordinariae* aut *repentinae* si ob extraordinarium eventum indicebantur; utraeque autem, vel *in bonum publicum*, vel etiam *in bonum privatorum*, quales iure antiquissimo feriae *vindemiales* et *messis*, aut *nundinarum*, quae consensu partium poterant non observari. Iure Codicis res devenit valde plana et simplex, ut statim videbimus.

2) Ut iudicia *certis diebus et horis* celebrentur; et hoc ideo ut ordinatae administrationi iustitiae consulatur, et tempori atque expensis parcatur. Ob difficultates, quae nostra aetate vix sentiuntur, pro illuminatione loci, cautum fuerat ut iudicialiter agi posset diurno tempore tantum, non noctu (2).

(1) Ita cap. 5, X *De feriis* statuitur: *Debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti, scilicet, Natalis Domini.....*

(2) Ita dicitur cap. 24, X *De off. Delegati*, I, 29. *Ne vero iudicium ecclesiasticum exerceatur in tenebris, quia iuxta testimonium veritatis, qui male agit odit lucem.*

Expositio textus.

232. **Can. 1636.** — Q. *Ubinam potest, ubi autem debet Episcopus erigere regulariter suum tribunal, et qualiter illud insignire?*

R. **Quamvis Episcopus in quolibet suae dioecesis loco, qui non sit exemptus, ius habeat erigendi tribunal, nihilominus penes suam sedem aulam statuat, quae sit ordinarius iudiciorum locus: ibique Crucifixi imago emineat et adsit Evangeliorum liber.**

... **Episcopus**: sive iudicet per se sive per suum officialem. — ... **exemptus**: itaque non potest actus iudiciales exercere in territorio Abbatiae *nullius* aut in Conventu vel Monasteriis Religiosorum exemptorum, sitis intra territorium dioecesis. — ... **erigendi tribunal**: nec vel unum actum iudicialem ponere aut excipere, nam iuxta c. 201, **iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit ... extra territorium, salvo praescripto can. 1637.** — Nec licite nec valide? Exercebitur illicite sed valide, nam in c. 202 abest clausula irritans, quae requiritur ex c. 1680, § 1. — ... **sedem**: i. e. civitatem aut locum ubi habitualiter residet. — ... **aulam**: vel in domo episcopali vel extra, non refert. — ... **ordinarius**: i. e. sibi solitus, non quod requiratur causa extraordinaria, nec admodum gravis, ut in alio loco possit iudicare. — ... **Crucifixi**: nam huius nomine invocato sententia proferri debet. — ... **Evangeliorum liber**: qui Codex princeps est administrationis iustitiae, maxime ecclesiasticae, et quo tacto iusiurandum praestatur a laicis in tribunali (c. 1622, § 1).

233. **Can. 1637.** — Q. *An, quando et quomodo iudex possit extra territorium iudicare.*

R. **Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario.**

Iudex: sive ordinarius, sive delegatus (c. 201). — ... **suo**: i. e. in quo suum exercet officium vel exsequi debet mandatum sibi collatum. — ... **vi**: sive physica, id est, *violentia*, sive morali, seu *coactione* per metum gravem ei incussum. — ... **certiore**: non venia petita, quia iam licet ei per legem sola conditione denuntiationis faciendae. — ... **loci Ordinario**: nec sufficit consensus Ordinarii Religionis exemptae, cuius forte sit hospes.

Can. 1638. — Q. *Tempus iudiciorum in unaquaque dioecesi,* 234.
1) *quis definiet;* et 2) *quomodo;* et 3) *cum quo effectu?*

R. I. et II. ex § 1. **In unaquaque dioecesi Ordinarius publico decreto dies et horas definiri curet, pro loci ac temporum adiunctis opportunas, quibus tribunal adiri regulariter possit, et ab eo iustitiae administratio exigi.**

... **dioecesi**: quo nomine veniunt etiam hic Abbatia et Praelatura *nullius*. — ... **Ordinarius**: etiam Vicarius Generalis, non autem Officialis. — ... **publico decreto**: generali, non denuntiationibus privatis et pro singulis casibus: haec verba et sequentia designant modum definiendi tempus. — ... **regulariter**: ita ut in aliquo casu particulari, et ex sola voluntate iudicis aut praesidis tribunalis, possit non patere aditus ad istud.

R. III. ex § 2. **Iusta tamen de causa, et quoties periculum sit in mora, fas est fidelibus quovis tempore iudicis ministerium in sui iuris vel boni publici tutelam invocare.**

... **et quoties**: quae vocabula heic ponuntur pro *et si*, aut *et dummodo*. — ... **periculum**: ut si testis excutiendus incipiat aegrotare. — ... **fas est fidelibus**: ergo iudici est obligatio impendendi suum ministerium. — ... **quovis tempore**: etiam feriato sive vi decreti dioecesani sive ex praescripto legis communis de qua in canone sequenti.

Can. 1639. — Q. *Dies feriati pro tribunalibus orbis,* 235.
1) *quinam sint, et in iis, quinam actus vetantur et quando;* et 2) *quinam possit actus vetitos permittere et quomodo.*

R. I. ex § 1. **Dies festi de praecepto, et ultimi tres dies hebdomadae sanctae feriati habeantur; et in iis citationes intimare, audientias habere, partes et testes excutere, probationes assumere, decreta et sententias ferre, denuntiare et exsequi vetitum est, nisi necessitas, christiana caritas, aut bonum publicum aliud postulent.**

... **intimare**: et etiam subscribere, ut dicitur infra, non autem earum decreta privatim redigere. — ... **audientias habere**: i. e. partes, aut earum procuratores vel advocatos aut promotorem iustitiae vel defensorem vinculi, aut eorum instantias excipere, iudice sedente pro tribunali, id est, coram notario ut tali, quamvis extra aulam solitam. — ... **ferre**: i. e. subscribere. — ... **denuntiare**: seu publicare vel notificare. — ... **exsequi**: quod quandoque simplicem notificationem importat, quandoque aliquid amplius, v. g., exactionem mulctae. — ... **nisi necessitas**: v. g. si die non feriato testis necessarius

haberi non potest, quia rusticanis laboribus occupatus (1). — ... **caritas**: veluti si tractaretur causa pauperis vel miserabilis personae « nam in operibus misericordiae distinctio dierum non est habenda » (2). — ... **bonum publicum**: ut si ex prorogatione litis nimis vacatura essent ecclesia aut beneficium ecclesiasticum.

R. II. ex §. 2. **Iudicis autem est in singulis casibus statuere et denuntiare, an et quae acta supra dictis diebus expleri debeant.**

... **in singulis casibus**: et decretis singularibus, non generali decreto: quia agitur de legis dispensatione, cuius iusta causa in singulis casibus perpendenda est. — ... **denuntiare**: i. e. notificare iis quorum intersit actui vel audientiae intervenire.

CAPUT V.

De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum.

Expositio rubricae.

236. Q. I. *Disceptatio iudicialis quotuplex est sive philosophice sive historice loquendo?*

R. Contentio iudicialis evolvi potest vel *viva voce*, vel *in scriptis* vel *utroque modo*. *Primo modo* iudex audit partes et sententiam fert, ita ut de omni eo non constet nisi per assertionem ipsius et testium. Dubitari non potest quin iste modus disceptandi adhibitus fuit aliquando in Ecclesia, ut patet ex iudicio S. Petri in Ananiam et Saphiram. *Altero modo*, omissa orali contentione, partium allegationes et testium depositiones in iudicium deducuntur in scriptis. Casus evenire potuerunt in causis contra contumaces. *Tertius modus*, est cum admittitur contentio oralis, ea tamen lege ut omnia in iudicio acta scriptis consignentur ab actuario. Hoc systema *mixtum* obtinet in Ecclesia, inductum in ius commune saeculo XIII ab Innoc. III (cap. 11, X, *De probat.* II, 19); qui causam et modum exsecutionis decretalis suae sic exponit:

(1) Reiff., *I. C. U.*, L. II, tit. IX, n. 40.
(2) Id., *Ibid.* n. 41.

Quoniam contra falsam assertionem iniqui iudicis innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare; cum neganti factum per rerum naturam nulla sit directa probatio; ne falsitas veritati praeiudicet aut iniquitas praevaleat aequitati, statuimus ut tam in ordinario iudicio quam extraordinario (seu summario) *iudex semper adhibeat aut publicam, si potest habere, personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universi iudicii acta conscribant, videlicet, « citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones » et cetera quae occurrerint competente ordine conscribenda, loca designando, tempus et personas.*

Q. II. *In quo consistat iudiciorum publicitas, et utrum sit utilis, an, potius, noxia in tribunalibus ecclesiasticis.* 237.

R. I. *Publicitas iudiciorum* in eo est ut ad audientias admittantur personae quas negotium directe non tangit, et quae evolutioni iudicii non sunt necessariae.

R. II. Si disceptatio iudicialis fieret viva voce, publicitas iudiciorum esset non modo utilis sed necessaria, quoniam, ut ait Inn. III, *contra falsam assertionem iniqui iudicis innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare;* sed, inducto processu mixto ex orali et scripto, iudicia publica a curiis ecclesiasticis proscripta sunt. Adde, quod, praeterquam quod innecessaria, sunt bono Ecclesiae publico specialiter noxia, etenim « nata non sunt conciliare praelatis ecclesiasticis et clericis, in huiusmodi iudiciis partem habentibus, reverentiam qua exterius pollere debent ob ordinem sacerdotalem » (1).

Q. III. *Actus et acta iudicialia*, 1) *quaenam dicuntur, et* 2) *quotuplicis generis sunt?* 238.

R. I. *Acta iudicialia* dicuntur et *sunt actus iudiciales a notario relati in scriptis;* actus vero iudiciales sunt *libelli oblationes, citationes, testium depositiones, interlocutiones*, ceterique ab Innocentio III indicati et supra in Q. I recensiti.

R. II. Alia dicuntur **acta causae, quae,** nimirum, **meritum quaestionis respiciunt,** hoc est, **sententiae et cuiuscumque generis probationes:** alia vocantur **acta processus,** scilicet, ea **quae ad formam procedendi,** seu ad ordinandum processum **pertinent,** uti **citationes, intimationes,** etc. (c. 1642, § 1).

(1) Lega, *De Iudic. Eccl.*, I, n. 394.

Expositio textus.

239. **Can. 1640.** — Q. 1) *Quinam possint iudicio adesse; et* 2) *quomodo et qua sanctione plecti possint si irreverentes aut inobedientes se exhibeant.*

R. I. ex § 1. **Dum causae coram tribunali aguntur, extranei ab aula arceantur et ii tantummodo adsint, quos ad processum expediendum iudex necessarios esse iudicaverit.**

... **extranei**: i. e. illi quorum directe non interest causa. — ... **arceantur**: ex regula generali: excipiuntur tamen ii tantummodo, **quos ad processum expediendum iudex necessarios esse iudicaverit.**

R. II. Omnes tenentur assistere cum reverentia et obedientia erga tribunal, et hoc sub poenis a iudice etiam illico infligendis ut praescribit § 2, videlicet: **Omnes, iudicio assistentes, qui reverentiae et obedientiae tribunali debitae graviter defuerint, iudex, etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente in id quis peccaverit, potest censuris quoque aliisve congruis poenis ad officium reducere, advocatos praeterea et procuratores etiam iure alias causas apud tribunalia ecclesiastica pertractandi privare.**

... **reverentiae**: cui deerunt directe si iudicem offendant, indirecte autem sed vere si quoscumque ex adstantibus. — ... **iudex**: qui in his casibus non iudicat in causa propria, « quia iudex, ut iudex iniuriantes puniens, non tam in suo quam in alieno seu Reipublicae negotio procedere et condemnare censetur » (1). Revera, boni publici interest magistratus efficaciter reddere immunes ab iniuria: sic, ex cap. 1, X, *De offic. Del.*, et ex cap. 1, *De poenis in VI°*, iudex potest procedere contra eos qui impediunt ipsius iurisdictionem eosque poenis coercere. — ... **incontinenti**: i. e. nulla interposita cognitione, seu non servato ordine iuris citando, litem contestando, probationes et defensiones discutiendo; quia delictum est notorium, utpote coram tribunali sedente commissum; notoria autem **non indigent probatione** (c. 1747), nec proinde ulla cognitione iudiciali. — ... **censuris quoque**: videlicet, si aliae congruae non inveniantur aut non sufficiant. — ... **ad officium reducere**: id est, cogere eos sua officia qua partes, testes, procuratores, advocatos etc., adimplere, necnon tribunali aut parti laesae satisfacere, et scandalum fortasse datum reparare.

(1) Reiff., *I. C. U.*, Lib. II, t. I, n. 207.

Can. 1641. — Q. *An, quando et qualis adhiberi possit interpres.* 240.

R. **Si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et iudices ac partes linguam huius personae propriam non intelligant, interpres adhibeatur iuratus, et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit.**

... **legitimam**: ut puta, quod alterutram utramve linguam non calleat sufficienter, aut sit bene affectus erga adversam partem, etc.

Can. 1642. — Q. *Utrum acta iudicialia debeant esse scripto redacta, et qua lingua.* 241.

R. I. ex § 1. **Acta iudicialia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu** *acta causae*, **ex. gr., sententiae et cuiusque generis probationes, tum quae ad formam procedendi pertinent, seu** *acta processus*, **ex. gr., citationes, intimationes, etc., scripto redacta esse debent.**

... **meritum quaestionis respiciunt**: i. e., vel *ostendunt factum*, uti probationes, vel *decidunt ius controversum*, veluti sententia definitiva, aut sententiae interlocutoriae quae efficaciter influunt in definitivam. — ... **ad formam procedendi pertinent**: i. e. exsecutionem actuum iudicialium, v. g. quae citationis intimationem, litis contestationem, etc., *vel decernunt vel constituunt* vel *referunt*, aut modum exsecutionis earum *determinant*.

R. II. ex § 2. **Nisi iusta causa aliud suadeat, quoad eius fieri potest, lingua latina redigantur; sed interrogationes et responsiones testium, aliaque similia, lingua vernacula confici debent.**

... **interrogationes et responsiones testium**: quia oportet ut in causa appellationis iudex superior utrasque perpendat in se ipsis, quo melius aestimare valeat illarum legitimitatem et opportunitatem, istarum autem authenticam significationem et veram vim. — ... **aliaque similia**: v. g. nonnullae interrogationes et responsiones partium, si illis innitatur omnino vel principaliter decisio controversiae.

Can. 1643. — Q. *Quibus cautelis consulendum est actorum* 1) *authenticitati*, 2) *veritati?* 242.

R. I. ex primis duobus paragr.: § 1. **Singula folia processus numerentur; et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in unoquoque folio.**

§ 2. **Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis.**

R. II. ex § 3. **Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio requiritur, si pars aut testis hanc facere nequeat vel nolit, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum fuisse, et partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere.**

... **perlectum fuisse**: et utrumque usum fuisse vel secus facultate eis data (c. 1780) **addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.**

243. **Can. 1644.** — Q. *Quaenam servanda in actorum transmissione ad tribunal appellationis; quid si rite confecta non fuerint.*

R. I. ex primis paragr.: § 1. **In casu appellationis, actorum exemplaria ad normam can. 1642, 1643 conscripta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate, mittantur ad superius tribunal; si exemplaria sine gravi incommodo exscribi nequeant, mittantur cum opportunis cautelis acta ipsa originalia.**

§ 2. **Si eo mittenda sint ubi vernacula lingua non sit cognita, acta ipsa in linguam latinam vertantur, adhibitis cautelis ut de fideli translatione constet.**

... **documentorum**: haec autem sunt instrumenta seu scripta, sive publica sive privata (cc. 1812-1824), coram tribunali producta. — ... **seu cancellarii**: non est igitur necessarium ut qui actuarium egit unus ipse acta transcribat aut de fideli transcriptione testificetur.

R. II. ex § 3. **Si acta debita forma et charactere confecta non fuerint, a iudice superiore repelli possunt: quo in casu illi, quibus culpa imputanda est, acta suis impensis denuo conficere et mittere tenentur.**

... **debita forma**: ita, scilicet, ut non sint: *a*) **ad normam can. 1642, 1643 conscripta**; *b*) **in fasciculum religata**; *c*) **cum indice omnium actorum et documentorum**; *d*) **cum testificatione actuarii seu cancellarii**; *e*) **in linguam latinam versa.**

Can. 1645. — Q. 1) *Quaenam documenta restituenda et* 244.
ubinam cetera sunt deponenda; 2) *quinam possunt, sed cuius petita venia, exemplar actorum vel documentorum tradere;* 3) *quid de epistolis anonymis aut calumniosis.*

R. I. ex duobus primis paragr.: § 1. **Iudicio expleto, documenta partibus restitui debent, nisi in criminalibus, bono publico ita exigente, iudex aliquod retinendum censuerit.**

§ 2. **Documenta omnia, quae apud tribunal manent, in archivo Curiae deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit.**

...in criminalibus: ut puta, si etiam denuntiator privatus (cf. c. 1935) epistolam amatoriam aut iniuriosam, ab aliquo clerico subscriptam, produxerit tanquam medium probandi, ea, **bono publico ita exigente, nunquam restitui debet.** — **...secreto:** nam ex praescripto c. 379, § 1: **Habeant praeterea Episcopi aliud archivum secretum.....; sed singulis annis quamprimum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint, vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae.**

R. II. ex § 3. **Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita.**

...iudicis: dum iudicium non est adhuc expletum: expleto namque iudicio, cancellarii seu notarii curiae possunt, ex c. 374, § 1, 3° **Acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere, si agatur de documentis depositis in archivo publico.**

R. III. ex § 4. **Anonymae epistolae quae nihil ad causae meritum conferunt, et etiam subscriptae quae sint certo calumniosae, destruantur.**

...destruantur: ante expletum iudicium, imo ubi primum recipiantur, et inutiles aut calumniosae inveniantur.

TITULUS IV.

De partibus in causa.

Expositio rubricae.

245. Q. I. *Partes in causa quinam dicantur et quare: capitulorum ratio.*

R. Stricto sensu dicuntur *partes* illae personae iudicio intervenientes, quarum directe interest causa, seu quae sunt *directe* participes commodi aut incommodi quae ex decisione causae provenient: tales sunt *litigantes*, id est, *actor* et *reus*. *Lato sensu*, sed vero, dicuntur partes illae personae, *quae litigantes adiuvant*, personam earum aliquo modo referentes, vel eos aliqualiter repraesentantes in iudicio, videlicet, *advocati et procuratores*. Hinc divisio tituli in duo capitula quae sequuntur.

CAPUT I.

De actore et de reo convento.

Expositio rubricae.

246. Q. I. *Actor quis, qualis, quotuplex?*

R. I. *a*) *Actor* in re iudiciali, dicitur *ab actione* in sensu iudiciali, vel melius, ab *exercitio actionis*, seu ab actu quo in iudicio quis petit aliquid circa quod lex, seu ius positivum, concedit ei *actionem*, id est, recognoscit ipsi ius petendi illud per viam iudicii (cf. c. 1667). *b*) *Sensu stricto* ille litigans *est actor qui primo actionem seu petitionem proponit implorando ministerium iudicis, seu provocando instaurationem iudicii.* *c*) *Sensu lato*, sed vero, *dicitur actor quilibet ex litigantibus dum aliquid petit seu proponit in iudicio.* Hinc si ipse reus non se coarctet *ad negandum factum* quo innititur actio seu petitio actoris, sed *affirmet* seu *proponat*, et ad probandum factum petat admitti aliud factum modificans illud, devenit actor, non absolute, sed in ea petitione. Propterea dicitur: *reus excipiendo fit actor*, et quidem cum omnibus commodis aut incommodis.

R. II. Actor potest esse *persona physica*, vel *moralis simpliciter*, ut ecclesia, beneficium, etc. vel *moralis collegialis*, ut Capitulum Cathedrale, Ordo Religiosus, etc. (cf. cc. 99, sq.); nam personae morales sunt capaces iurium, et proinde actionum.

R. III. 1) In una eademque causa possunt esse non modo *unus actor* contra unum vel *plures reos*, sed etiam *plures actores* aeque principales, si sint *litis consortes*. Habent autem litis consortium *activum* qui *a*) aut gaudent communitate iurium, aut *b*) iura vindicant diversa sed derivantia ex eodem facto vel titulo, aut *c*) faventur rationibus similibus, vel quae ex eodem facto seu titulo oriuntur. Insuper, actori vel actoribus principalibus potest praeter promotorem iustitiae in causis boni publici alius, si eius vere interest, adhaerere in quovis iudicii stadio. (Cf. c. 1852).

2) Actor est generatim *voluntarius*, sed quandoque potest esse *necessarius*, ut puta rector ecclesiae, administrator pii operis, tutor, curator aut procurator, si perspexerint laedi iura aut bona quibus consulere tenentur.

Q. II. *Reus quis, qualis, quotuplex?* 247.

R. I. *a*) *Reus* dicitur, *non* praecise *a reitate* seu delicto, sed *a re*, sententiae iudicialis ergo praestanda ab eo qui, instante actore, in iudicium a iudice vocatur seu in iudicio convenitur; unde dicitur quoque *reus conventus*, vel simpliciter *conventus*. Res autem quae praestari debet, est, in iudicio contentioso, traditio alicuius rei materialis vel positio aut omissio alicuius actus, in iudicio criminali luitio alicuius poenae. *b*) *Reus*, igitur, est *ille qui in iudicio per iudicem convenitur, et a quo res aliqua praestanda petitur per actorem.*

R. II. Reus potest esse *persona physica*, vel *moralis collegialis*, vel in contentiosis, non autem in criminalibus, *moralis simpliciter*, seu non collegialis.

R. III. *a*) Nihil prohibet *plures* esse in eodem iudicio *reos* aeque principales, si sint, in re contentiosa, *litis consortes passivi*, vel, in re criminali, eiusdem *delicti complices* (cf. cc. 2209, 2211); nec alium vel alios quorum forte interest, praeter promotorem iustitiae in causis boni publici, reo principali adhaerere in quocumque litis momento. Cf. c. 1852. *b*) Reus est ordinarie *necessarius*, sed aliquando potest esse *voluntarius*, veluti quando in citatione, in electionibus, adiicitur clausula, *ut si qui sint, qui se velint opponere, compareant.*

248. Q. III. *Actoris et rei tum officia tum commoda.*

R. I. *Munus actoris* est probare *factum* in quo fundat *ius*, id est, facultatem exigendi quod petit a reo; et potest, si velit, *allegare ius obiectivum* seu *legem*, non autem illius interpretationem imponere, utpote quod ad iudicem spectat. Etenim, ut dictum est, ius (subiectivum) concretum oritur ex facto aliquo considerato in ordine ad legem, quod nunquam praesumitur, sed probatione indiget; probatio autem illi incumbit qui asserit (c. 1748), id est, actori quoties actoris munere fungitur. Commodis actoris accensendum est quod, si intentionem suam probaverit, obtinebit, sin minus non ideo condemnabitur, iuxta axioma: *actor non condemnatur.*

R. II. *a*) *Ad reum*, qua talem, pertinet *passive* se habere, non eo sensu quod ei liceat non respondere, sed quod possit se coarctare *ad negandum*, quin teneatur ad aliquid *affirmandum*, nec, per consequens, ad probandum, nam « ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat » (1). At vero si, uti assolet, defensiones positivas proponat, id est, si, excipiendo seu opponendo aliquod factum, fit actor, probare debet. Quae *rei defensiones*, quemadmodum *actoris probationes*, debent respicere *factum* a se propositum, sed non interdicitur ipsi *allegare ius* seu articulos legis, dummodo non intendat imponere eius applicationem seu interpretationem.

Plura sunt *rei commoda*, videlicet: **Actore non probante reus absolvitur** (cf. c. 26, X *De sentent. et re iudicata*, II, 27); *Actore non probante, qui convenitur etsi ipse nihil praestiterit obtinebit* (c. 3, X *De causa poss. et propr.* II, 12); *Cum sunt partium iura obscura, reo est favendum potius quam actori* (*Reg.* 11 *iuris* in VI°); *In pari delicto vel causa potior erit conditio possidentis* (*Reg.* 66 *iuris* in VI°). Quae tamen non sunt ita intelligenda, ut reus censeatur uti iure privilegiato; cum, e contra, ex *Reg.* 32 *iuris* in VI°, *non licet actori quod reo licitum non existit;* et expressius dicatur in c. 2, X. *De mut. petit.*, II, 4, *quod cum actoris et rei eadem sit conditio, et uno eodemque iure circa appellationis remedium debeat uterque censeri.*

249. Q. IV. 1) *Conditio actoris et rei an, et quando sit possibilis in una eademque persona;* 2) *actorem inter et reum necessaria ante iudicium discretio cur; et* 3) *quinam modus discernendi aptus.*

R. I. In iudiciis, quae dicuntur *duplicia*, id est, in illis in quibus proponitur aliqua ex tribus actionibus divisoriis (*he-*

(1) L. 2 ff. *De probat.*

reditatis herciscundae, *finium regundorum*, *de communi dividundo*), *uterque* litigans est, quantum ad iuridica commoda et incommoda, *actor* et *reus* quoad *eandem rem*.

R. II. Ad procedendum ordinate in discussione causae, iudicem oportet iam in limine iudicii apprime discernere actorem et reum, utpote quibus valde diversa incumbunt munia et competunt commoda praecipue quoad probationem.

R. III. Iam vero ad modum discernendi quod attinet, *in prima instantia* actor habetur qui primo actionem proponit, et planum est. Neque datur exceptioni locus in causis *diffamationis*, nam diffamato accusanti incumbit onus probandi et *factum* diffamationis et *damnum* ex illo ortum. Quando actor et reus statuant *appellare*, *qui appellat prior*, *agit* (ex l. 29 *De iudic.* ff.). Negotium facessit quoad iudicia duplicia ; at vero etiam quoad ista cautum est « eum videri actorem qui ad iudicium provocasset » (ex l. 13 *De iudic.* ff.) ; « *sed* quum ambo ad iudicium provocant, sorte res decerni solet » (ex l. 14 *eiusd. tit.* ff.).

Quibus omnibus, utpote praxi et communi sententia Doctorum firmatis (quoad causas diffamationis praxis non fuit constans), prosequimur uti, cum Codex praescripta non habeat (cf. c. 20).

Expositio textus.

Can. 1646. — *De agendi capacitate aut respondendi obliga-* 250.
tione in genere.

Q. I. *Quisnam in iudicio stare possit tanquam actor, quis teneatur tanquam reus, et respondere.*

R. Tanquam actor potest quilibet non exceptus ; tanquam reus tenetur stare, et insuper respondere quilibet legitime conventus. Ita ex h. c. :

Quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur ; reus autem legitime conventus respondere debet.

... agere : stricto sensu, id est, actionem primo proponere et ministerium iudicis implorare, quo iudicium instauret. Post instauratum iudicium potest reus *devenire* actor, lato sensu, nimirum excipiendo, aut factum aliquod opponendo in propriam defensionem, etiamsi ille (reus) prohibeatur agere stricto sensu. — **... prohibeatur** : prohibentur autem soli excommunicati (c. 2263), et ii quidem intra definitos limites ad normam c. 1654.

— ... **reus**:... ac si diceret: *reus autem adesse tenetur, quilibet; etiamsi sit excommunicatus, secus enim cursum* iustitiae praepediret, et ex iniquitate sua commodum reportaret, ut dicit Alex. III (1). — ... **legitime conventus**: id est, a competenti iudice rite citatus, et, quoad obligationem respondendi, cum ab eo fuerit legitime interrogatus, ut dicetur in c. 1743.

251. Q. II. *Quotupliciter possunt partes stare in iudicio?*

R. Personae physicae possunt consistere vel per se vel per alium, puta, procuratorem, aut curatorem; personae morales stant dumtaxat per alium, scilicet, procuratorem, rectorem, administratorem: utraeque ad normas canonum qui sequuntur.

252. **Can. 1647.** — Q. *Utrum et quando partes teneantur adesse ipsaemet.*

R. **Licet actor vel reus conventus procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen tenetur in iudicio ipsemet adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.**

... **iuris**: sive communis sive particularis, seu statutarii. — ... **iudicis**: cuius ius quoad hoc nullis limitibus circumscribitur: at usum habet potissime quoad reum in causis criminalibus, in quibus, cum natura facti iuridici, scilicet delicti, cui sententia conformari debet, dependet non modo ab elemento *obiectivo*, hoc est, *damno* orto ex delicto, sed etiam ab elemento *subiectivo*, id est, *dolo* aut *culpa* delinquentis, illae causae vix aut ne vix quidem cognosci ac iuste definiri possunt, nisi reus adsit ipsemet saltem litis contestationi.

253. **Can. 1648.** — Q. *Quinam pro minoribus aut usu rationis destitutis consistunt,* 1) *ordinario;* 2) *in casu conflictus aut distantiae respectu parentum, etc.;* 3) *in causis spiritualibus, pro aetatis varietate?*

R. I. ex § 1. **Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores.**

... **tutores vel curatores**: appellantur personae maiores (cf. c. 88, § 1), perfecto usu rationis et iurium civilium pollentes, quae ad tuenda iura vel curanda bona aliarum, defectu aut imperfecto usu rationis laborantium, ab istis eliguntur, aut a lege vel a iudice designantur. Tutore vel curatore egent *a*) minores (cf. c. 88, § 2); *b*) filii-familias, quoad peculium;

(1) c. 7, X, *De Iudic.* II, 1.

c) bonis interdicti legitimo decreto ob vitium mentis, vel causa prodigalitatis; *d*) dementes vel amentes.

R. II. ex § 2. **Si iudex existimet ipsorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum vel tutorum vel curatorum, aut ipsos tam longe distare a parentibus aut tutoribus vel curatoribus, ut hisce uti aut minime aut difficulter liceat, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum.**

... **conflictu**: ut puta, si aliquis ex ipsis (minoribus, prodigis, etc.), vel promotor iustitiae (nam istorum causae sunt boni publici) denuntient parentes, vel tutores aut curatores dilapidare eorum bona quae administrant, aut praeterire iura quae tueri debent.

R. III. ex § 3. **Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem, si aetatem quatuordecim annorum expleverint, etiam per seipsos; secus per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam per procuratorem a se, Ordinarii auctoritate, constitutum.**

... **spiritualibus et** ...: quaenam sint hae vide in com. ad c. 1553. — ... **Usum rationis** ...: **expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur quilibet** (c. 88, § 3). — ... **quatuordecim annorum** ... **constitutum**. Huiusmodi praescriptum desumptum est ad litteram ex dispositione Bonifacii VIII in cap. finali. *De iudiciis in VI°*, II, 1. « Ratio est, quia expedit, ait Em.mus Lega (I, p. 30) tales causas spirituales maxima cum libertate agitandas esse, ne exitus habeant infelices. Favor dispositionis (Bonifatianae, quae ex integro refertur in Codice) complectitur minores, tum clericos tum laicos ».

Can. 1649. — Q. *Quinam stat nomine personarum moralium; 1) ordinario; 2) in casu conflictus iurium?* 254.

R. ex h. c. **Nomine eorum de quibus in can. 100, § 3, stat in iudicio rector vel administrator, firmo praescripto can. 1653; in conflictu vero eorum iurium cum iuribus rectoris vel administratoris, procurator ab Ordinario designatus.**

... **eorum**: quia **personae morales sive collegiales, sive non collegiales minoribus aequiparantur** (c. 100, § 3). — ... **rector**: qui, si agatur de persona morali collegiali, cuius sit Superior, sed non administrator, indiget illius consensu ex canone 1653, § 3. — ... **administrator**: qui tamen vi c. 1526,

litem nomine ecclesiae ne inchoent vel contestentur nisi licentiam obtinuerint scripto datam Ordinarii loci, aut saltem, si res urgeat, Vicarii foranei, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem reddere debet. — **... conflictu:** ut puta, si controvertatur utrum extraordinariae expensae a parocho factae in domo paroeciali, inconsulto Episcopo, reficiendae sint ex fructibus qui cedunt beneficio, an ex illis qui cedunt beneficiato. Quod si agatur non de iurium conflictu sed de iurium personae moralis neglectu, huic negotio consulit Ordinarius, ex c. 1653, § 5, assumens ipse personam entis moralis.

255. **Can. 1650.** — Q. *Quomodo stant in iudicio personae bonis interdictae aut minus firmae mentis?*

R. ex h. c. **Bonis interdicti, et ii qui minus firmae mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad praescriptum iudicis: in ceteris agere et respondere debent per suos curatores.**

Bonis interdicti: dicuntur et sunt illi qui ab administratione bonorum prohibentur decreto legitimo, id est, iudiciali, etenim interdictio, utpote iurium privatio, decerni nequit nisi causa iudicialiter cognita. In codicibus civilibus hodiernis una tantum causa interdictionis adduci solet, videlicet, *infirmitas mentis;* sed non ideo credimus exclusum *vitium prodigalitatis*, quod non raro debilitatem mentis redolet, et insuper bono non tantum privato sed etiam publico obesse potest. Iudicium instituitur, instantibus consanguineis aut aliis interesse habentibus, vel etiam publico ministerio, maxime si agatur de vere amentibus. Si interdicendus praesit alicui administrationi ecclesiasticae, ad promotorem iustitiae spectat rem deferre tribunali, utique ecclesiastico; cum enim sententia pronuntianda sit in ordine ad effectus spirituales, iudicium instaurari debet coram iudice ecclesiastico.

... minus firmae mentis: nimirum, qui non sunt amentes, et proinde delicti incapaces (c. 2201, § 2), sed laborant debilitate mentis, quae **delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino** (ibid. § 4). — **... suos curatores:** a lege vel tribunali etiam civilibus datos, et a iudice ecclesiastico legitime admissos iuxta c. sq.

Can. 1651. — Q. *Curator, datus ab auctoritate civili* 1) *qua-* 256.
liter valeat, et 2) *an substitui possit ab Ordinario.*

R. I. ex § 1. **Ut curator ab auctoritate civili alicui datus a iudice ecclesiastico admittatur, debet accedere consensus Ordinarii proprii illius cui datus est.**

R. II. ex § 2. **Ordinarius potest quoque alium curatorem constituere pro foro ecclesiastico, si, omnibus mature perpensis, id statuendum esse prudenter censuerit.**

...pro foro ecclesiastico: id est, ad agendum vel respondendum in causis tum spiritualibus vel connexis, de quibus supra, tum in causis mixti fori, si quae a iudice ecclesiastico praeventa fuerit iuxta dicta in com. ad c. 1533.

Can. 1652. — Q. *An et quando Religiosi, sine Superiorum* 257.
consensu, habeant personam standi in iudicio.

R. ex h. c. **Religiosi sine Superiorum consensu non habent personam standi in iudicio, nisi in casibus qui sequuntur:**

1° Si de vindicandis adversus religionem iuribus sibi ex professione quaesitis agatur;

2° Si ipsi extra claustra legitime morentur et iurium suorum tuitio urgeat;

3° Si contra ipsum Superiorem denuntiationem instituere velint.

Religiosi: intellige, *a*) uti *singuli*, non *collective* sumpti (cf. Lega, I, n. 65), unde nomine *religiosi* non veniunt hic conventus, provincia aut religio; *b*) *quatenus religiosi*, et quidem agentes aut respondentes *nomine proprio*, veluti si, ob debita contracta sine licentia Superioris (c. 536), regularis conveniretur, religiosus vero conveniretur aut convenire vellet aliquem in iudicio; *c*) *non quatenus rectores aut administratores* alicuius personae moralis, v. g. ecclesiae, beneficii, etc., cuius iurium tuitio non dependet a Superiore, et agentes aut respondentes *nomine illius*, scilicet, personae moralis; tunc enim stare non modo possunt sed tenentur. Nec obstat quod religiosi *non habent velle et nolle absque Superioris consensu;* nam iste intelligitur necessario contentus in facultate concessa acceptandi administrationem (cf. cap. 1, II, Clem. *De rescriptis*). — **...consensu:** qui est necessario *implicitus*, si agatur de iuribus personarum moralium quorum personam agit, ut dictum est; sed debet esse *expressus*, si agatur *a*) de propriis iuribus, et *b*) non commoretur extra conventum, atque *c*) iurium tuitio non urgeat.

... **personam:** id est, capacitatem, nisi in tribus casibus in h. c. exceptis, et in commentario ad verbum praecedens recensitis. Ratio est, quia extra hos casus iudicium non versaretur nisi circa bona temporalia quibus religiosus renuntiavit, aut circa iura patrimonialia quae ad religionem transierunt. — ... **adversus religionem:** non vero adversus alios, v. g. parentes, qui iudicium instituerent ob dispositionem a religioso factam de bonis suis, vel aliud quidpiam. — ... **ex professione:** v. g. ius manendi in Monasterio, vel circa electionem canonicam de se factam ad normam Constitutionum, ut arguitur ex c. 22, X, *De rescriptis*, I, 2, etc. Cf. Reiffenst. (1). — ... **iurium suorum:** scilicet spiritualium, v. g. reparatio iniuriae sibi illatae, quibus per professionem non renuntiavit, sed quorum defensionem moderationi seu directioni Superiorum subiecit. — ... **ipsum Superiorem:** ob laesionem alicuius iuris sive religiosi denuntiantis, etiam ex illis iuribus quorum tuitionem moderationi Superiorum subiecit, sive etiam religionis cuius tuitionem contra Superiorem delinquentem aut negligentem ad singulos sodales spectare non ambigitur.

258. **Can. 1653.** — *De personis ac conditionibus a iure praescriptis ad standum in iudicio pro personis moralibus.*

Q. I. *Quinam, et quo pacto stant in iudicio,* 1) *nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis,* 2) *cuiusvis beneficii, et* 3) *quorumlibet sodalitatum et collegiorum?*

R. I. ex h. c., § 1, videlicet:

§ 1. **Ordinarii locorum possunt nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis stare in iudicio; sed, ut licite agant, debent audire Capitulum cathedrale vel Consilium administrationis eorumve consensum vel consilium habere, quando periculo vertitur pecuniae summa pro qua alienanda ad normam can. 1532, §§ 2, 3 eorundem consensus vel consilium requiritur.**

Ordinarii locorum: qui tales sint iuxta c. 198, § 2. Sed Episcopus stare debet per procuratorem, vi c. 1656, § 4. — ... **possunt:** id est, capacitatem standi habent, et proinde obligationem quoties laedi contigerit iura quorum tuitio est illis commissa. — ... **cathedralis:** non ceterarum, etiam Collegiatarum, nam pro illis stat vel rector (§ 2) vel Superior Capituli (§ 3). — ... **mensae episcopalis:** quo nomine venit *massa*

(1) *I. C. U.*, L. II, Tit. I, § VII, n. 170.

bonorum destinata ad sustentationem temporalem praebendam Ordinario et curiae dioecesanae, id est, Ordinario et **illis personis quae Episcopo aliive, qui loco Episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine totius dioecesis** (c. 363, § 1); quales sunt Vicarius Generalis, officialis, etc. (ibid. § 2). — ... **Capitulum cathedrale**: in quibus dioecesibus constitutum est ad normam c. 391; sed **in quibus dioecesibus nondum constitui potuit restituive cathedrale canonicorum Capitulum** (c. 423), audiri debet **coetus consultorum dioecesanorum** (c. 427).

Idem dicito de *praelatura saeculari* quae Capitulo careat (c. 326). — ... **Consilium administrationis**: de quo in c. 1520 et sq. — ... **consensum**: tum Capituli vel coetus consultorum, tum Consilii administrationis, si valor rei litigiosae **continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum** (c. 1532, § 3). — ... **consilium**: si lis sit **de rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum** (ibid. § 2).

R. II. ex § 2. **Beneficiarii omnes nomine beneficii possunt in iudicio agere aut respondere; quod tamen ut licite faciant, servare debent praescriptum can. 1526.**

Beneficiarii: vere tales ad normam c. 1410, non autem qui gaudent officio aut iure quae **aliquam cum beneficiis similitudinem praeseferant** (c. 1412) uti sunt 1. **Vicariae paroeciales non in perpetuum erectae**; 2. **Cappellaniae laicales**... 3. **Coadiutoriae**... 4. **Pensiones personales**... 5. **Commenda temporaria**... (ibid.) Attamen, ex c. 1419, § 1, etiam quoad veros beneficiarios, circa legitimam personam standi in iudicio, **in limine fundationis, fundator potest, de consensu Ordinarii, conditiones etiam iuri communi contrarias apponere, dummodo sint honestae, et naturae beneficii non repugnent.**

... **omnes**: dummodo tamen sint veri seu liberi administratores bonorum beneficii utpote istius iura et onera excercentes nomine proprio. Defectu huius conditionis non stant in iudicio *Vicarii actuales*, id est illi qui actu gerunt curam paroeciae quae unita est alicui personae morali, seu cuius cura habitualis est penes personam moralem, v. g. Capitulum, domum religiosam aut collegium (c. 471); sed stant illi qui designantur in sequenti § 3. Etenim « ratio ob quam beneficiariis competit stare in iudicio nomine beneficii innititur huic principio: *qui liberam administrationem habent alicuius rei, quoad illam agere et respondere possunt.*

« Hoc principium, ait Card. Lega, firmatur l. fin. ff. *Quod*

cuiusque univer. nom.; et cap. 21, X. *De Rescriptis*, I, 3, et can. 9, can. 18, q. 2. Ipsa naturali ratione hoc comprobatur...» Iam vero ex c. 415 habetur: § 1. **Si ecclesia cathedralis aut collegialis simul sit paroecialis...** § 3. **Ad Capitulum spectat...** 3° **Ecclesiae curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis.** Et ex c. 609, § 1. **Si ecclesia, apud quam residet communitas religiosa, sit simul paroecialis, servetur, congrua congruis referendo, praescriptum can. 415.** Cum igitur, vi horum canonum, ad personam moralem spectet, non autem ad eius Vicarium, bona beneficii administrare, ad illam quoque pertinet stare in iudicio nomine beneficii.

...**praescriptum can. 1526:** quod imponit obligationem obtinendi licentiam **scripto datam ab Ordinario loci, aut saltem etc.** *Loci*, inquam; et haec obligatio tangit omnes administratores, licet sint personae morales, ut Capitulum aut domus religiosa, nam canon non distinguit.

R. III. *a*) quoad ipsam *legitimam personam* standi, ex c. 1649, iuxta quem pro huiusmodi communitatibus **stat in iudicio rector vel administrator, firmo praescripto can. 1653;** et *b*) quoad *conditionem* sub qua stare possunt, ex hoc c. 1653, qui sic se habet:

§ 3. **Praelati ac Superiores Capitulorum, sodalitatum et quorumlibet collegiorum stare in iudicio nequeunt, nomine suae cuiusque communitatis, sine eiusdem consensu ad normam statutorum.**

Praelati: (cf. c. 110), saeculares, nam quoad communitates religiosas providetur in § 6. — ... **Superiores Capitulorum:** saecularium, sive immediati inferiores, v. g. Decani, vel quocumque alio nomine designentur, sive praecipui, ut Episcopi. — ... **sodalitatum et quorumlibet collegiorum** (Superiores, seu rectores vel administratores immediati); ut puta, quae dicuntur *sodalitates tertiariorum* (c. 702), vel *sodalitia audiunt* (c. 707), vel *confraternitates* appellantur, vel alias rationem personae moralis collegialis (quae non sit Capitulum de quo in v. praecedenti, aut communitas religiosa, de qua in § 6) sortiuntur **sive ex iuris praescripto, sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum** (c. 100, § 1). Quorum omnium Superiores vel rectores intelliguntur, inquam, immediati inferiores, ut patet ex verbis: **suae cuiusque communitatis.**

... **consensu:** praeter licentiam Ordinarii loci, ad normam c. 1526, nisi administrator sit ipse loci Ordinarius. — ... **ad normam statutorum:** quae verba limitant et explicant praecedens praescriptum de communitatis consensu; ita ut hic intelligendus sit quidem praescriptus, sed nisi statuta aliud habeant. Aliunde vero, si statuta aliud non habeant, consensum communitatis exquirere debent administratores, licet sint ipsi Ordinarii, nam canon non distinguit. Et hoc quamvis ex iure particulari *aut fundationibus* bona communitatis administranda sint a rectore, vel superiore vel praelato tantum; nam contra vetus principium: *cuius est administrare eius est agere*, potuit Legislator statuere quod, ni fallimur, statuit in hoc canone. Quocirca non est amplius habenda ratio distinctionis quam interpretes in c. 21, X *De Rescriptis*, I, 2, fecerunt quoad hanc rem, inter bona Praelato et Capitulo communia tam quoad rem quam quod administrationem, et bona utrique communia quoad rem sed administrationi Praelati commissa. (Cf. Lega, *De Iudic.*, vol. I, 69, et Reiff., l. c. Tit. II, *De Iudiciis* n. 171).

Q. II. *Qui consensum aut consilium non exquisierunt,* **259.** 1) *utrum invalide, an illicite tantum egerint;* et 2) *cui sanctioni subeant.*

R. I. Egerunt valide, ex can. 1680; nam consensus aut consilium non sunt hic praescripta sub poena nullitatis, nec actum essentialiter constituunt. Cf. c. 1680, § 1.

R. II. ex hoc. c., § 4. **Adversus eos de quibus in §§ 1-3, si sine praescripto consensu aut consilio in iudicio egerint, piae causae aut communitati ius est ad refectionem damnorum.**

... **piae causae:** seu instituto ecclesiastico non collegiali, ut beneficio, hospitali, Seminario, fabricae ecclesiae, mensae episcopi. — ... **communitati:** seu instituto ecclesiastico collegiali; v. g. Capitulo, sodalitio, etc. — ... **refectionem damnorum:** nam **administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias munus suum implere tenentur** (c. 1523; cf. c. 1526).

Q. III. *Quisnam stat in iudicio pro personis moralibus, de-* **260.** *ficiente aut negligente administratore immediato?*

R. ex h. c., § 5. **In casu vero defectus vel negligentiae illius qui administratoris munere fungitur, potest ipse loci Ordinarius per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum moralium quae sub eius iurisdictione sunt.**

... **defectus**: ob mortem aut absentiam, aut inidoneitatem rationabiliter existimatam. — ... **negligentiae**: quia non agit aut respondet, vel utrumque peragit non recte. — ... **fungitur**: id est, sive appelletur administrator, sive rector, sive alio nomine, modo administret. — ... **loci Ordinarius**: quia sub Romano Pontifice qui **est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator** (c. 1518), **loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum quae in suo territorio sint nec ex eius iurisdictione fuerint subducta** (ut puta, bona religiosorum exemptorum c. 532), **salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant** (c. 1519, 1), id est, iura administrationis immediatae, per se vel per alium a se nominatum, peragendae. — ... **sub eius iurisdictione**: quoad administrationem, licet in se seu quoad alia sint exempta. Sic, ex c. 535, § 1: **In quolibet monialium monasterio etiam exempto**:

1° **Administrationis ratio ... reddatur... ab Antistita Ordinario loci, itemque Superiori regulari, si monasterium sit eidem subiectum** (cf. quoque c. 533, § 1, 1° et 4°).

261. Q. IV. *An et quomodo Superiores religiosi queant nomine suae communitatis stare in iudicio.*

R. ex h. c., § 6. **Superiores religiosi nequeunt nomine suae communitatis stare in iudicio, nisi ad normam constitutionum.**

Superiores: non praecise *Praelati*, id est, Superiores ordinariam iurisdictionem habentes in foro externo (c. 501); unde heic intelliguntur quoque Superiores Congregationis Religiosae etiam laicalis. Et merito, nam agere aut respondere in iudicio non est actus iurisdictionis sed oeconomicae administrationis.

... **nequeunt**: nisi ad normam constitutionum. Ergo *a*) si constitutiones Superioribus stare concedant, ipsi valide et licite queunt, et planum est; *b*) si constitutiones denegent, iidem nequeunt stare licite, ut patet, sed possunt valide, nam ex canone 532, § 2, **actus iuridicos ordinariae administrationis valide, praeter Superiores faciunt... officiales quoque,** etc.; iamvero iura et bona vindicare et defendere in iudicio est actus ordinariae administrationis, utpote qui ex se non importat nec aequivalenter alienationem; *c*) si constitutiones sileant de hac re, et actus administrativos Superioribus inhibeant, possunt hi valide stare, quia, licet adsint officiales administratores, Superiores, vi c. 532, non desinunt administratores esse, saltem

quoad validitatem actus ordinariae administrationis, et proinde possunt vali de stare in iudicio; *d*) si constitutiones sileant, sed actus administrationis Superioribus non interdicant, possunt ii valide et licite stare in iudicio, non secus ac officiales, imo prae istis.

Can. 1654. — *De diversa excommunicatorum capacitate agendi in iudicio prout sint a) vitandi; b) tolerati non denuntiati per sententiam aut decretum; c) tolerati non sententiati.*

Q. I. *Quandonam vitandis et toleratis denuntiatis permittitur* 262.
agere, a) per se ipsos; quandonam b) per procuratorem: quando autem c) omnino repelluntur.

R. ex h. c., § 1. **Excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem, ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur.**

... **vitandis**: qui, nimirum, Summi Pontificis sint percussores (2343, § 1, n. 1°), aut a S. Apostolica nominatim excommunicati, et *uti vitandi* expresse (c. 2258) et publico decreto aut sententia denuntiati (cf. cc. 2232, § 1, 2223, § 4 et 2225). — ... **toleratis** (seu ceteris excommunicatis praeter eos dictos *vitandi*) **post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam** (cf. cc. 2223, § 4 et 2232, § 1), aut post decretum **scripto aut coram duobus testibus** datum iuxta c. 2225; nam omnes ii ex tunc aequiparantur vitandis. — ... **permittitur**: quia in hoc casu actio est defensio necessaria, quae nemini etiam excommunicato denegatur in iudicio (1). — ... **iustitiam**: allegando nempe, quod excommunicatio inflicta aut declarata non fuerit *a*) ob delictum **certum et non legitime praescriptum** (canon 2233, § 1); et quidem *b*) **externum, grave, consummatum et cum contumacia coniunctum** (c. 2252, § 1); aut *c*) contumacia, si agatur de excommunicatione *ferendae sententiae*, non appareat clara ex monitionibus factis (c. 2233, § 2) et contemptis (c. 2242, § 2), aut esse desierit iuxta c. 2242, § 3.

... **legitimitatem**: seu validitatem, afferendo *a*) quod de delicti certitudine, gravitate et externa consummatione non **legitime constet** (c. 2233, § 2), id est, **per sententiam iudicialem** (2225) seu per iudicium condemnatorium aut declara-

(1) Cap. 5, X *De except.* II, 25.

torium, aut per scriptum aut per testes indicatis poenae causis si agatur de excommunicatione lata ad modum praecepti particularis, aut iisdem modis non constet de contumacia; *b*) vel quod decretum aut praeceptum excommunicationem ferentia sint nulla, quia Superior potestate carebat (cf. c. 2220 et sq.); *c*) vel quod sententia aut decretum excommunicationis condemnatoria aut declaratoria fuerunt nulla, quia iudex erat absolute incompetens (c. 1892) aut excommunicatus (c. 2264), vel tribunal non constabat legitimo iudicum numero (cc. 1822, 1576, § 1, 1°), aut defuerunt citatio vel alia de quibus in c. 1894, aut sollemnitas scripturae vel testium, aut indicatio causarum de quibus in c. 2225. — **...praeiudicium:** ut puta ad petendam declarationem nullitatis matrimonii.

...in reliquis: sive contentiosis sive criminalibus causis, etiam ordinatis ad propriam iniuriam reparandam vel famam tuendam, repelluntur; quia est utile ad frangendum eorum contumaciam et hoc modo procurandum ipsis bonum animae, et actio non est in illis casibus necessaria defensio, cum iidem possint, quando velint, ab excommunicatione liberari. — **...repelluntur:** id est **ex officio semper excludi debent** (can. 1628, § 3).

263. Q. II. *An, quando et quomodo excommunicati tolerati non denuntiati stare possint in iudicio.*

R. ex h. c., § 2. **Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt.**

Alii: id est, ceteri excommunicati, praeter vitandos et toleratos legitime denuntiatos per sententiam aut decretum ut dictum est (v. **toleratis post sententiam**), in summa, tolerati non denuntiati. — **...generatim:** id est, quoties non repellantur ab illis quorum intersit, nimirum, a parte adversa vel eius procuratore, vel etiam a promotore iustitiae in causis criminalibus et boni publici. Repelli autem possunt **in quolibet iudicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam** (c. 1628, § 3). — **...stare:** sive per se sive per procuratorem, nisi iste ob excommunicationem domini seu principalis repellatur.

264. Q. III. *Utrum et quomodo excommunicati, etiam vitandi, possint et teneantur stare in iudicio tanquam rei.*

R. Quilibet excommunicatus conveniri potest, id est, stare ut reus, *ne videatur de sua malitia commodum reportare*, ut dicitur in cap. 7, X, *De Iudiciis*, II, 1; nam haec lex, licet in

Codice non contineatur, nullam vim in hac parte amisisse dicenda est, quippe quae exhibet praescriptum legis naturalis. Quoad modum standi, praedictum cap. 7 decernebat: *et debet per alium in iudicio respondere.* Cum autem hoc praescriptum sit meri iuris positivi, et non contineatur in Codice, vim suam amisit; et ideo pars, etsi excommunicata, potest **per se ipsa... respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit** (c. 1655, 3).

Q. IV. *Utrum reconventio permittatur reis excommunicatis* 265.
vitandis, aut toleratis repulsis ab agendo.

R. Negative: nam reconventio, licet ad defensionem adhibeatur, est vera actio (c. 1690). Ideo Innocentius III, qui in cap. 5 supra citato dixit: *praedicto nobili* (excommunicato) *legitima defensio in iudicio reservatur*, subiunxit: *Ceterum, non sic in reconventione sentimus, ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur.*

CAPUT II.

De procuratoribus ad lites et advocatis.

Expositio rubricae.

Q. I. *Connexio et ordo materiae.* 266.

R. Postquam Legislator normas constituit respicientes personas quae *nomine proprio* et tanquam *partes* vere et proprie tales stant in iudicio ad agendum, et respondendum et se defendendum, aptissimo ordine transit ad tradendas regulas spectantes illas personas quae *nomine partium* consistunt in iure ut eas defendant *tanquam advocati*, vel pro eisdem agunt aut respondent ceu *procuratores.*

Q. II. *Advocatorum seu defensorum* 1) *diversae denomina-* 267.
tiones et munera historica; 2) *notio hodierna;* 3) *species;* 4) *utilitas seu necessitas.*

R. I. *Defensores* de quibus sermo est in hoc capite historia iuris commemorat sub multiplici denominatione:

1) Antiquiore iuris romani aetate dicti fuerunt prius *oratores, iurisconsulti, patroni;* deinceps *advocati, causidici, prammatici;* ut omittamus alias denominationes, quae in hoc munere vilioribus vel humilioribus semper applicatae fuerunt, ut puta, *leguleii, formularii, moratoris, monitoris.* Semper, inquam, nam epocha

Ciceronis etiam nomen *causidicus* non bene sonabat; et Quintilianus ipsa denominatione *advocati* usus est quandoque in sensu minus favorabili.

Orator (a causa oranda) erat qui pro litigantibus perorabat in iudicio seu coram iudice.

Iurisconsultus dicebatur, ut hodie, qui, domi manens, litigantium iura defendit *respondendo*, *scribendo*, *cavendo* seu providendo. Ita deducitur ex Cicerone : « Eum dicerem (iurisconsultum) qui legum et consuetudinis eius qua privati in civitate utuntur et ad respondendum, et ad scribendum (alia lit. *ad agendum*) et ad cavendum peritus est » (1). *Respondet* autem quaestionibus iuris sibi propositis, *scribit* allegationes a cliente exhibendas iudici, *cavet* seu providet circa tutiorem viam ineundam, circa pericula declinanda.

Patronus appellabatur tum orator tum iurisconsultus tum quilibet qui suo nomine aut commendatione opem ferebat litiganti. Ita dicti sunt, quia referebant celebre institutum romanum *patronatus* et *clientelae*, iuxta quod patronus iura sui clientis defendere tenebatur et ad hoc, si opus erat, comitare eum ad iudicium : et haec omnia gratis ; unde munus advocati fuit in sua origine et aliquo tempore gratuitum.

Advocatus dictus fuit quasi in iudicium vocatus ad aliquod auxilium litiganti praestandum. Scilicet, cum iurisperitorum opera « ius civile quotidie in melius produceretur » (2) etiam magis implicabantur ambages iudiciales ; unde partes, iuris ignarae, solebant *advocare* in auxilium parentes aut amicos iuris peritos, qui sibi auxilio aut testimonio adessent. Igitur *advocati* nomen in sua primaeva significatione designabat quoscumque opem in iudicio ferentes litigantibus, postea vero designavit solummodo *oratores*.

Hinc tandem *advocatus* appellatus est *qui coram iudice perorat vel postulat pro litigante ;* ideo titulum *De advocatis* Ius Iustinianeum inscripsit : *De postulando* (3). « *Postulare* autem, iuxta celebrem definitionem Ulpiani ibi allatam, nihil aliud est quam desiderium suum vel amici sui apud eum qui iurisdictioni praeest in iure sive iudicio exponere, vel alterius desiderio contradicere. » Ceterae denominationes officium referunt aequale vel simile muneri advocati.

2) In documentis *prioris aetatis iuris canonici*, defensores

(1) *De Oratore*, I, 48.
(2) L. 2, § 13, *De orig. iur.*
(3) L. 1 ff.

in iudicio nominantur *iurisperiti*, *scholastici*, *togati*, *defensores*, *advocati*. Quae postrema denominatio frequentior evasit et invaluit, sed non cum exclusione aliarum etiam iuris romani, scilicet, *oratoris*, *patroni*, *iurisconsulti*. Qui fuerint antiqui ecclesiarum *advocati* seu *defensores* disputatur inter eruditos, ut videre est apud Ferraris. Hic putat quatuor genera *advocatiae* distinguenda esse, nempe, *defensionis*, *iurisdictionis*, *administrationis* et *protectionis*; advocatiam vero defensionis duplicem fuisse: *forensem* seu *togatam* et *armatam* seu *sagatam*. Haec nomina, ex quibus munerum natura coniicitur, sufficiat insinuasse curiosis.

De *advocatis* seu *defensoribus ecclesiarum* in Ecclesia Orientali fit mentio in c. 2 Conc. Chalced. an. 451. Ecclesiae Africanae suos *defensores* expetenti (c. 3 Conc. Cartag. XI, an. 407) concessit Honorius imperator (L. 38 Cod. Theod. XVI, 2). In Ecclesia autem Romana iam a tempore Innocentii I (a. 402-417) inveniuntur stabiliter constituti *septem defensores regionis Urbis*; quibus, praeter alia officia, demandata fuit defensio iurium ecclesiarum. Ex illis probabiliter ducunt originem *Advocati consistoriales*. Respectu istorum, *a*) Bened. XII sua const. *Decens et necessarium*, 26 Oct. 1340, eorum coetum ordinavit, non instituit; *b*) iisdem *septem* primis, *numerariis* seu *participantibus*, Sixtus IV alios *quinque* adiunxit iuniores, *supernumerarios vel non participantes*; *c*) eosdem *in duodenario numero* stabiliter definito Bened. XIV, sua const. *Inter conspicuos*, 29 Aug. 1744, approbavit, iisdemque praerogativam reservavit scribendi in iure in causis beatificationis et canonizationis Sanctorum.

R. II. Ex praemissis, *advocatus* dicitur *ille qui pro alio praesente postulat, seu consilio et opera eum defendit in iudicio*. Haec definitio munus advocati proprium innuit, et sufficienter discernit ab officio *procuratoris* et *iurisconsulti*, cum quibus confundi posset. Ex ea deducitur quod ad munus advocati pertinet in primis litigantem *defendere*, non autem quomodocumque, sed iuris praescripta invocando et urgendo in eius favorem. In quo differt a munere *procuratoris*, cuius est litigantem *repraesentare* et eius voluntatem velut merus administer exsequi. Deinde advocatus litigantem *defendit in iudicio* seu coram iudice; et in hoc differt *a iureconsulto*, qui domi suae respondet litiganti, et pro eo scribit et cavet, ut dictum est. Porro munus advocati honorificum est valde, et considerari potest uti *publicum* eo sensu quod iustitiae defensores non minus provident humano generi quam civitatum rectores.

R. III. *Advocati*, alii sunt *publici*, qui suam operam impendunt *in causis Fisci seu Reipublicae* vel *Ecclesiae*, alii *privati* si eam praestant *in causis privatorum;* alii sunt *immatriculati*, seu in album advocatorum inscripti, alii *non scripti:* quidam *voluntarii*, qui a nemine coacti patrocinium alicuius causae suscipiunt, nonnulli *necessarii*, qui auctoritate iudicis iubentur litigantem defendere. Hoc ultimum contingit saepe immatriculatis; quibus successive committitur defensio reorum qui advocato carent. *In Romana Curia* adsunt insuper *Advocati Consistoriales*, et *Advocati Rotales*. Isti sunt sacerdotes vel laici, qui laurea doctorali saltem in Canonico Iure instructi, post triennale tyrocinium vel qua coadiutores penes aliquem ex Auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sunt et diploma advocatorum acceperint. (*L. P.* c. 14). Illi sunt advocati rotales, qui insuper potiti sint saltem licentia in sacra theologia et fecerint tyrocinium penes aliquem ex advocatis Sacrae Congregationis Rituum vel penes ipsum fidei Sub-promotorem generalem (c. 2018).

R. IV. Non modo *utiles*, verum etiam *necessarii* sunt advocati, quatenus eis indigent regulariter tum actor tum reus ad iudicium recte instaurandum et prosequendum, et ad iura probanda et defendenda. Actoris enim interest probare factum evenisse non quomodocumque sed talibus circumstantiis vestitum ut illi respondeant determinati legis articuli, ex quorum applicatione ad factum oritur ius subiectivum quod sibi vindicare intendit. Hoc autem peragere potest solummodo qui perfecte calleat legum scientiam, et non mediocrem prudentiam habeat in comperiendis et habiliter proponendis prae oculis circumstantiis quae scopo favent. Utrumque autem deest regulariter cuivis non advocato. Idem, servata proportione, dicito de reo; nam, etsi suo morali officio sufficiat passive se habere, attamen plurimum sua refert actorem refutare obiiciendo facta opportuna et invocando iura seu praescripta legum eis respondentia. Praeterea bonum publicum exigit ut actus iudiciales tum actoris tum rei ponantur conformiter normis processualibus, quae, quoad minuta particularia, advocatis tantum sunt apprime rectissime notae.

268. Q. III. *Procuratoris* (et mandati), 1) *notio;* 2) *origo et evolutio historica;* 3) *divisio, maxime historica;* 4) *officia;* 5) *iura;* 6) *potestas vi mandati.*

R. I. *Procurator* dicitur quasi *pro alio curator*. Hinc iure romano l. 1, ff. h. t. definitur : « qui aliena negotia mandato domini administrat ». Amplioribus verbis sed clarius, describi potest: *persona, cui negotia a domino nolente, vel non valente eis personaliter superesse, committuntur administranda in iudicio vel extra.* Ex his liquet procuratoris munus esse quandam *speciem mandati*, nam ad procuratorem spectat aliquid peragere ex commissione et nomine alterius quem repraesentat.

Porro *mandatum* dicitur *contractus quo quis alteri se obligat ad gratis faciendum aliquid sibi commissum.*

Mandatum est ex natura sua *contractus gratuitus et unilateralis. Gratuitus*, quippe, ut merito dicit l. 1, ff. « mandatum, nisi gratuitum, nullum est ; nam originem ex officio et amicitia habet: contrarium porro est officio merces ; interveniente enim pecunia res ad locationem et conductionem potius respicit ».

Et initio quidem ita res se habebat apud romanos ; postea vero facta fuit mandatariis facultas exigendi, saltem praestito officio, honorarium loco remunerationis, adeo ut ex l. 6, ff. h. t. « si, (etsi) remunerandi gratia honor intervenit, erit mandati, actio, » id est, ius petendi in iudicio honorarium. *Unilateralis* vero, quia ex se obligationem inducit in mandatario tantum. Ex se, inquam, nam *ex postfacto*, et accidentaliter, virtute permissionis aut dispositionis legis, obligationem remunerandi, et quidem exigibilem, inducere potest etiam in mandante seu domino. Quandonam inducat vel secus dependet regulariter ex iure civili cuiusque regionis, cum ex c. 1529: **Quae ius civile in territorio statuit de contractibus... eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.**

Mandatum vocatur quoque tum medium quo contractus exprimitur, v. g. scriptura, tum ipsemet contractus, quatenus expressus.

Ex eadem definitione procuratoris deducitur quaenam sit differentia inter ipsum et *negotiorum gestorem*, aliosque similes. Procurator differt in rigore iuris *a negotiorum gestore*, quia hic inscio domino agit ; *a tutore et curatore*, qui non mandato domini, id est pupilli aut minoris, sed mandato seu decreto alterius constituitur ; *a nuntio*, nam huic nudum ministerium committitur ; *a defensore*, qui reum proprie talem, et inscium non modo sed et invitum tueri potest.

R. II. Rudiores populi consueverunt non permittere ut quis per alium ageret, praecipue in iudicio. Etiam apud Ro-

manos antiquiore aetate hic mos viguit, « cum olim, ut ait Gaius (*Instit.* IV, 82), quo tempore *legis actiones* in usu fuissent, alieno nomine agere non liceret, nisi pro populo et libertatis causa ». Deinceps, *sub systemate formularum*, permissum est ut in actibus processualibus valeret quis repraesentari per alium, qui initio vocabatur *cognitor*, postea vero *procurator* antonomastice appellatus fuit, ad differentiam eorum qui extra iudicium agebant nomine alieno et dicti sunt *mandatarii* (1). *Cognitor* non nisi *certa formula* vel *per certa sollemnia verba* coram magistratu constituebatur ; *procurator* vero nullis certis verbis sed *solo mandato*. Ast ut non haberetur tanquam merus mandatarius, ius civile (2) exigebat ut, lite contestata, fieret *dominus litis*, id est, ut ei lis (non autem res litigiosa) cederetur. Exinde sententia, nonnullis casibus exceptis ferebatur in procuratorem ; qui tamen per eam non sibi sed domino rei acquirebat. Et quia admittebatur mandatum praesumptum, ne partes abuterentur iure agendi et respondendi per praesumptum procuratorem, dispositum fuit ut posset exigi a procuratore actoris *cautio de rato habendo*, a procuratore rei *cautio de iudicato solvendo* (3).

Ius canonicum excepit generatim huiusmodi dispositiones Iuris romani, easque evolvit maxime *in Sexto Decretalium et Clementinis*, ita ut *perfectum institutum iuridicum* exhibuerit. Hinc etiam in re iudiciali viguit illud principium iuris naturalis in *reg.* 68 *iuris in VI°: potest quis per alium quod potest facere per seipsum*. Attamen ex *Decreto*, can. 5, q. 3, in causis criminalibus non admittebatur procurator nec pro reo nec pro actore : quod confirmatur cap. 5, X *De proc.* I, 38, et expressius c. 15, X *De accusat.* V, 1 : *Licet... nec procuratores eius in causa possumus recipere criminali*. Quoad dominium litis, praeter casus iure romano exceptos, adiecit causas criminales, matrimoniales, beneficiales, aliasque spirituales causas ecclesiae, monasterii etc. ; adeo ut mirum non sit invaluisse consuetudinem non considerandi procuratorem uti dominum litis, et ferendi sententiam in quovis casu in mandantem. Propterea, et « quia in foro ecclesiastico non dantur poena capitis et carcerationis quae exigunt *personalem exsecutionem*, sed aliae adhibentur *in bonis* condemnati, exsecutionem obtinentes etiam contra contumacem seu absentem, ut sunt poenae suspensionis,

(1) Cfr. Mainz, versio hispana, *Derecho Romano*, II, § 220, et Lega, *De Iudic. Eccl.*, I, n. 101.

(2) Lib. 11 ff. *De doli mali except.* - Lib. 1, *Cod.* h. t. 11. - 46, 51, 52, 53 ff. h. t.

(3) Lib. *Exigendi*, 12. Cod. *De proc.* et § fin. Inst. *De satisfactionibus.*

privationis beneficii et exilii » (1) procuratores coeperunt non arceri absolute a causis criminalibus.

R. III. *a*) Ratione *qualitatis mandati*, praecipua procuratoris divisio est in *iudicialem* seu *ad lites*, si mandatum accipiat ad negotia tractanda agendo vel respondendo in iudicio; et *extraiudicialem* seu *ad negotia* si ad haec extra iudicium expedienda. De prioribus heic praecipue loquimur.

b) Ratione *quantitatis* seu *amplitudinis mandati*, alius est *procurator generalis:* qui, nimirum, constituitur *mandato generali* seu *ad omnia negotia* tum iudicialia tum extraiudicialia, quae a mandante committi valent; alius *specialis*, qui constituitur *mandato speciali*, id est, ad aliquod negotium vel aliqua negotia, v. g. talem litem vel tales lites, aut ad aliquam speciem negotiorum, ut puta ad iudicialia seu ad lites, vel ad extraiudicialia, sive nonnulla sive omnia. Procurator *generalis* subdividi solet; quandoque enim dicitur *generalis simpliciter* si constituitur mandato generali sine addito, quandoque dicitur *generalis cum libera* seu *alter ego*, si mandato generali apponatur clausula *cum libera*, id est, *plena facultate ministrandi*, etiam alienando, non tamen contractu gratuito.

c) Ex parte *materiae*, quivis dicitur procurator *in rem alienam*, si in utilitatem domini, ut assolet, constituatur; aut *in rem suam*, si nomine quidem domini sed in propriam utilitatem agat, quia ex. gr. dominus ei cedet dominium rei cuius pro tunc obtinet administrationem.

d) Ex parte *personae constituentis*, in primis alii procuratores sunt *publici* seu *fiscales* si *Fiscum* seu Rempublicam vel Ecclesiam repraesentant, *privati* si personas particulares, sive physicas sive morales; rursus dicti sunt *Syndici* quando ab aliqua universitate vel communitate constituti sunt, alias procuratores simpliciter. Denique, dicitur procurator *principalis*, qui a domino directe constituitur, *substitutus* vero qui a procuratore principali.

e) Ex parte *personae constitutae*, dicti sunt hucusque procuratores tum unici tum numero plures, ut patet ex c. 6, h. t. in VI°; et hoc sive eodem sive diverso tempore deputarentur.

f) Ratione *modi constitutionis et processus* quando erant plures, dicti sunt vel *procuratores collegiales* seu *simpliciter*, si tota potestas circa eadem negotia committebatur non singulis sed omnibus simul sumptis, ita ut deberent eam exsequi hoc

(1) Lega, *l. c.* n. 117.

modo, seu *collegialiter;* vel *procuratores in solidum* si potestas committebatur tum omnibus tum singulis, ita ut *quicumque* negotium praeveniret posset illud expedire sine aliis.

g) Denique ratione *formae mandati*, quod poterat esse *praesumptum* aut *verum*, *orale* aut *scriptum*, *expressum* aut *tacitum*, praecipua divisio procuratoris erat in *verum* et *praesumptum*.

269. *R.* IV. Ex veteri iure, quod, utpote iuri naturali innixum, viget in hac parte, procurator tenetur: *a*) Diligenter custodire fines mandati; nam ut dicitur in l. *Diligenter* ff. *Mandati*, « qui excessit, aliud quid facere videtur »; et ei applicari potest quod de delegato decernit c. 203, § 1... : **qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit:** *b*) Rationem domino reddere de omnibus gestis, et eidem tradere vel restituere quidquid occasione iudicii ad illum pervenit; et planum est. *c*) Compensare omne damnum eidem illatum sive excedendo fines mandati, sive prosequendo iudicium intra fines quidem mandati, sed dolo aut tali culpa quae delictum constituat, ut si *falsum* in scripturis fuerit, aut iudicem contumeliis affecerit, etc.; ad quod datur domino *actio mandati*, et, si procurator solvendo non sit, etiam *restitutio in integrum*, seu facultas litigandi iterum de eadem (Glossa in c. 2, X *De in integr. restit.*): extra hos casus, ut puta, si procurator aliquam probationem omiserit, vel necessariam exceptionem non opposuerit tempore opportuno, culpa illius nocet Domino, qui sibi imputet si talem procuratorem elegit (ex cc. 2, X *De in integr. restit.*, I, 41, et 7, X *De causa poss. et prop.* I, 62).

R. V. *a*) Ex iure veteri, ius naturale exhibente, procurator repetit a mandante omnes expensas bona fide factas occasione mandati, etsi negotium infelicem exitum habuerit absque sua culpa (ex c. 6, X *De procuratoribus*, I; *b*) Ex c. 159, supra citato, potest exigere a mandante (cfr. c. 1529) mercedem seu salarium, si ius civile territorii hoc statuit circa contractum mandati; aliter non, si quid opinor, nam, ut dictum est supra, mandatum est contractus ex se gratuitus.

R. VI. Mandatum confert procuratori *potestatem* repraesentandi mandantem seu dominum, et faciendi in ordine ad expediendum negotium eidem commissum non omnia quae mandans posset facere sed ea tantum, quae verbis seu tenore mandati exprimuntur, aut iure, sive scripto sive consuetudinario, intelliguntur illis verbis significata vel aliter commissa. Cum autem ius intelligatur hic generatim ius civile, quia agitur de quodam

contractu (c. 1529) opus non est referre principia et normas veteris iuris can. quibus determinabatur potestas singulorum procuratorum, scilicet procuratoris generalis simpliciter, generalis cum libera, etc. eo vel magis quod ea quae vigent referuntur in c. 1662.

Expositio textus.

Can. 1655. — *De his qui possunt aut debent constituere advocatum et procuratorem.*

Q. I. *Utrum, quando et qualem advocatum debeat habere reus in iudicio criminali.* 270.

R. ex h. c., § 1. **In iudicio criminali reus aut a se electum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.**

... **criminali**: proprie tali, seu *criminaliter acto*, in quo, nimirum, agitur ad poenam ob delictum irrogandam vel declarandam, in eo enim vertitur bonum publicum; non in iudicio in quo intenditur tantum reparatio aut compensatio damni passi occasione delicti, nam istud iudicium potius est contentiosum, et certe circa bonum privatum. — ... **electum**: et ab Ordinario approbatum (c. 1658, § 2). — ... **datum**: si reus recusaverit eligere, aut advocatus ab eo electus detrectaverit acceptare. *Datum* autem non tamen gratuito, nisi reus sit pauper, ad normam c. 1914, sq.

Q. II. *An et in quibus casibus tum actor tum reus debeant habere advocatum, et a quo, in iudicio contentioso.* 271.

R. ex § 2. **Etiam in iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, iudex parti carenti defensorem ex officio attribuat, aut, si casus ferat, parti etiam habenti alium adiungat.**

... **contentioso**: seu circa iura persequenda aut vindicanda (c. 1552). — ... **minoribus**: et personis moralibus, quippe quae illis aequiparantur (c. 100). Ratio legis est quia praesumitur minores esse incapaces se apte defendendi, et timetur ut eorum tutores, vel curatores, et personarum moralium rectores aut administratores sufficienti studio et diligentia consulant defensioni; proprium autem est Ecclesiae, et proinde pertinet ad eius bonum publicum, defendere personas miserabiles, id est miseratione dignas. — ... **publicum**: v. g. in iudicio circa valorem matrimonii aut sacrae ordinationis, etc. — ... **parti**: tum reo

tum actori, nam canon non distinguit. — ... **carenti**: sive quia non potest sive quia non vult habere. — ... **ferat**: quia v. g. advocatus a parte electus non satis diligentem se ostendit.

272. Q. III. *In quibus casibus possint actor vel reus tum advocatum aut procuratorem constituere, tum per se ipsi in iudicio stare.*

R. ex § 3. **Praeter hos casus pars libere potest advocatum et procuratorem constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.**

... **hos casus**: in praecedentibus paragraphis recensitos. — ... **in iudicio**: coram quocumque tribunali, exceptis tribunalibus ordinariis S. Sedis, ut dictum est in com. ad Tit. II, cap. III, art. 1, quaest. V. — ... **necessarium**: ut puta, quia normarum processualium, aut, alias, iuris nimis ignara, implexam aut longiorem reddit expeditionem causae. Hoc praescripto ampliatur aut saltem explicatur facultas iubendi partes comparere personaliter, de qua in cap. 1, *De Iudic.* in VI°, II, 1.

273. Q. IV. *Quomodo Episcopus valeat et debeat stare in iudicio.*

R. ex § 4. **At Episcopus, si quando in causa est, aliquem constituat, qui eius personam, procuratorio nomine, gerat.**

... **in causa**: coram tribunalibus diversis ab eo S. Pontificis (cf. c. 1557, § 1, 2°) et ordinariis S. Sedis (cf. c. 1557, § 2, 1°). — ... **constituat**: id est constituere tenetur, valide tamen staret ipse per se. — ... **eius personam**: sive rei sive actoris.

Can. 1656. — *De procuratorum et advocatorum constituendorum numero et modo.*

274. Q. I. *Procuratores* 1) *quotnam constitui debeant, et* 2) *quomodo si plures.*

R. I. ex § 1. **Unicum quisque potest eligere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi expressa facultas eidem facta fuerit.**

... **potest**: et debet, nisi iusta subsit causa, ut innuit § 2. — ... **expressa**: et quidem in scriptis, ni fallor, quemadmodum et ipsum mandatum ex c. 1659.

R. II. ex § 2. **Quod si, iusta causa suadente, plures ab eodem deputentur, hi ita constituantur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.**

... **iusta**: pro prudenti iudicis arbitrio; etenim hic, iuxta c. 1663, quemcumque ex designatis a parte repellere potest, edito decreto. — ... **ita constituantur... praeventioni**: nimirum constituantur *in solidum*, ut supra explicavimus, et qui ceteros praevenit, incipiendo negotium, eos excludat. Fit autem locus praeventioni per intimationem citationis; id est, tunc dicitur unum ex procuratoribus ab eodem domino et super eadem re deputatis negotium incepisse et ceteros praevenisse ac excludere, cum primum citatio, a praedicto procuratore provocata, parti adversae vel eius procuratori intimata fuerit, aut eidem fuerit intimata citatio a parte adversa vel eius procuratore provocata; tunc enim, ex c. 1725, 5°, **lis pendere incipit,** et proinde negotium vere inceptum est. Neque huic opponitur aut obest quod in c. 1664 dicitur de remotione procuratoris parti adversae intimanda post litis contestationem, sed non ante eandem.

Q. II. *Num plures advocati simul constitui queant, et eorum* 275.
munus cum munere procuratoris cumulari.

R. Affirmative ad utrumque ex h. c. videlicet:

§ 3. **Advocati autem plures simul constitui queunt.**

§ 4. **Utrumque munus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest.**

Can. 1657. — *De qualitatibus procuratorum et advocatorum in tribunali dioecesano.*

Q. I. *Procurator et advocatus quales esse debent,* 1) *religione,* 276.
aetate, fama; et 2) *scientia?*

R. I. ex § 1. **Procurator et advocatus esse debent catholici, aetate maiores, bonae famae; acatholicus non admittitur, nisi per exceptionem et ex necessitate.**

... **catholici**: etiam laici, cum canon non distinguat; sed catholici actualem communicationem cum Ecclesia habentes, nam excommunicatus **removetur ab actibus legitimis ecclesiasticis** (c. 2263), quales sunt munus gerere **advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis** (c. 2256, 2°). — ... **bonae famae**: nam infamis, **infamia iuris... est inhabilis... ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos** (c. 2294, § 1), infamis vero **infamia facti, repelli debet... ab actibus legitimis ecclesiasticis** (ibid., § 2). — ... **acatholicus**: in sensu usuali, maxime canonis 1099, iuxta quem acatholici esse possunt **sive baptizati sive non baptizati;** et in sensu c. 1060, quod priores sint alicui

sectae adscripti. — ... **necessitate**: quoad advocatum, iudicio Ordinarii, cuius est eum approbare (c. 1658, § 2); quoad procuratorem, iudicio iudicis, ad quem pertinet eum repellere, cum expédiat **iusta de causa** (c. 1663).

R. II. ex § 2. **Advocatus debet praeterea esse [doctor vel alioqui vere peritus, saltem in iure canonico.**

... **vere**: iudicio Ordinarii ob rationem dictam.

277. Q. II. *Utrum et quando admitti possint*, 1) *religiosus*, *et* 2) *clerici.*

R. I. ex h. c., § 3. **Religiosus admitti potest, nisi aliud in constitutionibus caveatur, in causis tantum in quibus vertitur utilitas suae religionis, de licentia tamen Superioris.**

... **utilitas**: ni fallor *directa*, ita ut causa vere sit suae religionis, *non indirecta*, quae provenire possit ex causa nullatenus spectante ad suam religionem. — ... **de licentia**: *praeter mandatum* (quoad procuratorem) ad normam c. 1659, § 1 datum ab illo qui rei litigiosae sit administrator secundum constitutiones c. 1658, et *praeter commissionem* (quoad advocatum) ad normam eiusdem c. § 2 factam a praedicto administratore vel a iudice.

R. II. ex c. 139, § 3. **Sine licentia Ordinarii ... procuratoris aut advocati munus ne exerceant** (clerici) **nisi in tribunali ecclesiastico.**

Ergo, a sensu contrario, patet quod in tribunali dioecesano clerici possunt procuratorem et advocatum agere, etiam sine licentia Ordinarii. Item possunt in tribunali civili, et in iudicio *contentioso*, **quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae**; sed, sine licentia Ordinarii, **in ... iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes** (ibid.).

278. Q. III. *Vetus disciplina quoad exercitium muneris advocati ex parte clericorum et religiosorum.*

R. Varia fuit pro diversitate clericorum et religiosorum prout apparet ex sequentibus:

1) *Clerici minores* poterant postulare in tribunali ecclesiastico, excepto contra ecclesiam in qua beneficium obtinebant si causa movebatur ab extraneo. Etiam in hoc casu poterant si extraneus erat persona coniuncta, vel miserabilis, vel Ecclesia cuius forsitan ipsi erant Praelati. Item poterant advocare in

foro saeculari, excepto pro actore in causa criminali, aut si clericus stipendiis ecclesiasticis sustentabatur (1).

2) *Clerici maiores*, non Sacerdotes, poterant postulare in foro ecclesiastico eodem prorsus modo ac clerici minores, minime vero in foro saeculari, nisi pro se, vel pro Ecclesia vel pro miserabilibus personis, scilicet pupillis, orphanis, viduis, etc. (2).

3) *Quoad Sacerdotes*, ex iure scripto (3), *nonnisi pro seipso, vel Ecclesia, vel (si necessitas immineat) pro personis coniunctis aut miserabilibus, sibi* (Sacerdoti) *licitum est postulare.* Sed ex iure consuetudinario, saltem in pluribus locis, ut in Urbe, licuit Benedicto XIV scribere: « Sacerdotes se libere in foro ecclesiastico exhibere ex permissione iuris canonici » (4).

4) *Clerici omnes*, beneficiati vel non, etiam Sacerdotes, postulare poterant in quocumque foro, praeterquam in causa sanguinis pro actore, quoties non haberent unde sustentarentur ut testatur Benedictus XIV, *De Synodo Dioec.* L. 13, c. 1, n. 12.

5) Innoc. III declaravit intelligi *de regularibus* prohibitionem iampridem monachis factam de non postulando in foro saeculari aut ecclesiastico, *nisi forte id monasterii exposcat utilitas, abbate nihilominus imperante* (cap. 2, X *De postulando*, I, 37).

Can. 1658. — Q. *Quisnam et sub quibus conditionibus eligi debet* 1) *procurator;* 2) *advocatus in tribunali dioecesano;* 3) *advocatus in iudicio coram Sanctae Sedis delegato;* 4) *procurator et advocatus in causis religiosorum?* **279.**

R. I. ex § 1. **Quilibet pro lubitu a parte potest eligi et deputari procurator, dummodo secundum praecedentem canonem idoneus sit, quin opus sit ut Ordinarii approbatio antecesserit.**

R. II. ex § 2. **Advocatus autem, ut ad patrocinium admittatur, indiget approbatione Ordinarii, quae aut generalis sit ad omnes causas aut specialis pro certa causa.**

R. III. ex § 3. **In iudicio coram Sanctae Sedis delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum, quo pars uti se velle ostenderit.**

(1) Cc. 1 et 3, X *De postulando*, I, 37.
(2) *Ibid.*, cap. 1.
(3) *Ibid.*, cap. 3.
(4) *Ibid.*, cap. 3. *De Syn. Dioec.*, Lib. 13, c. 10.

R. IV. ex § 4. **Procurator et advocatus, in causis quae ad normam can. 1579, §§ 1, 2 aguntur in religionis tribunali, eligendi sunt ex eadem religione et ante patrocinii susceptionem approbandi ab eo, qui partes iudicis in causa agit; in causis vero quae ad normam eiusdem canonis § 3 apud tribunal Ordinarii loci pertractantur, admitti potest etiam religioni extraneus.**

Vide comm. can. 1579, §§ 1, 2.

Can. 1659. — *De tempore, qualitatibus et depositione mandati procuratorii.*

280. Q. I. *Procurator, a) quando, b) quale, et c) apud quem debet deponere mandatum?*

R. a) Ante libelli oblationem; *b)* speciale *ad lites*, scriptum; *c)* apud tribunal. Ita ex h. c. 1659.

§ 1. **Procurator ne prius a iudice admittatur quam speciale mandatum ad lites scriptum, etiam in calce ipsius citationis, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, apud tribunal deposuerit.**

... **admittatur**: quod fit per formalem introductionem causae seu per libelli oblationem. — ... **speciale mandatum ad lites**: *speciale* heic contradividitur *generali* seu ad negotia: non sufficit igitur mandatum generale sive dictum *simpliciter*, sive *cum libera*, quia pertractatio negotii modo iudiciali specialem secum fert difficultatem et simul gravitatem, sed requiritur mandatum *ad lites*. Attamen, dummodo exprimatur quod est mandatum *ad lites*, seu *ad negotia iudicialia* vel *ad causas in iudicio tractandas*, non requiritur ut sit ad lites in specie, seu ad singulas lites, nam ex hoc quod est ad lites, iam est vere speciale, ut canon praescribit, quia non est generale *absolute*, licet dici possit et sit generale *relative*, scilicet, respectu ad mandatum speciale ad renuntiandum actioni, etc. (c. 1662). Hoc confirmatur ex eo quod inter ea quae mandatum debet referre, scilicet, *locum*, *diem*, etc., non adnumeratur *species negotii* seu causae.

... **scriptum**: manu mandantis vel alius, sed **mandantis subscriptione munitum.** Non valet igitur, ut antea, *mandatum praesumptum*, quod intelligebatur adesse inter consanguineos, etc. — ... **apud tribunal**: id est, **penes tribunalis cancellariam** (c. 1819). — ... **deposuerit**: et quidem mandatum originale, **aut in exemplari authentico** (ibid.).

Q. II. *Quid si mandans scribere nesciat?* 281.

R. ex § 2. **Quod si mandans scribere nesciat, hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius Curiae vel duo testes, loco mandantis, mandatum subsignent.**

... ex scriptura: videlicet, ex ipso mandato scripto aliena manu. — **... constet:** inter *cetera*, **locum diem ...** (§ 1). Igitur non valet amplius mandatum mere orale, multo minus mandatum tacitum, quod habebatur procuratore (sic dicto) agente, et domino sciente et tacente.

Can. 1660. — Q. *Ubinam asservari debet mandatum?* 282.

R. ex h. c. **Mandatum procurationis asservari debet in actis causae.**

Can. 1661. — Q. *Advocatus, a) quando, b) a quo, et c) qualem commissionem habere debet?* 283.

R. ex h. c. **Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, habeat necesse est a parte vel a iudice commissionem ad instar mandati procuratorii, de qua in actis constare debet.**

... ut: id est, *priusquam...* — **... a parte:** quae heic intelligitur ipsa pars per se, non eius procurator, nisi speciale mandatum habeat; nam hoc canone advocatus aequiparatur quoad hoc procuratoribus, ut innuunt verba: **ad instar mandati procuratorii.**

Can. 1662. — Q. *Procurator*, 1) *quid possit vi mandati ad lites, et* 2) *quid non possit?* 284.

R. I. Potest facere quidquid ad exsecutionem mandati opus sit et ei non prohibeatur, praecipue in h. c. Cum igitur illi cui committitur finis committi intelligantur omnia quae sunt necessaria ad finem, nisi excipiantur expresse, procurator, *vi mandati ad lites*, valet libellum iudici offerre, litem contestare, probationes exsequi (si iuramentum excipias), sententiam acceptare, aut, e contra, a **lata definitiva sententia ius et officium appellandi** exercere, **si mandans non renuat** (canon 1664, § 2), et quidem appellandi *cum effectu* quantum est ex parte appellantis, id est, cum iure et officio prosequendi appellationem. Quod postremum deducimus ex verbis **si mandans non renuat,** quae vix essent utilia si ageretur tantum de interponenda appellatione, nam interpositio est regulariter necessaria defensio.

R. II. ex h. c. **Nisi speciale mandatum habuerit, procurator non potest renuntiare actioni, instantiae vel actis iudicialibus, nec transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre aut referre iusiurandum, et generatim ea agere pro quibus ius requirit mandatum speciale.**

... **speciale**: nimirum, *speciale ad renuntiandum* **actioni, instantiae**, etc. Quae mandata dicuntur *specialia*, quia dari debent praeter speciale mandatum ad lites; aut contineri debent tanquam species in genere, sed *specialiter* seu *expresse*, in mandato *ad lites;* aut quia istud, respectu illorum dici potest generale, cum sit ad lites in genere, aut ad unam alteramve litem quoad generalia et omnino necessaria. — ... **actioni**: id est, iuri petendi in iudicio rem vel ius pro quibus vindicandis acceptavit mandatum, aut ipsis rei vel iuri (cf. Tit. V). — ... **instantiae** ... **iusiurandum**: cf. cc. 1732, 1740, § 1, 1925 et sq., 1929 et seq., 1829-1831, 1834-1836. — ... **ius**: sive civile sive canonicum, vel scriptum vel consuetudinarium, aut expressum aut implicitum, ut in c. 1664, § 2, in quo, vi mandati, attribuitur *expresse* procuratori ius et officium *appellandi* a sententia definitiva et proinde *implicite* denegatur ipsi ius proponendi **querelam nullitatis** et petendi **restitutionem in integrum** sine mandato speciali.

285. **Can. 1663.** — Q. *Utrum, qua de causa et qua forma possint procurator et advocatus repelli a iudice.*

R. ex h. c. **Tum procurator tum advocatus possunt a iudice, dato decreto, repelli sive ex officio sive ad instantiam partis, iusta tamen de causa.**

... **iusta**: pro prudenti iudicis arbitrio; non autem in decreto exprimenda de necessitate, cum hoc non praescribat heic legislator, qui tamen in aliis casibus similibus illud praescribit, v. g. in cc. 1840, § 3, 2225, etc.

Can. 1664. — *De procuratoris et advocati cessatione tum* 1) *ob remotionem, tum* 2) *ob expletum munus.*

286. Q. I. *Utrum et cum quibus obligationibus, advocati et procuratores possint removeri a constituentibus illos?*

R. ex h. c., § 1. **Advocati et procuratores possunt ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.**

...ab eo a quo constituti sunt: id est, non modo a parte seu domino principali, sed etiam a procuratore, si hic advocatum designavit, aut, ex concessa sibi facultate (c. 1656, § 1) alium sibi procuratorem substituit; etenim canon generaliter dicit **ab eo** etc., et non a parte. — **... debita**: quoad procuratorem, si ius civile regionis mercedem permittat, ut dictum est. — **...ut ...effectum ...intimetur**: unde sequitur quod, *a*) non valet amplius revocatio tacita, seu factis (cf. cap. 8, *De proc.* in VI°), et *b*) actus a procuratore peracti ante intimationem remotionis valent. — **... contestata fuerit**: quia ex tunc iudicis et partis adversae interest scire cum quibus procuratoribus et advocatis agere debeant. — **...certiores**: praetereaque nihil amplius exigit canon; unde parti adversae aut iudici non licet, ut ex iure veteri (cap. 2, *De procuratoribus*, in VI°), se opponere, multo minus imponere consensus proprii praestationem. Sed, ex verbis **ut ...effectum** etc., antequam certiores fiant, actus procuratoris valent.

...de remotione: non autem de causa remotionis, quia canon hoc non imponit; quo confirmatur partem adversam non posse remotioni se opponere ex novo iure. Verumtamen ex hoc non sequitur constituenti advocatum aut procuratorem licere eos removere absque iusta causa, multo minus nulla habita ratione famae aut alterius eorundem damni (si quando horum periculum immineat, quod raro evenit), quia etsi cuicumque liberum sit in re sua mutare consilium, et huic iuri constituentis consulat ius novum (non curando de his quae raro eveniunt et per accidens), viget usque, ex iure naturae, reg. iuris 33 in VI°: *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Quod si, licet per accidens, evenerit, aut omnino certe immineat, puto iudicem posse, vi c. 1678, innixi naturali aequitati, non modo damnum factum reparare, sed *adhuc infectum* praevenire ad istantiam partis.

Q. II. *Quandonam cessant advocatus et procurator ob ex-* 287.
pletum munus?

R. ex § 2. **Lata definitiva sententia, ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet.**

Etsi de advocatis non fiat expresse sermo in hoc paragrapho, attamen huius sensus videtur esse istiusmodi: Quoad determinatam causam, *advocatus* cessat necessario in suo munere, eadem omnino finita quovis modo, v. g., per sententiam quae transierit in rem iudicatam, aut per transactionem, renun-

tiationem actionis, etc.; et planum est. *Procurator* quidem cessat, pariter necessario, causa omnino finita, et, insuper, lata sententia definitiva, a qua non sit locus appellationi, ex c. 1880, licet supersit aliud remedium iuris, ut puta, querela nullitatis, aut restitutio in integrum ; huius postremi ratio est quia canon non dicit : impugnandi sententiam, sed **appellandi.** Sed si locus sit appellationi, prosequatur in suo munere, ita ut possit et appellationem interponere et prosequi.

Equidem ex iure veteri (cap. 14, X, *De proc.*, I, 38) *potuit is* (procurator) *et debuit a sententia appellare, vel* (*si iusta causa excusabat eundem*) *saltem domino contestari ut ad appellationis beneficium convolaret et appellationem prosequi non teneretur invitus;* ex iure autem novo in hoc paragr. **ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet;** id est, ni fallor, interponendi et prosequendi appellationem, cum ius novum heic non distinguat, ut antiquum, inter appellationis interpositionem et eiusdem prosecutionem, et vox atque institutum iuridicum *appellatio* includat ex se utrumque. Quod confirmatur ex verbis, **si mandans non renuat;** quae, si de mera interpositione appellationis ageretur, inutilia essent, cum interpositio urgeat regulariter procuratorem iure naturae.

288. **Can. 1665.** — Q. *Quaenam advocato et procuratori a iure positivo,* 1) *vetantur, et* 2) *sub quibus poenis?*

R. I. Duo vetantur prout constat ex § 1. **Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci.**

... emere litem: id est, res litigiosas aut iura controversa. « Ratio est, ait Card. Lega (1), ne actionis iudicialis turpe fiat commercium. Advocatus enim tricarum iudicialium expertissimus (quid simile dicas de procuratore) omnia experiretur ut malae causae, parvo pretio emptae, triumphum agerent. Inde fluit, prohibitum non esse cedere alicui, etsi advocato, causas sive actiones, quando fiat ex aliqua obligatione, puta ex testamento, vel cedere causas omnino liquidas, ex. gr. cedere creditum quod ipse debitor confessus est. » Huiusmodi pactum dictum est iure romano, *redemptio litis* (2). — **... immodico:** non praecise extraordinario ut hactenus soliti sunt dicere Doctores loquentes de hoc pacto quod apud romanos vocatum fuit

(1) *De Iudic. Civ.*, I, n. 111.
2) Lib. *Per diversas,* C. Mandati.

de palmario, seu *victoriae gratia* inito. — ... **rei litigiosae parte**: et ratio, ni fallor, est, ut species turpis mercimonii vitetur, quamvis iure romano et veteri canonico hoc pactum, dictum *de quota litis*, praecipue ob solitam immodicitatem prohiberetur (1).

R. II. ex § 2. **Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice vel ab Ordinario poterunt poena pecuniaria mulctari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, destitui et titulo privari.**

... **nulla est**: nimirum, ipso facto: quapropter neutra pars tenetur in foro interno pactionem observare, quaelibet autem earum potest declarationem nullitatis petere (c. 1679 et c. 1682) aut exceptionem nullitatis opponere in foro externo (cf. c. 1667).

Can. 1666. — Q. *Poenae contra advocatos ac procuratores,* **289.** *qui suum officium prodiderint.*

R. ex h. c. **Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, ab officio repellantur, et, praeter damnorum refectionem, mulcta pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.**

... **dona**: non munuscula, quae amicitiae aut comitatis gratia offerri solent, ut dictum est de iudicibus, **n. 214,** et quae, nisi forsitan probetur contrarium, non praesumuntur influere in proditionem officii. — ... **officium prodiderint**: *de facto*, v. g. mentientes, aut falsum in scripturis facientes, aut probationem efficacem vel statutum particulare decisivum praetermittentes, etc.; et haec aut alia sive in favorem sive in praeiudicium clientis, et tum ob dona aut pollicitationes tum absque eis, id est, ob **quamlibet aliam rationem.**

(1) Arg. l. l. 53 *De pactis* ff. et *Salarium* ff. Mandati.

TITULUS V.

De actionibus et exceptionibus.

Expositio rubricae.

290. Q. I. *Ratio ordinis.*

R. Traditis a legislatore regulis respicientibus *subiectum*, tum activum tum passivum, iudicii, et omnes personas ad illud concurrentes, oportebat eundem proponere illas quae *ad obiectum iudicii* spectant; nusquam enim lis inter ullas personas movetur nisi circa aliquod obiectum, sive rem sive ius, quae a lege sint recognita seu approbata tanquam materia iudicio idonea, ita ut in eo vindicari possint. Praemisit immediate leges *de subiecto passivo* seu *de Partibus in causa* et de earum adiutoribus, quia controversia iudicialis subaudit personas de iure dubitantes, et volentes disceptare in iudicio; illis vero legibus praemisit canones de *subiecto activo*, seu de tribunalibus et eorum ordinatione, competentia, etc., cum contendentes nec cogitarent quidem de iure disceptando in iudicio nisi tribunalia adessent.

291. Q. II. *Obiectum iudicii; ratio inscriptionis Tituli.*

R. Iudicii *obiectum in genere* sunt *controversiae iuridicae*, ut dictum est (in comm. ad Rubric. Primae Part. Q. IV.). *In specie*, seu in concreto, cum controversiae iudiciales versentur *circa res vel iura dubia*, non autem *quaecumque* aut *quomodocumque* considerata, sed *circa illa tantum* iura et res, *quae et quatenus*, ex concessione aut approbatione legis humanae (ut videbitur infra, c. 1667), possunt vindicari aut defendi in iudicio, seu gaudent protectione iudiciali, vel, uti dici solet, *muniuntur actione aut exceptione*, duplex evadit obiectum iudicii: aliud *remotum*, *mediatum* et *veluti materiale*, videlicet, res aut iura *ut sic;* aliud vero *proximum*, imo *immediatum* et *veluti formale*, nimirum eadem iura et res, *quatenus munita actione aut exceptione*, vel *ipsae actiones et exceptiones* quibus muniuntur singula iura; haec enim tunc solum in iudicio manebunt vindicata aut defensa, cum exsistentia relativarum actionum vel exceptionum fuerit demonstrata. Merito, igitur, hic titulus, qui de obiecto iudicii disserit, inscribitur: *De actionibus et exceptionibus.*

Q. III. *Huius Tituli utilitas.* 292.

R. In iure veteri nullus exstabat Titulus aut canon de actionibus, licet istae per totum Corpus Iuris necessario vagarent tanquam obiectum iudiciorum. De utilitate appositi Tituli in Codice forsitan quis dubitabit, memor Alexandri III ita monentis (cap. 6, X *De Iudiciis*, II, 1): *Provideatis attentius ne ita subtiliter, sicut a multis fieri solet, cuiusmodi actio intentetur inquiratis, sed simpliciter et pure factum ipsum et rei veritatem, secundum formam canonum et Sanctorum Patrum instituta, investigare curetis.* Cui respondetur Summum Pontificem reprehendere illos qui contendebant controversiam esse decidendam etiam ex nomine actionis expresso in libello; unde, si quis, ex. gr. ad petendam possessionem rei tacite hypotecatae, pro qua, ex lege civili, dabatur *actio quasi Serviana*, proponeret actionem quam per errorem vocasset in libello *Servianam*, a lege datam ad revocandas res in praedium urbanum illatas, invectas et in praeiudicium locatoris alienatas, deberet causa cadere.

Hinc, praedicto textu non obstante, scripsit Zallinger (1): « Notitia actionum pro foro ecclesiastico perquam necessaria est; etsi enim, ut Pontifex inquit (l. c.), de solo nomine actionis non sit laborandum, neque subtiliter inquirendum cuiusmodi actio intentetur, tamen res ipsa explorata et ob oculos posita esse debet, ne litigantes in incertum vagentur et a recta via abduci se sinant, quod facere solent astuti adversarii, qui actorem ab una proposita causa ad aliam ei minus commodam abstrahunt ». Iusta ergo de causa Codex exhibet in apposito Titulo leges Ecclesiae circa naturam actionum et earum praecipuas species: et utiliter nos earundem expositioni tantisper fusiori vacabimus; eo vel magis quod sine earum perfecta cognitione impossibile est antiqua documenta ecclesiastica recte interpretari. Quapropter

Q. IV. *Diversae actionis acceptiones.* 293.

R. In re iuridica, maxime iudiciali, vox *actio*, quae a documentis primitivi iuris romani originem ducit, plures accepit significationes, videlicet:

1) Designat *media* a lege concessa, seu *modos procedendi*, ab ipsa determinatos ut iura reddantur efficacia (2). Hoc sensu dicitur quod primitivo iure romano quinque tantum agnosce-

(1) *Inst. Iur. Eccl.*, Lib. II, Tit. III, § 84.
(2) Mainz, Vol. I, § 41.

bantur *actiones*, seu, ut aiebant veteres, *legis actiones* (1), scilicet, *per sacramentum* seu *sponsionem*, *per iudicis postulationem*, *per condictionem*, *per manus iniectionem* et *per pignoris capionem* (2).

2) Sumitur quoque *pro iure seu facultate cuilibet competente ad iura tuenda seu efficacia reddenda per viam iudicialem;* etenim hoc est medium ordinarium a lege concessum pro iuribus tuendis et proinde illam facultatem gignit. Hoc sensu actio definitur: *ius persequendi in iudicio quod nobis debetur vel nostrum est.*

3) Significat saepe *ipsa iura iudiciali protectione, seu actione, munita.* Ad cuius intelligentiam considerandum est nullam legem humanam concedere omnibus iuribus iudicialem protectionem, illa autem iura quibus lex protectionem concedit, non semper gaudere ea in perpetuum aut alias modo illimitato, et hoc ob iustas causas, intuitu boni publici. Sic, ut vidimus (c. 1654), **excommunicati,** generaliter, **ab agendo repelluntur,** quandoque permittuntur **ut per se ipsi agant,** quandoque nonnisi **per procuratorem.** Illa ergo iura quibus tuitio iudicialis concessa est vocantur *actiones*. Et cum iura eatenus utilia sint quatenus lex iudicialem tuitionem eis impertitur, ideo saepe, maxime iure romano, *actio* et *ius* sunt verba synonyma; unde, ut plurimum, cum agitur de determinanda natura alicuius relationis iuridicae, non quaeritur *quodnam ius* inde emergat, sed potius *quaenam actio* exerceri valeat (Mainz, *ibid.*) *Synonyma*, inquam, non identica, nam distinctio actionis a iure controverso, sufficienter liquet ex eo quod non omnibus iuribus controversis recognoscitur aut conceditur iudicialis tuitio.

4) Non raro vocatur *petitio*, maxime si sit *in rem actio.*

Porro, in quo sensu in singulis casibus accipitur patebit ex adiunctis. Ordinarie sumitur in secunda et tertia acceptione.

294. Q. V. *Actionum varietas*, 1) *undenam;* 2) *qualiter earum singulae agnoscantur et inter se secernantur ratione elementorum;* et 3) *earundem numerus ex Iure Canonico.*

R. I. Cum iura tuenda multiplicis generis sint, varias quoque et inter se diversas actiones esse oportet.

R. II. Actionum *varietatem*, et propriam cuiusque actionis *naturam* agnoscere, simulque unam ab alia secernere volenti, sufficit sequentia, tum interna tum externa, elementa considerare, et prae oculis habere, nimirum: *a*) quo nomine unaquaeque actio donetur (si innominata non sit); *b*) cui competat; *c*) qua

(1) Gaius, IV, 1.
(2) Mainz, Vol, I, § 43.

causa, seu potius lege prodierit; *d*) contra quem exerceri possit; et *e*) ad quid persequendum et obtinendum utilis sit.

Huiusmodi laborem, certe perutilem, invenies, ad ius romanum praecipue quod attinet, diligenter et perspicue peractum apud Maschat (1), et apud clariss. Maximum Massimi, S. R. Rotae Auditorem (2): nos heic eas tantum species seu divisiones referemus, quas pro praesentis Tituli captu necessarias duximus.

R. III. Actionum ex Iure canonico non est *numerus;* unde esset impossibile eas omnes recensere. Etenim Ecclesia, iam ab antiquo perficiens et ad normas iustitiae aut aequitatis corrigens ius romanum quo subtiles admittebantur distinctiones inter *contractus et pacta*, *pacta legitima*, id est a lege humana recognita, et *pacta illegitima*, etc., recognovit omnibus pactis *actionem;* id est, statuit quamcumque obligationem, iure naturali firmam, gaudere iudiciali tuitione; quo factum est ut actiones in infinitum fere excreverint. Ita intelligendus est textus cap. 2, X *De offic. Iudic.* ubi dicitur: *Iudicis officium ubicumque pro actione proponitur; veluti cum restitutio in integrum postulatur.* Ac si diceret: non est inquirendum utrum in lege sit expresse concessa actio, seu protectio iudicialis alicuius iuris, sed ad officium iudicis pertinet eam impertire omnibus iuribus, et non solum ex stricta iustitia naturali provenientibus, verum etiam ex aequitate, veluti si in certis casibus ab eo postuletur restitutio in integrum. Quam dispositionem, sapientissimam, et Ecclesia Christi vere dignam, Codex verbis adhuc magis expressis excepit in primo canone huius Tituli (1667) praescribens: **Quodlibet ius non solum actione munitur,** etc.

Q. VI. *Actionum suprema divisio.* **295.**

R. Se tenet *ex parte materiae et originis immediatae.* Sub quo duplici respectu: « Actionum duo genera sunt, ait Ulpianus (3): *in rem*, quae dicitur *vindicatio*, *in personam*, quae dicitur *condictio.* » Et idem habetur in Iustiniani Instit. IV, 6. *Vindicare* autem significat aliquam rem uti suam asserere, ut puta ex dominio: *condicere* est de aliquo inter plures dicere, seu convenire aut pacisci (4).

(1) *Prae-cursus Iuris Canonici seu Institutiones Civico-canonicae,* Lib. IV, Tit. 6.

(2) *Interpretatio Gai et Iustiniani Instit.*, Part. III, *De actionibus.*

(3) Lib. 25 ff. *De oblig. et act.*

(4) Mainz, Vol. I, § 43.

Si obiectum vel *materia* consideretur, *in personam actio* definiri potest: *ea quae iura obligationum, seu quae iura in praestationes tuetur; actio in rem: ea quae alia quaecumque iura tuetur, sive personalia sive realia.* Ad cuius intellectum recolendum est universa humana iura *trifariam* dividi posse *ratione obiecti:* nam, vel directe referuntur *a*) ad propriam ipsam personam (vulgo personalitatem), uti v. g. ius ad personalem dignitatem, ad conscientiae libertatem, ad vitam, etc., et merito vocantur *iura personalia* proprie, *seu personae;* vel *b*) ad aliquem actum seu aliquam praestationem ab alio faciendam, v. g. debiti solutionem, et dicuntur *iura obligationum vel praestationum;* vel *c*) ad aliquam rem propriae personae iusto vinculo adstrictam, v. g. fundum proprio domino subiectum, servitutem in alieno fundo legitime constitutam, etc., et appellantur *iura realia.* Agedum, *actio in personam* est quae versatur circa iura secundi generis, seu *iura obligationum; actio in rem,* quae *ad quaecumque alia iura* tuenda conceditur.

Origine autem immediata seu titulo consideratis, *actio in rem* est *quae oritur ex dominio rei vel quasi dominio iuris quae vindicantur: actio in personam* est *quae oritur sive a) ex aliquo actu hominis voluntario et licito, scilicet, contractu vel quasi-contractu, sive b) ex aliquo actu illicito quod delictum, etiam imperfectum, constituit, sive c) ex aliquo actu, quo, citra delictum, damnum immineat, sive d) ex aliquo facto naturali et necessario damnoso*». Exemplum tertii casus habetur si quis in fundo suo pristinam operis faciem mutet unde ruina aedificii immineat fundo alterius; huic enim conceditur *actio nunciationis novi operis,* qua petit ut ille ad supersedendum cogatur. Quarti casus exemplum accipitur in navicula flumine deiecta in fundum alterius; nam tunc domino naviculae competit *actio ad exhibendum,* qua dominus fundi, etsi nihil fecerit, cogitur permittere ut illa exhibeatur legitime petenti. Attamen huiusmodi duae actiones, licet personales, peculiari nomine vocantur *in rem scriptae,* quia actiones reales imitantur in eo quod alicui rei determinatae sunt annexae.

Disputatur utrum dentur *actiones mixtae, ex reali et personali elemento.* Placet opinio Mainz negantis: cui concordat Card. Lega, qui asserit eo sensu posse dici mixtas, quatenus adest petitio duplex seu composita ex utraque, personali et reali actione, quales essent *actiones familiae haerciscundae, finium regundorum et de communi dividundo,* et etiam si quis *rem suam peteret* et praeterea *indemnitatem,* seu *quanti interest* eam non

fuisse ablatam. Et revera, in hisce exemplis habemus non unam actionem cum duplici elemento, personali et reali, sed duas actiones, unam realem, personalem alteram, in unica instantia agitatas et una sententia definiendas.

Q. VII. *Exceptionis etymologia, et huius ratio.* 296.

R. Nomen *exceptio* derivatur a verbo *excipere*, quod hic significat *excludere*. Ratio nominis clare intelligitur in antiquiore iuris romani systemate processuali *per formulas*, et distinctione, inde consequente, inter *ius* et *iudicium*, id est inter *propositionem causae in iure seu coram Praetore vel Magistratu*, et *disceptationem eiusdem causae in iudicio seu coram iudice*. In eo systemate, *Magistratus*, quasi iuris seu legis interpres, *quaestionem iuris* decidebat, *iudex* vero *factum perpendebat* et *quaestionem facti* resolvebat.

In hunc finem, intentione utriusque litigantis simul cum rationum momentis Magistratui patefacta, hic *iudicem* dabat, illique tradebat *formulam* seu *sententiam*, iuxta quam praesumptus reus condemnari debebat, *excepto casu* (ecce originem nominis *exceptionis*) quo reus probaret aliquam vel aliquas rationes *facti* in sui favorem adductas coram Magistratu, et ab isto consideratas tanquam sufficientes ad elidendam *actionem* seu petitionem actoris. Nimirum, *condemnatio* erat *regula generalis*, (praesumebatur enim actorem non taediasse Magistratum sine causa), cuius tamen regulae *exceptio* concedebatur a Magistratu et exsecutioni mandabatur a iudice.

Igitur nomen *exceptio* primo applicatum fuit exclusioni a *formula* generali condemnatoria; postea usuvenit illud applicare *factis* aut *allegationibus*, quibus praefata exceptio innitebatur.

Q. VIII. *Acceptiones exceptionis.* 297.

R. Exceptio, potest accipi tripliciter: *Latissimo, lato et stricto sensu:*

1) *Latissimo et improprio sensu*, exceptio appellatur quaevis defensio, id est, quaecumque rei conventi affirmatio vel negatio, quae, etsi nullum respectum dicat ad actionem actoris, resistit tamen istius intentioni, et proinde redundat in defensionem rei. Hoc sensu, etiam litis contestatio negativa est exceptio.

2) *Lato sensu* exceptio vocatur rei conventi affirmatio quae respicit directe *titulum* quo actio fundatur, indirecte tantum *ipsam actionem:* titulum, inquam, seu immediatam actionis originem, v. g. dominium in actionibus realibus, contractum

vero aut delictum etc. (cf. Q. VI) in personalibus; quae actor supponit, reus autem asserit vel nunquam exstitisse, quia, ut puta, contractus non fuit celebratus, vel non amplius exsistere, quia, in eodem exemplo, debitum ex contractu iam fuit solutum. Haec a nonnullis vocatur *exceptio facti seu intentionis*.

3) *Stricto sensu* exceptio dicitur affirmatio vel negatio rei conventi respiciens *directe ipsam actionem;* quam, scilicet, recognoscit uti veram in se, sed petit declarari inefficacem de facto; vel, si mavis, concedit competere *ex regula generali*, sed asserit *exceptionem* a regula esse admittendam in illo casu particulari; ut si actioni ex contractu revera celebrato, et aliunde valido, opponat reus quod metus aut dolus interfuerit; aut, admissa omnimoda validitate contractus, obiiciat nondum advenisse diem impletionis eiusdem.

298. Q. IX. *Exceptionis* 1) *definitio;* 2) *finis;* 3) *necessitas et origo.*

R. I. *Exceptio* sumitur regulariter in secunda et tertia ex supra dictis acceptionibus, et definiri solet: *Exclusio actionis vel eius effectuum.* Vel fusius, sed clarius: *Assertio, quae actionem elidit, aut eius exercitium et effectus retardat, a reo opposita defensionis gratia.*

R. II. *Finis* exceptionum *mediatus* est reum defendere in iurium possessione quam proposita actio perturbat, *immediatus* vero, et ad illum ordinatus, est actionem elidere aut eius effectus retardare, non autem demonstrare ipsum ius rei ab actore impugnatum. Hinc, si actor non probaverit suam actionem, reus, etsi suum ius non probaverit per exceptionem aut alias, obtinebit, ita tamen ut exceptionem ipsam probare teneatur.

R. III. Exceptionum *necessitas* satis apparet ex hoc quod Iustinianus ait (1): «Comparatae sunt exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur, saepe enim accidit, ut licet ipsa persecutio quam actor experitur iusta sit, tamen iniqua sit adversus eum cum quo agitur». Sunt autem interdum omnino *necessariae*, quia alius modus defensionis non suppetit, quandoque vero sunt *utiles* tantum. Quapropter, quoad earum *originem*, etsi nonnulli, cum Abbate, eas referant ad *ius naturale*, alii easdem adscribunt *iuri positivo*, cum ex cap. 13, X *De off. Delegati*, I, tolli possint rescripto pontificio. Rectius Gonzalez, in cap. 5, X *De except.*, II, cum aliis distinguit, et asserit

(1) Inst. *De except.*

exceptiones necessarias, omnibus consideratis, ad iustam defensionem, competere ex iure naturali, ceteras vero ex iure positivo.

Q. X. *Exceptionum* 1) *subiectum;* 2) *multiplicitas* et 3) *divisio.* 299.

R. I. *Subiectum* est omnis qui actione percellitur, id est, quilibet reus, et quamvis talis persona sit cui actio denegetur, v. g. excommunicatus. Et quidem *in talibus*, ait Innoc. III (1) *non excommunicati favor attenditur, sed aequitas iudicantis cum non debeat claudicare iudicium, ac satis videatur absurdum, si actore impugnante, reo defensionis copia denegetur, quia sic condemnaretur multoties absolvendus.* Sed quia *reus excipiendo fit actor*, hic devenit tunc reus, et proinde ipsi competit quoque exceptio, quae dicitur *replicatio.*

R. II. Cum exceptio opponatur actioni, et oppositorum eadem sit ratio, infinitus, seu indeterminatus est exceptionum, non secus atque actionum *numerus.* Ille tamen actionum numerum excedit. In primis namque quoties lex humana concedit ius agendi, iam intelligitur concedere ius excipiendi, iuxta reg. 71 iuris in VI°: *Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus.* Sic, e latere actionum rescissoriarum ob dolum aut metum, emergunt exceptiones rescissoriae ob dolum aut metum ut innuit c. 1686; et ita pariter de ceteris. Deinde sunt aliae exceptiones, quae a iure conceduntur expressis verbis, seorsim ab actione, ut sunt *exceptiones peremptionis instantiae* (c. 1737), *excommunicationis* (c. 1628), *spolii* (c. 1698).

R. III. 1) Ratione *obiecti* alia dicitur *exceptio* simpliciter, alia *replicatio*, alia *duplicatio*, alia *triplicatio* et ita porro. Prior definita manet. *Replicatio* est exceptio seu assertio qua actor exceptionem rei elidere intendit: *duplicatio* est assertio qua reus intendit excludere replicationem actoris, et sic de ceteris. Ne vero negotium magis implicetur quam explicetur, iudicis erit huiusmodi responsiones moderari; ita tamen ut reus sit ultimus in respondendo.

2) Ratione *effectus*, celeberrima est exceptionum divisio in *peremptorias* et *dilatorias*. *Peremptoriae* vocantur quae actionem perimunt seu elidunt. Sunt autem triplicis generis. *a*) Aliae appellari possunt *actionis non ortae;* quae aggrediuntur *titulum*

(1) Cap. 5, X, *De except.*, II, 25.

immediatum actionis, id est *factum* cuius occasione nascitur actio, ita tamen ut ostendant illud nunquam exstitisse, ac proinde actionem non ortam fuisse; cuiusmodi sunt exceptiones *de non donato, non empto, non legato. b*) Aliae dici possunt pariter *actionis non ortae*, sed percellunt *titulum mediatum* actionis, id est, *legem* ex qua actio nascitur, et contendunt legem, quae propositam actionem generaliter concedit, denegare ipsam in illo casu particulari; tales sunt *exceptiones doli, erroris, metus. c*) Aliae dicuntur *litis finitae*, quia titulum quoque immediatum impugnant, obiiciendo tamen eum, si forte exstitit, non amplius exsistere, et, ex consequenti, actionem fuisse exstinctam, quia lis modo legitimo fuit composita seu finita, v. g. per transactionem, compromissum, etc.; quales sunt *exceptiones transactionis, compromissi, iusiurandi, pacti de non petendo, solutionis factae, praescriptionis, rei iudicatae...*

Exceptiones *dilatoriae* sunt quae actionem non elidunt, sed eius exercitium et effectum differunt ad aliud tempus; unde dictae fuerunt quoque *temporales*. Reduci possunt ad tria genera, ex multiplici capite ex quo petuntur et ob personas contra quas diriguntur (cf. com. ad c. 1628), videlicet:

1) Quaedam diriguntur contra *personas*, scilicet, *a*) contra iudicem (cc. 1613, 1614), quod incompetens sit, aut suspectus, aut imperitus, aut quovis alio corporis vel animi defectu laboret qui impediat eundem iuste iudicare. Hae vocantur *declinatoriae fori*, quia opponuntur vel tendunt ad declinandum tribunal; *b*) contra auditorem (c. 1614), assessorem, promotorem iustitiae, defensorem vinculi etc. (c. 1614); *c*) contra procuratorem, quod sit excommunicatus, aut non habeat legitimum mandatum; 2) aliquae respiciunt *locum*, quod v. g. non sit tutus, longe distans, etc.; nonnullae *tempus*, ut si obiiciatur terminum praefixum ad producendum aliquam probationem esse nimis angustum, etc.; 3) aliae respiciunt *modum iudicii* seu *processum*, ut dictum est in com. ad c. 1628.

300. Q. XI. *Exceptionum effectus.*

R. Praecipui effectus (praeter illos essentiales perimendi aut differendi actionem) sunt:

1) Reus excipiendo fit actor; intellige tamen quoad onus probandi, non quoad alia.

2) Probata exceptione dilatoria, reus absolvitur *ab instantia* seu ab observatione iudicii, eo ipso quod ab eiusdem prosecutione repellitur actor; probata autem exceptione peremptoria,

reus absolvitur *ab actione*, id est, liberatur definitive ab ulteriore impetitione actoris.

3) Si reus in probatione exceptionis defecerit, non idcirco obtinebit actor, cui tunc solum victoria cedet cum actionem probationibus ostenderit. Etenim exceptio reo favere potest, nocere non potest, quippe ad eius defensionem introducta est.

4) Exceptio nullatenus habet vim confessionis intentionis adversarii iuxta reg. 63 iuris in VI°: *Exceptionem obiiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.* Neque obiiciatur quod qui confitetur et in sui favorem adducit aliquod factum, censeri debet confiteri aliud factum quod ex priore necessario sequitur; hoc autem videtur contingere in nonnullis exceptionibus, ut puta, in *exceptione solutionis* debiti haec affirmatio, *solvi*, continere videtur hanc aliam, *debui*. Ad quod respondetur quod, in similibus casibus, ex nuda assertione seu confessione facti reo faventis non deducitur necessario factum actori favens. Ita, v. g. ex hac affirmatione, *solvi*, non sequitur, *ergo debui*, nam per errorem solvere potuissem. Aliud foret si reus adeo incaute exceptionem opponat ut expresse intentionem adversarii fateatur, ut si dicat: *equidem debui, sed iam solvi.*

CAPUT PRAELIMINARE (addititium).

De actionibus, et exceptionibus in genere.

Expositio textus.

Can. 1667. — *De duplici iudiciali tuitione iurium, et de duratione exceptionum.*

Q. I. *Quaenam iura tuitione iudiciali muniantur, et quo-* **301.**
tuplici.

R. Omnia iura, non expresse excepta, muniuntur duplici tuitione iudiciali, *actione*, nimirum, et *exceptione*, prout ex hoc c.:

Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua.

... actione: seu iure cuilibet generatim concesso defendendi aut vindicandi in iudicio iura sua, quae est praecipua actionis acceptio (cfr. Exposit. rubr. Q. IV). — ..... **munitur:** licet non in perpetuum, nam, ut infra explicabitur (c. 1701, et seq.),

exceptis actionibus *de statu personarum, doli et metus* (ob defectum b. f. in praescriptione), et *criminalibus ob delicta S. Off. reservata*, ceterae sunt intra certum tempus exstinguibiles. — ... **expresse:** uti cautum est iure communi (c. 1654) de excommunicatorum iuribus quae, nonnullis exceptis, privantur actione (c. 1654). — ... **cautum sit:** scilicet, iure, sed hoc sive communi sive particulari, etiam statutario, aut pacto singulari et privato. — ... **exceptione:** id est, *actionis exclusione* (cfr. Q. VIII); quae, ut dictum est, *per se* reo convento competit ad resistendum actioni actoris, seu illius qui ad iudicium provocavit, sed *per accidens* datur isti contra reum, qui, nimirum, inter iudicandum non se habuerit passive *negando*, sed active se gesserit seu devenerit actor *affirmando* aliquod factum actioni contrarium, id est, opponendo exceptionem.

... **semper:** nam actiones, seu protectiones iudiciales concessae actori, sunt, generaliter, *temporales* (c. 1701 et sq.), sed omnis exceptio seu protectio iudicialis recognita reo est suapte natura *perpetua:* unde illud vulgatum iuris veteris: *quae sunt temporanea ad agendum sunt perpetua ad excipiendum*. Et ratio est quia perpetuo convenit ius defendendi rem propriam ab iniusto aggressore; cum autem « actor quidem in sua potestate habeat quod utatur iure suo (defendendi rem agendo), is autem cum quo agitur (reus) non habet potestatem quando conveniatur » (1), iure veluti naturali ipsi recognoscitur ut iure suo (defendendi rem excipiendo) semper uti valeat. Attamen nonnullae exceptiones cessare possunt *a*) renuntiatione, etiam tacita; et *b*) ex praescripto legis decernentis earum obiectionem determinato tempore (c. 1628).

302. Q. II. *Quaenam* 1) *actiones, et* 2) *exceptiones recenseantur in Codice.*

R. I. Cum actionum ex iure canonico infinitus sit numerus, ut supra dictum est (com. rubr. Q. V.), legislator non intendit in hoc titulo eas omnes recensere, sed in eo et in aliis locis illas tantum tradit quae usui quotidiano sunt magis necessariae, et praecipuarum specierum prototypi. Quas, memoriae iuvandae causa, placet heic, in unum collectas, ob oculos ponere antequam singularum expositionem aggrediamur.

Recensentur, igitur, in Codice *actiones*, *a*) *reales et personales*, c. 1511; *b*) *petitoriae* seu *reivindicatoriae*, c. 1668); *c*) *se-*

(1) Lib. 5 ff. *De doli et met. except.*

questrariae et *inhibitoriae*, toto cap. I h. t.; *d*) *cautionales*, cc. 1626, 1631; *e*) *interdictoriae*, seu *ex novi operis nuntiatione*, et *de damno infecto*, cap. II; *f*) *restitutoriae*, seu *damni dati* (reparatrices), cc. 1526, 1625, § 1, 1653, § 4, etc.; *g*) *annullatoriae*, seu *ob nullitatem actorum*, cap. III, et cc. 1845, 1893, 1895; *h*) *rescissoriae* et *restitutionis in integrum*, cap. IV; *i*) *reconventionales* seu *mutuae petitiones*, cap. V; *j*) *possessoriae*, seu *possessionis* tum *adipiscendae*, tum *retinendae*, tum *recuperandae*, quae dicitur etiam *spolii* vel *de spolio*, cap. VI; *k*) *de statu personarum*, c. 1701; *l*) *civiles ex delicto*, cc. 1704, 2210, §§ 2, 3; *criminales* et *poenales*, cc. 1702, 1703, 1934, 1938, 2210, § 1, 1°; *m*) *ad exhibendum*, tit. X, art. 2 in rubrica, et c. 1821.

R. II. Quia, ut supra dictum est (com. ad rub. h. t. Q. X), *exceptiones* sunt quoque *innumerae*, et plures adhuc quam actiones, legislator non omnes recenset, sed eas dumtaxat quae sunt frequentioris usus. Quae, cum nonnisi paucissimae sint in hoc titulo propositae, sed hac illac per Codicem sparsae, convenienter heic, in unum collectae, exhibentur. Et sunt: *exceptiones*, *a*) *dilatoriae*, c. 1628; *b*) *peremptoriae*, c. 1629; *c*) *doli*, c. 1686; *d*) *excommunicationis*, c. 1628, § 3; *e*) *incompetentiae*, cc. 1610, 1611, 1617, 1628, § 2; *f*) *litis finitae*, veluti *rei iudicatae*, *transactionis* etc., c. 1629; *g*) *metus*, c. 1686; *nullitatis*, c. 1893; *h*) *possessionis*, c. 1694; *i*) *praescriptionis*, c. 1703-1705; *j*) *spolii* vel *de spolio*, cc. 1670, 1698, 1699.

Can. 1668. — *De divisione actionum, ratione obiecti seu rei quae petitur, in petitorias et possessorias.*

Q. I. *Quisnam dicitur dimicare actione petitoria, quisnam possessoria; seu in quo unaquaeque consistit?* 303.

R. ex h. c., § 1. **Qui ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum in iudicio persequendum titulo agit iuris auctoritate subnixo, actione dimicat quae** *petitoria* **dicitur.**

§ 2. **Si vero rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat, eius actio** *possessoria* **vocatur.**

... **vindicandam:** id est, asserendam tanquam suam, et uti talem sibi in iudicio recognoscendam contra alium, eandem ceu suam reputantem, licet non possidentem. — ... **persequendum:** hoc est, asserendum tanquam suum, et uti tale sibi recognoscendum in iudicio contra alium, v. g. eum qui illud habeat uti suum, vel ad quem ex lege pertinet immittere in possessionem eiusdem, vel qui impedit exercitium iuris tanquam proprii illius qui petit. — ... **titulo:** scilicet, *dominii* si

agatur *de re corporali*, vel *quasi-dominii* si *de re incorporali* seu *iure*. — ... **subnixo**: v. g. titulo *occupationis*, *emptionis*, *hereditatis*, *praescriptionis*, etc. — ... **petitoria**: quae, ut ex dictis apparet, comprehendit duplicem actionem, scilicet, *rei-vindicativam* seu *vindicatoriam rei*, et *persequutoriam* seu *vindicatoriam iuris*. — ... **possessionem**: scilicet, *detentionem* rei corporalis, corpore et animo adipiscendam, vel retinendam, vel recuperandam, abstrahendo ab illius *dominio* seu *proprietate* (cf. cap. VI). — ... **quasi-possessionem**: id est usum iuris seu rei incorporalis abstrahendo a quaestione circa illius quasi-dominium seu quasi-proprietatem. — ... **possessoria**: quae triplicis generis est, nimirum, *possessionis adipiscendae*, vel *retinendae* vel *recuperandae*, dictae etiam *spolii* seu *de spolio;* de quibus singillatim sermo est in cap. VI.

304. Q. II. *Quoad elementa*, *A*) *cuinam*, *B*) *contra quem*, *C*) *quo titulo*, *D*) *ad quid*, et *E*) *quandiu competunt* 1) *actio petitoria*, et 2) *actio possessoria?* (cfr. com. rub. Q. V).

R. I. Quaelibet actio *petitoria* competit *A*) domino rei; sive *a*) *directo*, quo in casu actio vocatur *directa*, sive *b*) *utili*, qui nempe habet dominium *utile*, ut emphyteuta, et tunc actio appellatur *utilis: B*) adversus possessorem seu detinentem, et quidem *a*) contra illum qui possidet *nomine proprio*, et *b*) contra eum qui possidet *nomine alieno* ut commodatarius, depositarius, conductor, etc., licet isti possint *laudare*, ut dicitur, eorum auctores, id est, litem transferre ad commodantem, deponentem, locatorem, etc.; et *c*) contra eum qui dolo desiit possidere; *C*) titulo *dominii* vel *quasi-dominii; D*) ad petendam *rem corporalem* sive immobilem sive mobilem sive se moventem, vel *rem incorporalem* seu *ius*, quodcumque illud sit, seu quavis lege concessum sive positiva sive naturali; *E*) ad diversum tempus, pro diversis speciebus actionum petitoriarum. (Cfr. c. 1508 et seq. *de praescriptione*).

R. II. Quoad *actionem possessoriam* cfr. com. ad cap. VI.

Can. 1669. — *De cumulatione actionum et exceptionum in eodem iudicio.*

305. Q. I. *De quibus rebus, et sub quibus conditionibus potest actor cumulare actiones?*

R. ex h. c., § 1. **Actor pluribus simul actionibus, quae tamen secum ipsae non confligant, sive de eadem re, sive de**

diversis, reum convenire potest, si aditi tribunalis competentiam non egrediantur.

... **simul**: id est in eodem libello seu in eodem iudicio. — ... **non confligant**: vel quia inter se *a*) sunt *contradictoriae*, ut si petatur declaratio *nullitatis* matrimonii *ob metum*, et ex capite *consensus liberi conditionati:* vel *b*) sunt *contrariae*, ut si quis postulet hereditatem *ex intestato* et *ex testamento*, nam si aestimet hoc validum, non potest bona fide hereditatem petere ex intestato ; vel *c*) sunt *praeiudiciales*, tales, nimirum, in quibus sententia data in una absorbet alteram, seu parit *rem iudicatam* in altera, veluti si quis proponeret quaestionem natalium et hereditatis, nam sententia declarans eum non ortum ex legitimis natalibus, gignit *exceptionem rei iudicatae* quoad actionem super legitima successione, quae remanet exclusa. In his casibus debet eligere unam actionem, vel plures quidem, sed non confligentes inter se (1). Attamen, pro praxi advertatur quod in actionibus de se contrariis potest vitari contrarietas *de facto* seu *in concreto*, si actor non fateatur expresse factum nec unius nec alterius actionis, et in neutra suam intentionem fundet *absolute*, sed in utraque *subordinate*, ita, scilicet, ut si unam non probaverit, ad alteram regredi intendat (2). Quod valet etiam in exemplo supra allato de nullitate matrimonii.

... **de eadem re**: sive respectu ad unum reum conventum, sed quae oriantur ex diversis titulis, v. g., actiones *de dominio* talis agri titulo *a*) *emptionis*, et *b*) *praescriptionis*, sive respectu ad diversos reos, sed ob unum eundemque titulum, ut puta, quia venditores solidales. — ... **diversis**: quoad eundem reum, v. g. actiones *a*) *vindicationis* domus causa emptionis, et *b*) *damni dati* ob negligentiam in exsecutione mandati procuratorii. — ... **potest**: eo quod cedit « in favorem dirimendarum litium et facilius producendarum ad exitum ; frustra enim fit pluribus iudiciis, quod uno absolvi potest » (3). — ... **competentiam** : sive *absolutam*, et ideo creditor ex contractu celebrato cum clerico et aliqua religione exempta, non potest actionem contra istam cumulare in libello proposito contra clericum coram tribunali dioecesano (cf. c. 1557, § 2, 2°) ; sive *relativam*, et ex hoc capite in libello contra clericum ob debitum ex contractu non potest cumulari actio contra ipsum circa beneficium situm in alia dioecesi.

(1) Reiff., *Ius Can. Univ.*, Lib. II, Tit. 12, n. 268.
(2) Cfr. Lega, *De Iudic. Civ.*, Vol. I, n. 176.
(3) Schmalzgrueber, *Ius Eccl. Univ.*, Tit. *De oblat. libelli*, n. 9.

306. Q. II. *An reo permittantur plures exceptiones etiam contrariae.*

R. Affirmative, ex § 2. **Reus non prohibetur pluribus exceptionibus etiam contrariis uti.**

Ratio est quia, cum reus asserendo contraria non intendat aliquid petere sed solum actioni seu petitioni actoris resistere, exceptiones intelligendae sunt propositae non *copulative* et quasi ille asserat eas esse simul veras, sed *disiunctive* vel *alternative* et cum ea intentione ut, si in unius probatione defecerit, ad alias probandas confugiat.

Can. 1670. — *De cumulatione simultanea actionum possessoriarum et petitoriarum.*

307. Q. I. *Utrum et quando actiones possessorias et petitorias simul, seu ab exordio litis, cumulare liceat,* 1) *actori, et* 2) *reo.*

R. I. ex § 1. **Actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio ex adverso opponatur.**

...**potest**: quod quidem iam veteri iure canonico expresse concessum fuit (1) etiam cumulatione successiva seu *per regressum* (cf. c. seq.), non obstantibus iuris romani praescriptionibus (2) inter quas L. *Incerti* Cod.: « Incerti iuris non est, orta proprietatis et possessionis lite, prius possessionis decidi oportere quaestionem competentibus actionibus, ut ex hoc ordine de facto de dominii disceptatione probationes ab eo, qui de possessione victus est, exigantur ». Rationes concessionis a iure can. factae sunt: *a*) *gravibus partium sumptibus parcere* (3); *b*) subvenire parti imprudenter instauranti actionem petitoriam quae difficilis probationis est, quando insimul experiri valeret aliquod vel aliqua remedia possessoria, quae facilioris sunt probationis, ut contigit Abbatissae et monialibus de Forcellis, de quibus fit mentio in cap. 36, X, *De test. et attest.*, II, 20. Quae tamen concessio intelligitur facta « quando, ut ait Reiff., non dubitatur de possessione, seu quis actu possideat (licet dubitetur an rite possideat) »; nam in casu dubii possessionis (facti) « non potest agi possessorio et petitorio simul (neque enim appareret quis probare teneretur in petitorio) sed oportet prius

(1) Cfr. Reiffenst. *I. C. U.*, Lib. II, tit. XII, nn. 264-272.

(2) L. *Ordinarii* Cod. ll. ff. *Exit. controv. De acquir. poss.* et *De vi et posses., De iudic.*

(3) Cap. 2. Cfr. quoque Glossam in cap. 2, X, *De causa poss. et prop.* II, 12; Reiff., *l. c.* n. 264.

tractari, discuti, atque terminari quaestionem super possessione; sic quippe ab eo qui de possessione victus est poterunt postea exigi probationes super proprietate » (1).

... **una instantia**: id est, una petitione seu in eodem libello; et, proinde, in litis exordio. — ... **cumulare**: quod quidem, iuxta eundem auctorem (2) « pluribus, generatim autem duobus modis accidere potest. I. Quando utraque causa proponitur *ab eadem parte:* sive dein fiat *simul* atque ab ipso iam litis exordio ut dum actor qui asserit se per alium *re sua* spoliatum fuisse, aut ab adipiscenda possessione eiusdem iniuste impediri, intentat in libello iudicii oblato iudicium tum possessorium recuperandae, vel adipiscendae, tum petitorium, petendo ut sibi tam possessio quam proprietas rei adiudicetur: sive id fiat *successive*, ut dum actor, postquam coepit agere petitorio, regreditur etiam ad possessorium. II. Quando causa possessionis et proprietatis in eodem iudicio proponitur *divisim*, seu *ab utraque parte:* ut dum actor incipit iudicium possessorium, petendo rei litigiosae possessionem sibi adiudicari, reus autem excipiat atque probare contendat proprietatem seu dominium illius sibi competere; aut dum tam actor quam reus contendit simul super possessione ac proprietate rei ». Porro, de cumulatione *simultanea* agitur in h. c., de *successiva* in c. sequenti.

... **possessorias**: *possessionis* sive *adipiscendae* sive *recuperandae* seu *de spolio*, ut dicitur in c. seq., non autem *retinendae*, ut apparet ex seq. canone: circa quas omnes cf. Tit. VI. — ... **spolii exceptio ex adverso**: id est, nisi reus opponat quod ab actore spoliatus fuit, seu **vi aut clam ... deiectus est** (c. 1698) a possessione rei vel quasi possessione iuris circa quae versatur actio actoris sive petitoria sive possessoria; nam tunc, etsi actor proposuerit actionem de spolio (c. 1698), quasi passo ab illo et patrato a reo, non datur cumulatio, sed debet cognosci exceptio spolii a reo opposita, et, ea probata, debet dari sententia restituens eidem possessionem, priusquam ipse respondeat actori. Hoc constat ex c. 1699, § 1. **Spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium, non tenetur respondere nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus.** Et quidem de hoc casu intelligenda sunt iuris veteris axiomata: *spoliatus ante omnia restituendus est* (3): *praedo etiam secundum rigorem iuris est restituendus* (4).

(1) et (2) Reiff. *op. cit.*, nn. 266, 263.
(3) Cap. 4, X, *De ordine cognit.*
(4) Cap. 5, *De restit. spoliatorum.*

R. II. ex § 2. **Pariter fas est reo convento in petitorio, actorem reconvenire in possessorio; et viceversa, nisi res sit de spolio.**

...**in petitorio**: nimirum, actione petitoria, seu qua actor vindicet sibi aliquam rem vel persequatur aliquod ius tanquam propria (c. 1668). — ...**reconvenire in possessorio**: id est, uti, non *exceptione* possessoria, qua, cum per exceptiones *nihil petatur*, nihil obtinet (nisi sit exceptio spolii), et aliunde actionem actoris non debilitat, sed *actione reconventionali* possessoria (a legislatore h. c. concessa), qua *postulat* ut sibi restituatur vel tradatur possessio rei vel quasi-possessio iuris circa quae versatur actio petitoria actoris. — ...**viceversa**: scilicet, fas est reo convento in possessorio, non tamen actione spolii seu recuperandae possessionis (ut infra dicetur), actorem *reconvenire* in petitorio, id est, uti, non exceptione petitoria (obiiciendo se esse dominum rei) quae esset inutilis, sed *actione reconventionali petitoria*, a iure sibi hic concessa, ad vindicandum, tanquam propria, rem aut ius quae percelluntur actione possessoria actoris quae, ut innui, non sit *actio spolii*, nam sequitur: **nisi res sit de spolio**; quod non potest esse aliud praeter actionem recuperandae possessionis propositae ab actore. Igitur, si datur reconventio, una actio spolii ab actore proposita debet in eo iudicio cognosci et definiri: potest autem quaeri num etiam valeat exsecutioni mandari, si est restitutoria possessionis. — Vel, aliis verbis:

308. Q. II. *Utrum et an semper actor, proponens et probans actionem spolii, sit in possessionem rei vel iuris restituendus.*

R. De reo, seu de spoliato obiiciente et probante exceptionem spolii non est dubium quin sit generatim restituendus, cum expresse hoc praecipiat canon 1699, supra citatus; sed de actore non adest expressum praescriptum. Attamen, cum inutiliter pronuntiaretur sententia restitutionis si exsecutioni non mandaretur, dicendum est etiam actorem spoliatum restituendum esse, prout plenius explicabitur in comment. ad cc. 1698 et 1699.

Can. 1671. — *De cumulatione successiva, seu de regressu a petitorio ad possessoria, et de horum cognitionis ordine.*

309. Q. I. *Quandonam regressus a petitorio ad possessorium, et ad quod possessorium liceat* 1) *actori;* 2) *iudici.*

R. I. ex h. c., § 1. **Item fas est actori, antequam conclu-**

sum fuerit in causa, ab instituto iudicio petitorio regredi ad possessorium adipiscendae vel recuperandae.

...fas est actori: ergo si actor utatur iure quod hic illi conceditur, et probet seu obtineat in possessorio, sive *recuperandae* sive *adipiscendae*, iudex, iuxta supra dicta, « praecipiat rem cuius possessione spoliatus fuerat eidem restitui, vel ipsum in possessionem, si hanc nunquam habuerat, immitti, donec reus probaverit eius proprietatem sibi competere : arg. c. 36, X, *De testib. et attest.*, II » (1). Ratio autem permittendi talem regressum est « ne actor, ingressus petitorium ac deficiens in probatione dominii, quae difficillima est, omni penitus remedio destituatur, atque ex integra causa cadere cogatur; sed probans possessionem, aut quod ea per alterum spoliatus fuerit, obtineat saltem in possessorio, commodisque seu privilegiis possessionis gaudere mereatur donec alius probaverit dominium seu proprietatem rei » (2). Inter commoda accensetur, v. g. ius consumendi, absque obligatione compensationis, fructus bona fide perceptos.

...antequam conclusum fuerit in causa: quia per *conclusionem in causa* partes intelliguntur renuntiasse ulterioribus allegationibus et probationibus, et controversiae decisionem in manu iudicis submisisse; et quidquid sit de hoc, ex c. 1861, **post conclusionem in causa novae probationes inhibentur partibus,** multo magis novarum quaestionum propositiones. — **...adipiscendae vel recuperandae:** non igitur ad possessorium *retinendae*, nam praeteritio illius ex parte legislatoris in hoc loco est indubitanter eiusdem exclusio. Et quidem hoc modo manet decisa quaestio a Fagnano (3) dicta ardua et perdifficilis, a Menochio perplexa, quae omnium ingenia exercuit. Merito autem facta est exclusio, nam qui agit petitorio, seu actione vindicatoria rei, tacite fatetur eam non possidere, qui vero agit possessorio retinendae fatetur eandem possidere; quae vix nequeunt non esse inter se contraria (4).

R. II. ex § 2. **Imo ex iusta causa iudex etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permittere potest.**

...iudex etiam post...: quia conclusio in causa afficit partes adeo ut post eam inhibitae sint ipsis novae allegationes et pro-

(1) Reiff., *I. C. U.*, Lib. II, Tit. XII, § X, n. 303.
(2) Id., *Ibid.* n. 300.
(3) In c. 14 *De causa poss. et propriet.* Cfr. Reiff., *l. c.*, n. 277, sq.
(4) Cfr. Reiff., *l. c.* n. 266.

bationes, iudicem vero non ita afficit, siquidem illi ius et officium manent omnia rimandi et ulteriores inquisitiones faciendi quae ad iustam sententiam proferendam conferant. — **... definitivam :** non potest igitur regressum permittere seu cumulare cum possessorio in appellatione coram ipso interposita, seu appellationem ita interpositam admittere. Et, proinde, nec potest iudex superior appellationem sic propositam admittere, quia ex c. 1891, in gradu appellationis admitti nequeunt non modo novae petitiones, sed nec **nova petendi causa, ne per modum quidem utilis cumulationis** etc. (cf. ibi). Quoad regressum, iure veteri (1) fiebat exceptio pro *causa beneficiali per appellationem ad S. Sedem* (non ad alia tribunalia) *devolutam ;* sed cum haec exceptio non contineatur in Codice, vim amisisse dicenda est (c. 6, 6°).

310. Q. II. *Quo ordine cognoscendae et definiendae sunt quaestiones possessoriae et petitoriae?*

R. ex § 3. **Iudicis est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaestionem unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis expedire ipsi videatur ad celeriorem et pleniorem iurium tuitionem.**

... partium allegationibus : auditis prout harum quaestionum natura et earundem cumulatio exigit, videlicet, *commixtim* pro utraque, ad hoc ut, altera ad alteram comparata, appareat utrum aliquam ex illis expediat prius definiri : unde in cap. 2, X, *De cau. poss. et prop.*, II, 12, praescriptum fuit : *commixtim audiant allegationes, pariter et testes admittat.* Et merito, ut parcatur laboribus et expensis et tempori ; circa quae omnia detrimentum subirent partes si causae seorsim tractarentur, cum ipsae deberent probationes bis producere super eadem re. — **... unica ... alteri:** Quo praescripto derogatur veteri iuri ita se habenti : *cum super possessorio et petitorio simul est actum, utrumque una sententia debet terminari.* Cui dispositioni addebatur haec altera, vigorem servans, ex natura sua, quoad secundam partem, quae quidem frequentem usum habet : *Sed licet in pronuntiatione sit possessio praemittenda, in exsecutione tamen debet proprietas praevalere.* Ex novo igitur iure, inducto vi h. canonis, iudicis est, videlicet, liberum est ipsi utramque quaestionem definire, vel unica sententia vel duplici ; et, in hoc ultimo casu, vel ambas simul tempore vel unam prius, alteram postea.

(1) Clem. un. *De cau. poss. et prop.*

... **satisfacere** : per formalem sententiae pronuntiationem circa utramque citius vel serius, sed tandem aliquando, *cum iudex de qua re cognoscit pronuntiare debeat* (1). Neque obiiciatur quod, si iudex, novo iure utens, praemittat sententiam super proprietate, vel utramque pronuntiet unico scripto aut saltem simul tempore, licet diversis scriptis exaratam, sententia super possessorio superfluit, quia effectus eius principalis, qui est possessionem rei aut quasi-possessionem iuris tradere vel restituere, absorbetur et eliditur sententia super proprietate quoties proprietas probata fuerit, nam tunc, generatim, una illa sententia super proprietate mandatur exsecutioni iuxta illud : *in exsecutione tamen debet proprietas praevalere.* Equidem in casibus in quibus ius possidendi aut quasi possidendi est inseparabile aut dependens a iure proprietatis, veluti ius cohabitandi pendet a quaestione super validitate matrimonii (quae in hoc casu est quaestio super proprietate), sententia super possessione destituitur effectu principali ; sed adhuc tunc non superfluit, cum habeat aliquos effectus utiles, licet secundarios, ut puta ; *a*) morem gerere legitimae petitioni litigantium ; *b*) influere in expensas litis, quas aequitas suadet compensandas si utraque pars est victrix ; *c*) fructus bona fide a possessore perceptos et consumptos eximere a restitutione seu compensatione.

CAPUT I.

De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris.

Expositio rubricae.

Q. I. *Sequestrationis a*) *notio*, *b*) *divisio*, *c*) *obiectum*, *d*) *titulus seu causa sufficiens.* **311.**

R. a) *Sequestratio in sensu proprio* dicitur *rei controversae vel fructuum eius depositio apud tertium, custodiae causa.* Ita, plus minusve, Doctores passim (2) in Titulum *De sequestratione possessionum et fructuum*, II, 17 ; quamvis ibi loquantur generatim de sequestratione ut quaestione incidente in iudicium. Differt *a deposito* seu *depositione*, sicut species a genere, et quia depositum fieri potest de re non litigiosa et ab uno, cum seque-

(1) Cap. 4, X, *De cau. poss. et prop.* II, 12.
(2) et l. *sequestr.* ff. *De verb. signif.*

stratio fiat de re controversa et a pluribus, saltem in hoc sensu quod subaudit disceptationem inter plures.

Sequestratio impropria definiri potest: *Personae apud aliquem depositio incolumitatis aut libertatis servandae causa.* Ut puta, quando alteruter coniux petit a iudice secessionem ab altero coniuge ob timorem saevitiarum, et iudex decernit prioris depositionem penes aliquem, huiusce depositio vocatur, licet improprie, sequestratio. Pariter, si religiosus vel alius subditus petit abduci de manu seu potestate alicuius Superioris, quod illius saevitiam metuant; aut si puella, parentes aut propinquos verita, petat sui ipsius depositionem in Monasterio vel alio loco tuto, quo liberum servet proprium consensum in matrimonium vel in ingressum religionis, in his et similibus casibus agitur de sequestratione quamvis *impropria* (1).

b) Sequestratio, in genere, potest esse vel *voluntaria*, seu *conventionalis* inter partes, vel *necessaria*, quae fit auctoritate et mandato iudicis: hic sermo est de necessaria. Item alia est *propria*, si respicit *rem*, alia *impropria*, si *personam*, ut explicatum est.

c) *Obiectum*, in genere, sunt *res*, sive *mobiles* sive etiam *immobiles*, sive *sacrae*, sive *profanae* (2).

d) *Causa iusta* sequestrandi est periculum, sive damni iuris in rem ab alio detentam, sive personae aut iuris personalis petentis, ut patet quoad postremum ex exemplis sub litt. *a*), et quoad alia declarabitur infra (c. 1672).

312. Q. II. *Inhibitionis a) notio, b) obiectum, c) causa sufficiens.*

R. a) Inhibitio exercitii iuris est *temporanea prohibitio utendi iure controverso, a iudice facta alicui non in poenam sed tanquam cautionalis provisio ob periculum laesionis iuris alius. b) Obiectum*, in genere, est *quodlibet ius* etiam ex lege naturali aut divina promanans, ut puta, in re matrimoniali, ius cohabitandi. *c) Causa* sufficiens in eo est quod ius sit controversum et ex eius exercitio periculum alteri immineat.

313. Q. III. *Actionis, tum sequestrariae, tum inhibitoriae, a) notio, b) analogiae et differentiae.*

R. a) Ex dictis, *actio sequestraria* est *ius petendi a iudice sequestrationem alicuius rei; inhibitoria est ius petendi ab*

(1) Reiff., *I. C. U.*, Lib. II, Tit. XVII, § 1, nn. 28-29.
(2) Lega, *De Iudic. Eccl.*, Vol. I, n. 585.

eodem inhibitionem exercitii alicuius iuris. *b*) Conveniunt in hoc quod utraque prodita est ad obtinendum impedimentum *usus;* sed differunt quia priore petitur impedimentum usus *rei corporalis*, altera vero impedimentum usus *rei incorporalis* seu *iuris.*

Expositio textus.

Can. 1672. — *De actionibus sequestraria et inhibitoria in genere.* **314.**

Q. I. *Subiectum activum, subiectum passivum, titulus et finis actionis sequestrariae; seu a) cui, b) contra quem, c) quo titulo et d) ad quid obtinendum competat haec actio.*

R. Competit *a*) habenti ius super aliquâ re corporali; *b*) contra detentorem rei; *c*) ob damnum petenti imminens; *d*) ad obtinendam rei sequestrationem. Ita ex h. c.

§ 1. **Qui ostenderit super aliqua re ab alio detenta ius se habere sibique damnum imminere nisi res ipsa custodienda tradatur, ius habet obtinendi a iudice eiusdem rei sequestrationem.**

... ostenderit: legitimis probationibus. Sed quia hic agitur de tradenda re *in custodiam*, utique temporaneam, et regulariter urget necessitas decidendi cito traditionem, probationes minores exigi debent quam quae extra hunc casum requirerentur ad sententiam super proprietate aut super possessione eiusdem rei. — **... ab alio detenta:** sive uti possessore, id est, tenente eam *legitime et nomine proprio*, sive ut mero detentore, seu tenente eam vel *illegitime*, vel legitime quidem sed *nomine alieno*, ut commodatarius, locatarius, etc. — **... ius:** sive proprietatis sive possessionis sive usufructus. — **... imminere:** quia, v. g., rationabiliter timetur ne detentor rei mobilis illi pignoratae fugiat cum ea; vel fructus restituendos ex sententia in possessorio ei contraria, sed ab ipso per appellationem impugnata, dissipet appellationis iudicio durante; vel maritus nullius frugis dotem uxoris dilapidet, etc. — **... sequestrationem:** seu depositionem apud tertiam personam, **quae sequester dicitur** (c. 1675, § 1).

Q. II. *Cuinam, contra quem, etc., competit actio inhibitoria?* **315.**

R. ex § 2. **In similibus rerum adiunctis obtinere potest ut iuris exercitium alicui inhibeatur.**

In similibus: nimirum, si ostenderit, *a*) ius, et *b*) probabile

damnum. — ... **potest** ... **inhibeatur**: id est, habet actionem inhibitoriam.

316. Q. III. *Utrum possint hae actiones cognosci, et earum effectus decerni ex officio, et a quo debeant tunc promoveri?*

R. ex § 3. **Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris a iudice decerni potest ex officio, instante praesertim promotore iustitiae aut defensore vinculi, quoties bonum publicum id postulare videatur.**

... **potest**: id est ius et officium illi sunt; non enim agitur de re facultativa. — ... **praesertim**: unde eruitur quod licet promotor iustitiae aut defensor vinculi, aut, a pari, quilibet alius boni publici defensor non instent, iudex potest iudicium de sequestratione vel inhibitione instituere, et easdem, si iustum est, decernere. Ratio est quia in societate ecclesiastica, instituta iuridica *promotoris iustitiae*, *defensoris vinculi*, etc., non eximunt iudicem ab obligatione promovendi per se bonum publicum et illius defensionem aggrediendi. — ... **bonum publicum**: quo spectat, v. g. si ad aures iudicis ordinarii pervenerit puellam, causa consensus in matrimonium extorquendi, torqueri; vel quempiam, ut statum clericalem, vel religiosum amplectatur, minas pati, etc.

317. **Can. 1673.** — Q. *Actio sequestraria ad crediti securitatem*, 1) *quandonam admittitur; et* 2) *ad quae extenditur.*

R. I. ex § 1. **Ad crediti quoque securitatem sequestratio rei admittitur, dummodo de creditoris iure liquido constet et servata norma de qua in can. 1923, § 1.**

... **liquido**: id est, vel aliquo instrumento quod paratam habet exsequutionem, v. g. decreto exsecutorio, de quo in canone 1918 quoad sententiam quae transierit *in rem iudicatam*, vel alio modo adeo manifesto ut probatio deveniat facilis ac brevis, v. g. per confessionem iudicialem debitoris, aut etiam extraiudicialem scriptam et adiecta causa seu occasione debiti contracti. — ... **norma de qua in c. 1923, § 1**: videlicet, ut iudex incipiat sequestrationem **a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salva honesta eiusdem sustentatione ad normam can. 122.**

R. II. ex § 2. **Sequestratio extenditur etiam ad res debitoris quae depositi causa aut quolibet alio titulo apud alias personas reperiantur.**

Can. 1674. — Q. *Quandonam decerni nequeunt sequestratio rei aut suspensio iuris?* 318.

R. **Sequestratio rei et suspensio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum quod timetur, possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur.**

... aliter: v. g. damnum reparando per restitutionem rei aut fructuum eiusdem speciei ac res aut fructus quarum sequestratio petitur. — **... idonea cautio ... offeratur:** id est, tradatur, et quidem non verbalis aut scripta tantum sed realis, ut puta, deponendo penes mummularium certam summam interventu notarii, aut officialis iudiciarii, ceterisque sollemnitatibus adhiberi solitis (1).

Can. 1675. — Q. *Sequestri* 1) *designatio qualiter facienda*, 2) *obligationes*, 3) *merces*. 319.

R. I. ex § 1. **Ad custodiam rei sequestrationi subiectae idonea persona, proponentibus partibus, a iudice designetur, quae sequester dicitur; si partes inter se dissentiant, iudex ex officio sequestrem deligat.**

R. II. ex § 2. **Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, eamque postea, cui iudex decreverit, reddere tenetur cum omni causa.** Id est, cum omnibus documentis seu instrumentis ad rem facientibus.

R. III. ex § 3. **Iudex congruam decernat mercedem sequestri, si eam petat.**

CAPUT II.

De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto.

Expositio rubricae.

Q. I. *Actio interdictoria, seu ex novi operis nuntiatione, quid?* 320.

R. Est *ius petendi a iudice ut prohibeat inceptionem aut prosecutionem novi operis quod ei nuntiatur tanquam damnosum rei propriae petentis.*

Haec actio expresse concessa fuit iure Decretalium in apposito Titulo, *De novi operis nuntiatione*, et desumpta ex fa-

(1) Cfr. *Cod. Proc. Civ. Ital.*, art. 902 et seq., *Cod. Civ.*, art. 1259 et seq.

mosa Decretali *Intelleximus*, Lucii III Episcopo Paduano, occasione causae *quae vertitur*, ait S. P., *inter Priorem S. Cypriani, et clericos de Rodigio super capella, quae in praeiudicium baptismalis ecclesiae de Costa ab iisdem clericis construitur.* Quam controversiam S. Pontifex composuit adhibens ius civile in supplementum iuris canonici et proponens hoc famosum principium quod viguit usque ad promulgationem Codicis (in quo substitutum est canone 20): *Quia vero sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adiuvantur...* Conformiter igitur ad ius romanum (ex l. ff. *praeter, De novi op. nunt.*), et ratione etiam petita ex sacris canonibus, edixit: *Fraternitati tuae mandamus quatenus diligenter considerans, quod post denuntiationem novi operis, sive iure sive iniuria, aliquid construatur, legalibus debet constitutionibus demoliri; et quia nulla ecclesia est in praeiudicium alterius construenda, negotium ipsum secundum legum et canonum statuta non differas terminare.*

321. Q. II. *Notio actionis de damno infecto, seu nondum facto.*

R. Quemadmodum praecedens actio respicit *novum opus*, ita et praesens spectat ad *opus vetus* seu ab antiquo perfectum, vel *aliam rem* ex quibus damnum immineat. Ex hoc ultimo capite ista actio differt ab illa tanquam genus a specie. Potest autem definiri: *Ius petendi a iudice remotionem periculi damni quod rei propriae petentis immineat ex re alterius, aut compensationem damni si evenerit.* De hac loquebatur Titulus ff. *De damno infecto:* de quo Paulus l. 3 ait: « Damnum infectum est damnum nondum factum quod futurum veremur ». Sed iure canonico non coarctatur ad limites adeo angustos ac iure civili, nam porrigitur ad damna non modo materialia, sed etiam ordinis moralis, ut infra videbitur.

Expositio textus.

Can. 1676. — *De actione nuntiationis novi operis.*

322. Q. I. *a) Cuinam, b) quo titulo, c) contra quem, et d) ad quid petendum competit haec actio.*

R. Competit *a)* rei domino (quoad hunc enim et non quoad possessorem, dicitur proprie quod res est *sua*) timenti damnum eidem rei ex novo opere; *b)* ob damnum imminens ex opere; *c)* contra auctorem damni; *d)* primo ad interrumpendum, dein ad interdicendum opus. Ita ex h. c.:

§ 1. **Qui ex aliquo novo opere damnum timet suae rei obventurum, potest illud iudici nuntiare ut opus interrumpatur, donec utriusque partis iura, iudicis sententia, definiantur.**

...**novo**: *large* sumpto, ut innuitur canone sequenti, et iam significavit Ulpianus in l. 1, § 11. ff. *De novi op. nuntiat.*: « Opus novum facere videtur qui aut aedificando aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat. » Et non tantum sumitur *pro opere materiali*, sed etiam *morali*. « Quare, ait Card. Lega, iure canonico quodcumque opus aut pium institutum conditur, aut e pristino statu mutatur, dicitur *opus novum* » (1). Et hoc arguitur ex c. 1 supra transcripto, et ex cc. 2 et 3, X, V, 32.

...**damnum**: grave aut secus; nam cum actor sit in pacifica possessione rei suae, ius habet ne vel in minimo turbetur privata auctoritate; turbaretur autem novo opere. — ...**suae rei**: v. g. *domui*, cui, altius tollendo aedes vicinas, beneficium lucis et aëris aufertur; vel *fundo*, qui, ob opus aliquod in fundo attiguo, aquarum irriguis privaretur; vel *paroeciae*, quae, ex alicuius ecclesiae aedificatione intra vel iuxta paroeciales fines, diminutionem stipis fidelium nimie persentit, etc. etc. — ...**obventurum**: seu futurum sit, nam ad reparandum aut compensandum praeiudicium iam factum competit actio *de damno dato*. — ...**interrumpatur**: iste est finis *proximus* et effectus *immediatus* et *temporaneus* huius actionis, ad quem obtinendum requiritur, sed sufficit, periculum damni ostendere aliquo probabili seu rationabili argumento; effectus vero *definitivus* et finis *mediatus* ac *praecipuus* est *interdictio* seu prohibitio operis inchoati aut intentati, quae hic et in § 3 dicitur *ius suum*, id est, quod actor sibi praecipue proponit vindicare, demonstrandum tamen, ut infra dicetur.

Q. II. *Obligatio rei hac actione conventi.* 323.

R. ex § 2. **Is cui intimata fuerit prohibitio, continuo ab opere cessare debet, sed, dummodo idonee caveat se in pristinum omnia restituturum si absoluto iudicio victus discesserit, poterit a iudice continuationem eiusdem impetrare.**

...**idonee**: prudenti arbitrio iudicis. — ...**victus**: eo quod actor demonstraverit quae infra dicemus, non quia ipse non demonstraverit contrarium, minime enim tenetur ad hoc. — ...**poterit**: sed, licet idonee caverit, non tenetur iudex ei con-

(1) *De Iudic.*, I, n. 239; arg. cc. 1, 2, 3, Tit. *De novi op. nunt.*

cedere continuationem, merito enim dicit l. ult. Cod. *Ex quib. caus. rest.* « melius est intacta iura servari quam post causam vulneratam remedium quaerere ». Unde, iure antiquo (citat. l. et arg. cap. 3. *De novi op. nuntiat.*) nuntians non tenebatur accipere cautionem si intra tres menses valeret suam absolvere instantiam.

324. Q. III. *Obligatio actoris seu nuntiantis.*

R. Est ius suum *a*) demonstrare, et quidem, *b*) intra duos menses. Ita ex § 3.

Nuntianti novum opus ad ius suum demonstrandum duo menses praefiniuntur; qui ex iusta et necessaria causa a iudice, audita altera parte, prorogari vel reduci poterunt.

... **ius suum**: scilicet, ius ad hoc ut opus novum interdicatur seu impediatur. — ... **demonstrandum**: et quidem probationibus legalibus ex quibus haec duo appareant; *a*) quod rei suae certo sequetur *damnum* ex novo opere; et *b*) quod damnum est *iniustum*, et proinde evitandum.

325. **Can. 1677.** — Q. *An, et quando operis nuntiatio competat quoad vetus opus?*

R. **Si vetus opus magna ex parte immutetur, idem ius esto quod de novo opere can. 1676 constitutum est.**

Can. 1678. — *De actione ex damno infecto.*

326. Q. I. *a) Quinam, b) contra quem, c) et ad quid hanc actionem habet?*

R. Eam habet, *a*) qui damnum pertimuerit ex re quacunque; *b*) contra auctorem periculi; *c*) ad obtinendam periculi remotionem, etc. Ita ex h. c.:

Qui grave damnum rei suae imminere pertimescit ex alieno aedificio quod ruinam minatur, ex arbore aut ex alia re quacunque, actionem habet *de damno infecto* **ad obtinendam periculi remotionem, aut cautionem de damno vel avertendo, vel compensando, si forte evenerit.**

... **grave**: nam adversarius, hac actione percellendus, est in pacifica possessione rei suae, puta aedificii, arboris, etc., et ius naturale vetat quominus in ea turbetur, id est, aliquid in eadem mutare cogatur, nisi probetur quod ex illa imminet damnum alteri, et quidem grave, *cum de minimis non curet praetor.* — ... **rei suae**: vel a fortiori, sibi, aut iis quorum curam habet; etenim indubium est competere cuilibet ius ar-

cendi quodvis periculum non modo a rebus suis, sed potiori ratione, a se, et a suis, tum quoad *corporis* incolumitatem, tum quoad *famae* integritatem, tum quoad possessionem *veritatis*, tum quoad usum *libertatis;* et, proinde, competere quoque facultatem implorandi protectionem iudicis, si ad illud arcendum necessaria sit; in summa, competere actionem *de damno infecto*, nam ex c. 1667, **quodlibet ius... actione munitur. — ... re quacunque:** vel quocunque actu (nam et actus sunt res), v. g. *publicatione* aut *divulgatione* alicuius scripti, haeretica aut turpi *obloquutione*, etc. — ... **remotionem aut cautionem :** faciendam ab auctore periculi vel damni, et, proinde, contra eum datur haec actio.

Q. II. *Quid iuris si opus aliave res damnosa iam sint facta,* 327.
sed illicite?

R. Certe non competit actio *de damno infecto*, quae non adversus praeterita inducta est, sed adversus futura, ne fiant. Et quidem si opus aut res quae damnum inferunt perfecta fuerunt publice et pacifice, quin ille cuius intererat protestatus fuerit et remedium opposuerit intra legitimum tempus, vel antequam actio exstingueretur (cf. cap. VII), nulla actio ei competit, quia praesumitur iuri suo renuntiasse (1). Si vero *per vim* aut *clam* vel *per fraudem* opus fuerit absolutum, datur actio *spolii* seu ad recuperandam possessionem, vel actio petitoria extraordinaria *restitutionis in integrum*, aut alia actio ordinaria, prout casus ferat (2).

CAPUT III.

De actionibus ob nullitatem actorum.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio capitis.* 328.

R. Cum iustitiae repugnet quod ex actibus nostris *nullis* iura alteri gignantur, merito legislator expresse recognoscit cuilibet actiones *ob nullitatem actorum;* implicite autem recognoscit quoque exceptiones, nam e latere cuiuslibet actionis exsurgit relativa exceptio, ut dictum est.

(1) Cfr. Bizzarri, *Collect.*, pag. 625.
(2) Lega, *De Iudic. civ.*, I, n. 243.

329. Q. II. *Notio et divisio.*

R. Actio nullitatis est ius petendi in iudicio declarationem nullitatis cuiusvis actus, et indemnitatem. Duplicis generis est, prout nullitas, cuius declaratio petitur, sit *iuris naturalis* aut *iuris positivi. Actio nullitatis* differt ab *actione rescissoria*, quia hac petitur *annullatio* actus validi, priore autem *declaratio nullitatis* actus nulli ex se, seu ipso iure.

330. Q. III. *Actuum nullitas ex iure veteri.*

R. Acriter hucusque disputatum fuit circa nullitatem ex iure positivo canonico, pluribus asserentibus esse nullos actus quoscunque *prohibitos*, iuxta regulam 54 *De reg. iur.* in VI°, *Quae contra ius fiunt, debent utique pro* infectis *haberi*, et ex l. *Non dubium* 5. C. *de Legibus*, quae decernit « ut ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia (idest irritabilia), sed pro infectis etiam habeantur » ; aliis docentibus nullitate laborare eos tantum actus positos *contra legem irritantem* aut eosdem *nullos declarantem*, et illos *forma carentes* positive praescripta ; aliis denique propugnantibus illos tantum esse actus nullos quibus deesset *forma iure praescripta sub poena nullitatis.* Huic sententiae favebat cap. 6, X, *De regularib.* III, 31: *Multa fieri prohibentur quae, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem:* et eandem sancivit, et, ni fallor, ampliavit et declaravit Codex, c. 1680, ita ut non sit opus recurrere ad multiplices ac difficiles regulas a Doctoribus non uno sensu traditas ad discernendos actus nullos (1).

Expositio textus.

Can. 1679. — *De actione nullitatis, quoad generalia.*

331. Q. I. *Quando, seu quo titulo, cuinam, ad quid, et contra quem datur?*

R. **Si actus aut contractus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis.**

... **actus**: sive iudicialis, sive extraiudicialis. — ... **ipso iure**: sive naturali, sive etiam positivo humano ; etenim est in potestate Legislatoris humani conditiones aut requisita determinare, iuxta quae, et non aliter, accipiant *esse* seu exsistentiam *in ordine iuris* illi actus qui versantur circa materiam suae legi

(1) Cfr. Suarez, *De Legibus*, l. V, cap. 25, sq.

subiectam. — ... **interest**: quicunque ille sit, et cuiusvis ordinis sit, sive materialis sive moralis, suum commodum. Iure veteri, eo quod « factum cuique suum non adversario nocere debet » (1), et quia fraus et dolus nemini patrocinari debent, denegabatur actio illi qui actum omisisset aut indebite posuisset eo consilio ut processus evaderet nullus et sententia differretur : iure novo non ita, nam Codex silet; sed remedium apponitur in c. 1681. — ... **obtinendam**: contra auctorem nullitatis, aut contra eum cum quo actor contraxit. — ... **declarationem**: non annullationem vel rescissionem, cum actio nullitatis versetur circa actus *nullos ipso iure*.

Q. II. *Coram quo proponenda est?* 332.

R. Coram iudice ordinario, qui competens est respectu illius contra quem petitur, iuxta dicenda in com. ad c. 1688, § 1, super restitutione in integrum. Quod si agatur de nullitate alicuius sententiae, proponi potest vel coram auctore vel coram superiore ad normam c. 1895.

Can. 1680. — Q. *Nullitas actus:* 1) *quandoñam habetur;* 333. 2) *an importet nullitatem actorum praecedentium*, etc.

R. I. ex § 1. **Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu conditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis.**

... **actum ipsum essentialiter constituunt**: videlicet, iure naturae. Porro haec sunt: *subiectum capax*, *res* seu obiectum, *causa*, et *voluntas;* eo, ni fallimur, sensu quo singula hic exponimus (2).

1) *Subiectum capax* est *persona habilis* iure naturae et *non inhabilis* iure ecclesiastico ad determinatos actus iuridicos ponendos. Itaque, *ob incapacitatem subiecti*, sunt nulli, v. g. *a*) actus *iurisdictionales*, sive iudiciales sive extraiudiciales, peracti ab eo qui non sit constitutus in aliquo officio ecclesiastico *cum relativa iurisdictione* (cf. c. 145), nam ex iure naturae provenit quod *par in parem non habet imperium ; b*) ob eandem rationem, actus peracti ab eo qui suam *iurisdictionem ordinariam* extraiudicialem exercet in *non subditos*, nisi agatur de mera gratia illis non repugnante ; *c*) actus iudicis sua *iurisdictione ordinaria*

(1) Lega, *De Iudic. civ.*, Vol. I, n. 251, 8.
(2) Cf. D'Annibale, *Summula Theol. Mor.*, Pars II, n. 300, et I, n. 210.

utentis in illos qui non subduntur ei, saltem indirecte ratione obiecti, commorationis, etc. (cf. cc. 1560, 1562, etc.). nisi eidem scienter et sponte, etsi illicite, ipsi se submittant (cf. com. ad c. 1558, § 2); *d*) actus iudicis qui suam *iurisdictionem ordinariam* extendit ad res aut personas, respectu quarum iure can. declaratur incompetens *absolute*, et proinde inhabilis (cf. c. 1558, § 1); *e*) denique, actus delegati, tum iudicialis tum extraiudicialis, erga res aut personas non contentas in mandato, quippe qui, ex c. 203, **nihil agit.**

2) *Res* videtur esse illud quod mediante actu iuridico *fit*, aut *datur* aut *accipitur*. Debet autem esse: *a*) *Aliquid;* quamobrem, v. g. si testator dicit se relinquere domum Titio, ille autem nullam domum habebat, ea testamenti pars est nulla (1). *b*) *Certa;* hinc, v. g. « si stipulatus fuero domum aedificari non demonstrato loco, vel fundum dari non adiecto nomine », contractus non valet (2). *c*) *Apta*, seu constituens obiectum circa quod versantur lex, pactum, actus externus; quapropter, v. g., si mandans commisit emere vineam, procurator vero emit gregem, emptio est nulla: aut si monitiones in processu pro dimissione religiosorum versentur circa delictum non *notorium*, neque notum ex confessione extraiudiciali aut ex speciali inquisitione, irritae sunt (cf. c. 658, § 1). Et ratio est quia obiectum actus externi, cum, iuxta Div. Thomam (3), sit veluti forma a qua actus speciem desumit, devenit tanquam forma substantialis eius, et proinde quid essentiale ipsi. — Plures docuerunt *rem* debere esse *honestam*, nam turpia, seu quae laedunt bonos mores, « nec facere nos posse credendum est » (4). Quod ad summum intelligendum est de iis quae opponuntur « alicui legi naturali ex parte materiae habentis eandem indecentiam in continuatione seu conservatione actus quam habuit in prima effectione », ut ait Suarez (5). « Sed neque hoc potest in universum affirmari », ut ipsemet docet *l. c.* n. 9.

3) *Causa* dicitur heic finis vel scopus intrinsecus cuiuslibet actus; non est igitur sermo de causa extrinseca, nam haec, videlicet, « quae aliquem in praesens ad contrahendum, testandum movet, per se nihil mutat: et ideo non est necessaria ut actus valeat: veluti si a te equum emerim eo quod meum periisse

(1) D'Annibale, II, 300, nota 2.
(2) L. 74, *De legat.*, I.
(3) *Sum. Theol.*, 1ª 2ae, q. 18, a. 2.
(4) L. 15, *De Condit. iustit.*
(5) *De Legibus*, L. V, cap. 27, 2.

falso existimavi » (1). Porro, in actibus onerosis, ait D'Annib. *l. c.* causa est « utilitas quae consistit ex actu ipso, natura sua: haec si desit, nihil agitur ». — « L. 2, § 3, *De doli mali except.;* L. 1, *De Condict. sine causa;* C. 5, *De donat. int. vir. et uxor...* Ut ecce, si servitus constituta fuerit sine ulla praedii dominantis utilitate...; si transactio intercesserit super negocio nulli prorsus controversiae obnoxio », cum scopus transactionis sit controversiam circa ius dubium terminare. « In gratuitis, prosequitur, est liberalitas dantis... ». In aliis actibus causa est diversa pro eorum diversitate. Sic v. g. in monitionibus ab Ordinario peragendis (cf. c. 659) scopus est duplex, delinquentis *emendatio*, vel *incorrigibilitatis demonstratio:* quapropter si taliter fiant ut necessario fraudentur suo scopo, sunt nullae. — Ad *causam* videtur reduci *personarum capacitas naturalis* vel *ex iure divino* ut sint *subiectum passivum* aliquorum actuum, v. g. electionis canonicae.

4) *Voluntas* hic significat actum provenientem *ex intellectu* immuni ab errore actus humanos irritante, et ex *voluntate* cum exclusione vis physicae a subiecto volente. Circa quae cf. canones 103, 104 et 1684.

... **sollemnia seu conditiones:** idest, ea quae iure naturae sunt accidentalia actui posito vel ponendo ab eo qui iure naturali est habilis et iure ecclesiastico non est inhabilis, v. g. aetas in eligibili, iuramentum in scrutatoribus, scriptura in contractu, etc.

... **sub poena nullitatis:** unde quoties haec sanctio non exprimatur, actus etiam prohibitus valet iure canonico, si iure naturali validus sit, seu nullo essentiali defectu laboret. Dispositio quidem provida valde; nam animum non sinit esse amplius incertum de re tanti momenti qualis est validitas actuum; et insuper, quia nullitas est quaedam poena, quam subire non expedit nisi sit expressa, aut saltem omnino certa. Porro, quinam sint actus iure canonico nulli, vide in com. ad c. 1684.

R. II. Cum distinctione, ut ex § 2. **Nullitas alicuius actus non importat nullitatem actorum qui praecedunt aut subsequuntur et ab actu non dependent.**

Can. 1681. — Q. *Ad quid teneatur auctor nullitatis alicuius actus.* 334.

R. **Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam.**

(1) D'Annib., I, 301, nota.

... **tenetur**: « sive nullitas e dolo proveniat, sive absque dolo habita sit » (1); nam qui est causa, licet involuntaria, alicuius damni debet illud reficere. — ... **de damnis**: ex nullitate actus provenientibus. — ... **expensis**: etiam illis quae necessariae fuerint pro iudicio declarationis nullitatis. — ... **partem**: quo nomine venit hic non praecise et solum pars in causa, sed quaelibet alia tertia persona quae ex actu nullo damnum persenserit.

335. **Can. 1682.** — Q. *Utrum, et quando actio nullitatis possit proponi, et nullitas declarari ex officio?*

R. Negative, nisi in duobus casibus, etenim ex h. c.: **Nullitas actus a iudice declarari non potest ex officio, nisi aut publice id intersit, aut agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve qui minorum iure censentur.**

... **non potest**: quando interest personae privatae tantum; et merito prohibetur quia potuisset illa iuri suo renuntiare, ut puta, pars non citata, ultro comparendo in iudicio (c. 1711, § 2) aut uterque litigans acceptando sententiam non munitam rationibus decidendi (c. 1892). — ... **publice**: veluti si in causa super validitate matrimonii defensor vinculi non fuerit citatus ad aliquem actum, neque is examini illius fuerit subiectus. (Cf. c. 1587, § 2).

Can. 1683. — *De nullitate actus vel instrumenti a Romano Pontifice confirmati.*

336. Q. I. *Confirmatio heic* 1) *quid, et* 2) *quotuplex?*

R. I. *Confirmatio*, licet fieri possit a quacunque publica auctoritate, et etiam a privatis personis, heic tamen dicitur: *roboris adiectio alicui actui vel instrumento, facta a Romano Pontifice.* De ea inscribebatur Tit. 30, L. II, Decretalium hac rubrica: *De confirmatione utili vel inutili.* Verbum *adiectio* satis indicat confirmationem de qua agitur differre *a confirmatione quae infirmationi sententiae opponitur* in materia de appellationibus, et a confirmatione, seu *admissione electionis* factae ab aliquo collegio, etc. Differt quoque ab *approbatione*, quia approbare est expresse fateri aliquem actum esse firmum seu conformem legi; *confirmare* autem est *magis roborare* actum quem confirmator supponit, sed non fatetur, firmum seu validum. Ast

(1) Lega, *De iudic. civ.*, Vol. I, n. 251, 8.

vero quandoque confirmator intendit robur tribuere si quem actus non habeat; quapropter,

R. II. Confirmatio est aut fieri potest *in forma communi* vel *in forma specifica*. Prior est quae actum validum magis firmat, sed eum relinquit in suo nativo valore: altera vero, quae actum ita firmat ut sanet quoslibet defectus intrinsecos, quos confirmator sanare potest et non praesumitur noluisse sanare. Per illam actus manet proprius inferioris qui eum posuit, et ab istius auctoritate et legali agendi ratione valor eius iuridicus repetitur: per istam « res assumitur in auctoritatem confirmantis, ita ut eius valor iuridicus a confirmante videatur repetendus » (1). « Utrum confirmatio sit *in forma communi*, an *in forma specifica* desumitur ex contextu concessionis; nam superior, si vult confirmare ita actum ut eius corrigat quemcunque possibilem defectum, debet exprimere; et ad hoc solent adhiberi certae formulae, ut puta actum confirmari *ex certa scientia*, vel *motu proprio* et aliae huiusmodi. Quia confirmatio in forma communi est *ordinaria*, et *extraordinaria* in forma specifica, in dubio praesumitur potius concessa in forma communi » (2).

Utraque confirmatio potest esse vel *utilis* vel *inutilis*. Confirmatio in forma communi est *utilis* si actus confirmatus sit firmus seu validus ex se, praescindendo a confirmatione; secus ea est *inutilis*. Confirmatio in forma specifica est et illa quoque inutilis « si defectus adsit quem superior aut non vult corrigere, prouti Summus Pontifex non vult tollere ius tertii quaesitum, nisi expresse dicat..., aut non potest corrigere ut puta impedimentum iuris divini in matrimonio » (3). Cum, igitur, confirmatio possit esse inutilis, exinde aliquando opus est examen instituere quoad valorem actus confirmati: quapropter,

337. Q. II. *Utrum aliquis videre possit de confirmatione facta a Romano Pontifice*.

R. Nemo, ipso S. Pontifice inferior, prout ex h. c.:

Iudex inferior de confirmatione, a Romano Pontifice actui vel instrumento adiecta, videre non potest, nisi Apostolicae Sedis praecesserit mandatum.

Iudex inferior: quo nomine veniunt hic etiam Sacrae Congregationes, Tribunalia et Officia Curiae Romanae, quia

(1) Lega, *De Iudic. civ.*, Vol. I, n. 380.
(2) Lega, *Ibid.*, n. 381 et Doctores passim in Tit. 30, X, Lib. II.
(3) Lega, *Ibid.*, n. 382.

agitur de diiudicando valore actus peracti a Romano Pontifice, quo nomine non veniunt ipsa (c. 7); et insuper de eis vere dicitur quod sunt illo inferiora. — ... **de confirmatione**: in forma specifica; nam « res confirmata in forma communi nullum praestat impedimentum cognitioni iudicis inferioris » (1). Quae, distinctio inter formam communem et specificam, inducta ab interpretibus iuris veteris, subaudienda est in hoc canone, referente ex integro ius vetus, quod sic se habet:

De confirmationibus autem Romani Pontificis, volumus te tenere, quod contra illas (nisi novum Apostolicae Sedis procedat mandatum, aut certum sit quod sint per falsi suggestionem elicitae) non est aliquatenus iudicandum. (Cap. 2, X, II, 30).

... **a Romano Pontifice**: non ab aliqua ex Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Curiae Romanae, nisi confirmationem perfecerint potestate non ordinaria sed specialiter ab eo delegata. Et hoc quidem propter duo: primum quia ea veniunt nomine Sedis Apostolicae (c. 7), non autem Romani Pontificis; alterum vero, quia ratio huius canonis non petitur praecise ex eo quod actus confirmatus a superiore nequit diiudicari ab inferiore, sed ex eo quod **Prima Sedes a nemine iudicatur** (c. 1556): quae praerogativa est personalis Romani Pontificis. — ... **actui**: vel iudiciali, vel extraiudiciali. — ... **instrumento**: continenti sive privilegium sive quidpiam aliud; et quoad privilegium quidem animadvertere iuvat, innovationem illius non importare eiusdem confirmationem (2).

... **Apostolicae Sedis**: quo nomine, ut ex rei natura apparet (c. 7), venit heic Romanus Pontifex, non Sacrae Congregationes, Tribunalia aut Officia S. Sedis, quippe quae, cum, ex dictis, non habeant potestatem cognoscendi super nullitate actus confirmati a R. Pontifice, nequeunt eam mandare. — ... **praecesserit**: ergo non sufficit mandatum praesumptum, cum spe ratihabitionis. — ... **mandatum**: quod a Pragmaticis vocari solet *facultas aperitionis oris*, id est, aperiendi mentem S. Pontificis; et ab eo non conceditur nisi praemisso examine de causis ob quas dubitatur de valore actus ab ipso confirmati.

(1) Lega, *Ibid.*, n. 383.
(2) Cap. 4, X, *De confirmat. utili vel inutili*, II, 30.

CAPUT IV.

De actionibus rescissoriis, et de restitutione in integrum.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio capitis.* 338.

R. Saepe contingit actus qui nulli non sunt, quippe nihil in eis desideratur ex eo quod iure, tum naturali tum positivo, requiritur ad validitatem, esse tamen imperfectos, quia positi fuerunt vel cum errore, accidentali quidem, sed gravi, vel ex dolo aut metu pariter gravi, vel a personis, quae in casus adiunctis non poterant proprio commodo, ut par erat, consulere. Cum iniquum esset, aut saltem non satis aequum, non succurrere illis qui in praedictis casibus iniuriam aut damnum subierunt, exinde proditae sunt *actiones rescissoriae et restitutionis in integrum* ad illos actus rescindendos, vel corrigendos, et ad aequitatem reducendos. De his actionibus seu remediis ius vetus loquebatur in Tit. 40, I, X *De his quae vi metusve causa fiunt*, in Tit. 14, II, X *De dolo et contumacia*, et in Tit. 41, I, X, *De in integrum restitutione.*

Q. II. *Notio et divisio.* 339.

R. Ex actionibus rescissoriis una est *extraordinaria*, scilicet, *restitutio in integrum*, ceterae *ordinariae. Actio rescissoria simpliciter*, seu *ordinaria*, est *ius, cuilibet competens, petendi in iudicio rescissionem actus vel contractus peracti dolo vel metu gravi iniuste incusso* (c. 1684, § 1), *aut contractus initi ex errore et cum laesione ultra dimidium* (ibid., § 2). Alia, igitur, est *ex dolo* aut *metu*, alia *ex errore.*

Restitutio in integrum est *ius, competens minoribus graviter laesis, et aliquando, ex iusta causa, maioribus, petendi a iudice rescissionem actus vel contractus, necnon restitutionem omnium in statum quo erant ante laesionem.* Est quoque duplex: alia competens minoribus, alia maioribus; et non parum inter se differunt.

Expositio textus.

Can. 1684. — *De actionibus rescissoriis ex dolo aut metu, et ex errore, quoad generalia.*

340. Q. I. *Quis, quibus titulis, et ad quid uti potest actione rescissoria, ex metu aut dolo.*

R. ex § 1. **Si quis motus metu gravi iniuste incusso, vel dolo circumventus actum posuerit vel conctractum inierit qui ipso iure non sit nullus, poterit, metu vel dolo probato, obtinere actus vel contractus rescissionem actione quae vocatur** *rescissoria.*

Si quis: ergo quilibet. — **... metu:** hic est primus titulus. *Metus* autem est *mentis trepidatio causa periculi instantis aut futuri.* Merito ponitur a legislatore ut titulus iustus ad petendam rescissionem; quia apprehensio periculi et consequens mentis trepidatio et naturalis sollicitudo ad periculum fugiendum, aggrediuntur libertatem tum in sua causa, hoc est in intellectu, qui attentus ad considerationem periculi praepeditur a conditionibus actus recte cognoscendis, tum in subiecto seu in voluntate, quae, stante et impellente sollicitudine fugiendi, debilitatur quoad facultatem decidendi (1). Debilitatur, inquam, seu labefactatur, sed non omnino tollitur; unde actus sub metu positi sunt validi tum iure naturali, tum iure canonico, **nisi aliud iure caveatur** (c. 103). Rationem affert Paulus (2): « quamvis, si liber essem, noluissem, tamen coactus volui », iuxta vulgare adagium: « coacta voluntas est semper voluntas ».

... gravi: sive *per se*, seu attenta *obiectiva gravitate periculi*, quod tale sit ut quemque constantem trepidare faciat, seu, ut dicitur, cadit *in virum constantem* (3), sive *relative*, id est, attenta *subiectiva debilitate* personae cui periculum imminet, quia sexus fragilis est, vel aetatis tenerae aut caducae, vel indolis imbecillis. Circa quod haec duo notare iuvat: *a*) Criterio *relativo* aestimatur *metus reverentialis* filiorum erga parentes, subditorum versus superiores. *b*) In foro externo gravitas metus mensuratur *ex gravitate obiectiva;* unde probata gravitate periculi in se, manet probatus et metus gravis; si vero periculum aut damnum sint in se levia, metus non censetur gravis *relative*, nisi pro-

(1) Cfr. D. Th., 1a 2ae, q. 13, art. 1; item cap. 10, *De sponsalibus,* IV, 1.
(2) L. 21, § 5, ff. *Quod metus causa.*
(3) Cc. 4 et 6, X, *De his quae vi metusve causa fiunt,* I, 40.

betur trepidationem seu commotionem mentis fuisse gravem ob aliquam ex praedictis causis.

. . . **iniuste**: « quia metum passo succurrendum est quando eius ius laesum fuerit » (1); etenim « remedia a iure concessa ad rescindendos actus metu affectos, tendunt ad propulsandam metus iniustitiam. Unde, quando metus est *iustus*, etsi gravissimus, non datur actus *rescissio* aut *nullitas* » (2). *Iniuste* autem intellige *quoad substantiam*, quod tunc dicitur evenire quando nulla subest iusta causa inferendi metum; sed non sufficit metus illatus iniuste *quoad modum*, veluti si quis damnificatori minitetur se reparationem damni obtenturum propriis manibus, non ope iudicis; nam iste metus laedit *iustitiam legalem* seu *socialem ordinationem*, non *iustitiam commutativam*, et, proinde, iniuriam facit publicae auctoritati, non personae privatae, de qua merito dici potest « ipse sibi metum infert » (3), quia incussioni metus causam dedit.

. . . **incusso**: id est, *a*) non tantum *passo ex parte metuentis*, sed vere et positive *illato a causa extrinseca*, seu ab agente diverso a subiecto patiente, nemo enim sibi ipsi iniuriam facere dicitur; *b*) et quidem *a causa extrinseca libera*, non a causa necessario agente, uti bellua, maris tempestate, etc., utpote quae iniuriam facere nesciunt; *c*) denique *incusso ad extorquendum consensum*, aut taliter ut quo quis eo **se liberet, eligere cogatur** (cf. c. 1087) ab incutiente ponere actum qui ipsi iniungitur vel omittere quod eidem inhibetur; etenim oportet ut « attendatur metus iniustitiam contineri in oppositione violenta liberi agentis obnitentis liberum agentem pertrahere ad actum ab isto non electum. Quare iniustitia metus afficit actum ad quem incutitur » (4). Praedicta verba c. 1087 videntur probare hanc sententiam pluribus auctoritatibus innixam, ita interpretantibus ius vetus (5) contra Schmalzgr., De Lugo, etc.

. . . **dolo**: en alius titulus huius actionis. Dolus autem, qui in re criminali est **deliberata voluntas violandi legem** (c. 2200, § 1), heic diverso sensu sumitur. In genere est idem ac *simulatio*, etenim « obtinet cum aliud agitur aliud simulatur » (6). Quia simulatio est aliquando licita, latini distinxerunt antiquitus

(1) Lega, *De Iudic. civ.*, I, n. 262, pag. 296.
(2) Id., p. 296, in nota.
(3) L. 21, ff. *Quod met. causa.*
(4) Lega, *l. c.*, p. 296, in nota.
(5) Cc. 14, 15, 28, X, *De spons.*, IV, 1; cap. 1, X, *De his quae vi*, I, 4.
(6) Cfr. Gallus, Aq. apud Cic. *De offic.*, III, 14.

dolum bonum a dolo malo; sed postea nomine doli usuvenit tantum *dolus malus*. In hoc sensu, *dolus* est « quaevis calliditas, fallacia aut machinatio ad circumveniendum, decipiendum, laedendum alterum adhibita » (1).

...ipso iure non sit nullus: actus autem, metu aut dolo positus, est nullus iure 1) *naturali*, si metus lumen rationis omnino abstulerit (quod non praesumitur, sed probari debet), aut dolus auctorem actus vel contractus induxerit in errorem, qui **versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem sine qua non** (canon 104); vel 2) *positivo*, ut *a*) *matrimonium* initum ob metum gravem iniustum quoad substantiam et incussum ad extorquendum consensum (c. 1087); *b*) *votum* metu gravi et iniusto emissum (c. 1307, § 3); *c*) quoad *sacram ordinationem*, haec valida est, sed obligationes sunt nullae ipso iure, ex c. 214; *d*) *renuntiatio beneficii* ex metu gravi aut dolo facta (c. 185); *e*) *ingressus in religionem* ex metu gravi aut dolo passis sive a novitio sive a superiore (c. 542); *f*) *professio religiosa* metu gravi aut dolo emissa (c. 572).

...metu vel dolo probato: non damno, non errore, quae nec quidem allegare opus est, cum actio, de qua in hoc paragrapho, non ob errorem aut damna passa, sed ob ipsam iniustitiam doli et metus concessa sit ad iniuriam reparandam per rescissionem. — **... rescissionem:** id est, annullationem et omnia quae ex annullatione necessario consequuntur, videlicet, recuperationem rei et fructuum eius contra quemcunque possessorem ut dicitur in c. seq. Et hoc quidem quatenus haec actio est *rescissoria;* sed, quatenus est *ex delicto*, ille qui dolum aut metum passus est potest obtinere insuper *indemnitatem*, id est compensationem pro re aut fructibus eius consumptis, et quanti eius intererat actum positum non fuisse; etenim, iuxta c. 2210, § 1. **Ex delicto oritur:..... 2° Actio civilis ad reparanda damna.** Sed sub hac ratione non potest exerceri contra possessorem bonae fidei; id est, ab isto repeti possunt res et fructus exsistentes, non autem indemnitas prouti nunc nunc explicata manet. — Iure veteri si error, ex dolo proveniens, erat *incidens* et *non determinans*, adeo nempe ut, etsi non adfuisset, actus nihilominus positus fuisset, non dabatur actio *ad rescissionem* sed *tantum ad indemnitatem* (2).

(1) Lib. 1, § 2, ff. *De dolo malo.*
(2) Cfr. Lega, *De Iudic.*, I, n. 258.

Q. II. *An, quandiu, et quisnam uti possit actione rescissoria ob errorem simplicem seu non dolosum.* 341.

R. ex § 2. **Eadem actione intra biennium uti potest, qui gravem ex contractu laesionem ultra dimidium ex errore passus est.**

...ex errore: simplici, seu non doloso. Iure veteri simplex error non dabat actionem *ad indemnitatem*, et planum est, neque *ad rescissionem* nisi in casibus *restitutionis in integrum* (1).

Can. 1685. — Q. *Contra quem institui potest actio rescissoria ob metum aut dolum?*

R. **Institui haec actio potest:**

1° Contra eum qui metum intulit aut dolum patravit, quamvis ipse non in suum, sed in alterius commodum talia peregerit;

2° Contra quemlibet malae fidei et etiam bonae fidei possessorem, qui res metu vel dolo extortas possidet, salvo iure regressus contra quemlibet usque ad ipsum metus vel doli auctorem.

...haec actio: rescissoria ob metum aut dolum, non autem ob errorem accidentalem, quia de ista nulla fit mentio in hoc canone, cum sit mere rescissoria seu semper contentiosa: actio autem doli aut metus est *partim poenalis* (Lega, n. 267), et dicebatur *famosa* in iure romano. — **...metum intulit aut dolum patravit:** sive sit *a*) **ipse delicti exsecutor** (c. 2209), et **quamvis ipse non in suum sed in alterius** (puta, mandantis) **commodum talia peregerit** (h. c.); sive sit *b*) **mandans, qui est principalis delicti auctor** (c. 2209, § 3); sive sit *c*) ex eis **qui ad delicti consummationem inducunt** (v. g. consiliantes) **vel in hanc quoquo modo concurrunt** (uti auxilium ferentes), ita ut **delictum sine eorum opera commissum non fuisset** (c. 2209, § 3), neque ipse **suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit** (ibid., § 5). Ratio est quia omnes isti aequalem, **ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt** (ibid., § 3), et quidem non mere legalem, sed ex iure naturae; ergo contra eos potest haec actio institui etiam mere civiliter, seu in linea contentiosa. — **...quamvis ... peregerit:** idest, licet fuerit actui extraneus, et nullum ex eo lucrum habuerit.

...possessorem: quia *a*) magis expedit bono publico ut possessor innocens damnum aliquando patiatur quam ut actus

(1) Cfr. Lega, *De Iudic.*, I, nn. 257, 258.

metu aut dolo extorti tolerentur; et *b*) hoc modo fit ut quisque cautius sibi et bono publico consulat quoties rem acquirit. Sed, ut dictum est, possessor bonae fidei non tenetur de damnis seu ad indemnitatem, sed ad restituendas **res.** Haec facultas, iuri naturali innixa, rem vindicandi contra quemcunque possessorem vocari solet *ius evictionis:* quod subintelligitur in quolibet contractu. — **... iure regressus:** quod solet vocari *ius securitatis contra evictionem*, et, prout aequitas naturalis suadet et legislator sufficienter hic innuit, subauditur quoque in quolibet contractu, licet non exprimatur.

342. **Can. 1686.** — Q. *Quando, cuinam, et cum quo effectu competit exceptio metus vel doli?*

R. **Si is qui metum intulit aut dolum patravit, urgeat actus vel contractus exsecutionem, parti laesae seu deceptae competit exceptio metus vel doli.**

... urgeat ... exsecutionem: ergo neutiquam quando aliam actionem proposuerit. — **... laesae:** id est, metum passae, vel *laesae in persona* per metus iniusti incussionem, nam *de laesione in bonis* non agitur hic, quia ad eam reparandam non iuvat exceptio (praeter vel extra casum *spolii*), sed requiritur actio. — **... deceptae:** licet nullum damnum passa fuerit praeter iniuriam metus aut deceptionis dolosae. Dolosae tantum, an etiam deceptionis simplicis, seu erroris, sed cum gravi laesione ultra dimidium, ad cuius reparationem datur actio in c. 1684, § 2? Videtur asserendum hoc alterum ex illo generali principio: **Quodlibet ius non solum actione munitur ... sed etiam exceptione:** id est, cuicunque datur actio (veluti illi de quo in c. 1684, § 2) datur quoque exceptio. Cur autem legislator tantum loquitur de laesione et deceptione dolosis? Ratio, ni fallor, est quia actio competens ob laesiones seu offensas et deceptiones dolosas, quando, praeter iniustitiam, nullum damnum prae se ferunt, dicenda est potius poenalis quam contentiosa, vel, aliis verbis, concessa est ad tutandum iustitiam et ordinem socialem, id est, ius publicum, potius quam ius privatum personae quae actione utitur; et ideo opus fuit saltem pro illis casibus concedere expresse personis privatis exceptionem doli et metus, quippe quae e latere actionis poenalis non oriretur.

... exceptio: cum effectu eiusdem proprio et ordinario, videlicet, submovendi tantum actionem seu intentionem actoris; ita ut hic non obtineat condemnationem rei, id est, exsecutionem actus quam petit, sed, aliunde, non efficiatur in favorem

rei condemnatio actoris, videlicet, actus rescissio, quia hanc reus non petit excipiendo, nec petere potest nisi mediante actione, si haec adhuc exstincta non est. Et ex hoc patet differentia inter actionem metus vel doli et homonymam exceptionem.

Can. 1687. — *De restitutione in integrum, quoad generalia.*

Q. I. *Quibus ordinario, ob quam causam seu titulum, ad quid, quomodo et contra quos suppetit restitutio in integrum.* 343.

R. ex § 1. **Minoribus vel minorum iure fruentibus graviter laesis eorumque heredibus et successoribus, ad laesionem reparandam ex negotio seu actu valido rescindibili, praeter alia ordinaria remedia, suppetit remedium extraordinarium restitutionis in integrum.**

Minoribus (c. 88) **... heredibus ...**: en restitutionis *subiectum cui*. Quid de clericis? Certum est « clericum qua talem posse tantummodo invocare restitutionem *ratione aetatis*, non *ratione status* » (Lega, I, 273). Hinc clericus maiorennis, *qua talis*, nequit petere restitutionem quoad *a*) bona patrimonialia; *b*) iura derivantia ex patrimonio constituente titulum ordinationis, quia titulus non est beneficium; *c*) tandem (ex communiori sententia) reditus suae congruae sustentationi concessos. Sed, *qua rector beneficii*, potest eam invocare quoad *a*) dotem beneficii; *b*) fructus seu reditus beneficii, cultui divino aut pauperibus destinatos.

... graviter laesis: quin alia requiratur iusta causa. Nimirum, tituli pro minoribus non sunt metus aut dolus, nec quidem in ea mensura qua inde oriuntur actiones doli metusve, nec in alia; non est iniuria personalis, quae forte non exsistit, cum scienti et volenti non fiat iniuria; sed unicus titulus est *damnum* seu *laesio;* et non quidem laesio *enormis*, quae ex *naturali iustitia* locum dat rescissioni, sed simpliciter *gravis*, vel adeo notabilis ut ex *naturali aequitate* deceat restitutionem concedere.

... reparandam: en *obiectum* seu *finis mediatus et principalis* huius actionis, a lege intentus: *finis immediatus*, seu medium regulariter necessarium est actus vel contractus rescissio, quae quidem h. c. non exprimitur sed tamen subauditur, nam haec actio usque recensita est inter rescissorias; licet istas inter et illam sit haec differentia quod actionibus rescissoriis *ordinariis* intenditur *directe* actus rescissio ad iniuriam reparandam, et *ex consequenti* damni reparatio, si quod sit; actione vero *extraordinaria restitutionis in integrum* persequitur *directe*

reparatio damni, et *ex consequenti* rescissio actus vel contractus, si locus sit aut opus.

... **actu**: cum illis gesto, etiam cum consensu patris aut tutoris (1), vel illos respiciente, v. g. actu administrativo peracto a tutore. Iamvero regula generalis est dari restitutionem contra quoslibet actus validos et rescindibiles, utputa, venditiones, permutationes, locationes, donationes, hereditatem, aditiones aut repudiationes, usucapionem, sententias, fatalia appellationis (2).

... **valido**: nam, si sit certe nullus, competit actio seu *querela nullitatis;* et quidem ea tantum, cum validitas praescripta sit hic ut conditio ad dandum locum restitutioni. Quod si actus sit dubie validus, capite 8, *De in integr. rest.* 12, decretum fuit ut *cumulative et subordinate* peteretur a iudice declaratio nullitatis, et restitutio; et hoc est tenendum, nam, si validitas est incerta, non potest considerari uti certum illud privilegium minorum praeferendi restitutionem remediis ordinariis.

... **rescindibili**: quia haec actio non datur in actibus vel contractibus omnino irrescindibilibus utputa in matrimonio valido consummato, neque in illis qui resolvi quidem possunt, sed dispensatione, ut matrimonium ratum, et professio religiosa. Quoad hanc, iure veteri dabatur restitutio in integrum contra lapsum quinquennii concessi ad proponendam actionem nullitatis (non rescissionis), sed Codex silet de hac restitutione, quia silet quoque de illa limitatione ad quinquennium pro petenda declaratione nullitatis.

... **ordinaria**: utputa *appellatio*. Quod quidem est beneficium solis minoribus concessum, ut patet ex § sequenti. — ... **suppetit**: contra auctores actus vel contractus; etiamsi ipsi sint quoque minores vel minorum iure fruantur, nam canon non distinguit, cap. vero 3, X, *De in integr. rest.*, I, 12, merito edixit: *Nos, attendentes quod utraque Ecclesia fungatur iure minoris, aequitate pensata, utramque restituimus contra reliquam.*

... **extraordinarium**: et, proinde, suapte natura, *subsidiarium*, etiam aliquo modo pro minoribus, licet his competat *praeter alia*, et *non in defectu aliorum*. Unde iuris veteris interpretes, utramque iuris dispositionem conciliantes, hoc principium practicum enuntiarunt pro minoribus: *Habenti remedium*

(1) Lib. 2. C. *Si tutor vel curator interv.*; Reiff., *I. C. U.*, Lib. I, Tit. 41, § 2, num. 23.

(2) Bouix, Tract. *De Iudic.*, Vol. II, Par. II, pag. 413.

ordinarium non est tribuendum extraordinarium, nisi sit pinguius (1). Quae interpretatio apprime congruit huic paragrapho, vi c. 6, 2°.

Q. II. *Quando, et sub quibus conditionibus conceditur restitutio maioribus?* 344.

R. ex § 2. **Hoc beneficium maioribus quoque conceditur quos deficit rescissoria actio aut aliud ordinarium remedium, dummodo iustam subesse causam et laesionem sibi imputandam non esse probaverint.**

... **deficit** ... **ordinarium**: quod attente notandum est una cum duobus quae sequuntur; in quibus tribus stat differentia inter restitutionem maiorum et minorum. — ... **iustam** ... **causam**: et quidem *extraordinariam;* « quia ipsis aetas aut aliqua non suffragatur praesumptio ordinaria naturalis impedimenti » (2). *Causa* autem « repetitur aliquando *ab impedimento physico*, veluti quando quis ob reipublicae bonum peregrinari debuit, aut ad evitandum periculum mortis, vel causa alius gravis mali aliquandiu abfuit; aliquando autem petitur *ab impedimento morali*, scilicet, in personis in graviora Reipublicae negotia occupatis, vel in personis quibus ius ignorare usuvenit, uti sunt rustici, mulieres. Ita communiter Doctores » (3). Nihilominus Pellegrini contradicit quoad rusticos. — ... **probaverint**: demostrando se non potuisse nominare procuratorem aut curatorem rei suae; vel procuratorem suo officio defuisse; vel fuisse impossibile praevidere laesionem aut necessitatem nominandi procuratorem, etc.

Can. 1688. — Q. *Restitutio*, 1) *a quo, et quo tempore peti debeat; et* 2) *an ex officio decerni possit.* 345.

R. I. ex § 1. **Restitutio in integrum peti debet ab ordinario iudice, qui competens est respectu illius, contra quem petitur, intra quadriennium ab adepta maioritate computandum, si agatur de minoribus, a die laesionis factae et cessati impedimenti, si de maioribus aut personis moralibus.**

... **ordinario iudice**: quibus verbis refertur, tantisper correctum, cap. 9, X *De in integr. restit.*, I, 41, huiusmodi tenoris: *Causa restitutionis in integrum coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis, tractari poterit*

(1) Reiff., *h. t.*
(2) Lega, *l. c.*, n. 277.
(3) Lega, *Ibid.*

et finiri, sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso eis negotio contingat incidere huiusmodi quaestionem. Delegati vero ab ordinariis, qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem iudicandi, seu arbitri, de hac cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter. Negotium facessebant verba *administrationem habentibus ;* quae verba Panormitanus et alii (1) intelligebant de iudicibus potestatem quasi episcopalem habentibus ; nos autem credimus intelligenda de solis arbitris, et illa h. c. suppressa fuisse, quia, ni fallimur, de compromisso in arbitros praescribuntur servari deinceps **normae statutae a legibus civilibus loci** (c. 1926). Reliqua capitis continentur hoc canone, *expresse* quidem quoad iudices ordinarios, *implicite* vero quoad delegatos, et proinde vigorem obtinent vi c. 6, 6°.

... **competens:** « iuxta generales regulas competentiae », ut aiebat Lega (2) de iure veteri ; et quidem, ex iure Codicis, *a*) iuxta regulas pro certis personis sive physicis sive moralibus statutis in can. 1556-1557 ; vel *b*) **ob unum ex titulis qui in canonibus 1560-1568 determinantur,** si agatur de reliquis personis et de actibus vel contractibus nunquam in iudicium deductis (c. 1551, § 1) ; vel, *c*) si agatur de sententiis iudicialibus, conformiter ad normas datas in c. 1906, iuxta quas **competens est iudex qui sententiam tulit, nisi ea** (restitutio) **petatur ex neglecto a iudice praescripto legis ; quo in casu eam concedit tribunal appellationis.** Quo ultimo canone manet clare et definitive dirempta quaestio hactenus vexatissima.

... **quadriennium :** quod incipit die sequenti ultimam diem anni aetatis vicesimi primi (cc. 34, § 3, 3° et 88, § 1), et finitur expleto eodem die quater recurrente. — ... **laesionis :** nisi legitimum manifestum impedimentum adfuerit (ut clare statim indicatur), v. g. si adhuc vixerit praelatus cuius contractu laesa fuit ecclesia, vel frequentes et repentinae mutationes praelatorum, rectorum aut administratorum evenerint, ut communiter docent Doctores, et subauditur verbo sequenti. — ... **cessati impedimenti:** utputa morte vel amotione beneficiarii, aut administratoris reditu apud suos, si agatur de maioribus.

R. II. ex § 2. **Minoribus vel minorum iure fruentibus restitutio concedi potest a iudice etiam ex officio, audito vel instante promotore iustitiae.**

(1) Cfr. Bouix, Tract. *De Iudic.*, II, Par. II, pag. 415.
(2) *L. c.*, n. 281.

Minoribus : quia Ecclesiam decet et ipsius proprium munus est, ex iure et bono publico, sponte subvenire iis qui infirmi sunt, et quorum consilium multis captionibus suppositum et multorum insidiis expositum est (1). — **... minorum iure :** quia non rara est in administratoribus inferioribus seu immediatis negligentia, nec indubia in superioribus obligatio ex iure publico eam supplendi. — **... audito ... promotore :** si ipse iudex actionem promoveat, ut *potest*, et, promotore iustitiae negligente, *debet;* nam institutum iuridicum promotoris iustitiae nullatenus minuit in ecclesia iudicis officium promovendi seu tuendi bonum publicum.

Can. 1689. — Q. *Effectus restitutionis in integrum* 1) *obtentae*, 346. 2) *petitae*, 3) *petendae.*

R. I. seu quoad restitutionem *obtentam:* **Restitutio in integrum id efficit ut omnia revocentur in pristinum, idest restituantur in statum quo erant ante laesionem, salvis iuribus quae alii, bona fide, ante petitam restitutionem quaesiverint.**

... omnia ... ante laesionem : sive quoad eum *cui*, sive quoad eum *contra quem* datur restitutio, ita « ut quisque integrum ius suum recipiat » (2). Quare, ex. gr. 1) res emptori traditae devolvantur minorenni (3); sed, e contra, hic tenetur reddere pretium (4), et in quantum factus est ditior, v. g. expensae ab emptore factae in re melioranda (5); 2) qui restitutus est ex lapsu temporis novam dilationem acquirit (6), et obligatione forte suscepta liberatur (7); 3) restitutione facta minori adversus transactionem, etiam adversario restituitur vetus actio per transactionem exstincta (8); 4) concessa restitutione rei principalis intelliguntur restituendae accessoriae, et, proinde, *a*) fructus rei traditae ex contractu gratuito, et *b*) fructus omnes ex contractu oneroso percepti post petitam restitutionem, quia petitio dominum fructuum constituit in mala fide; *c*) iidem fructus percepti ante petitam restitutionem et per possessionem ad normam legis civilis nondum praescripti, nec consumpti ;

(1) L. *Hoc edictum* ff. *De minoribus.*
(2) L. 25, ff. *De minor.*
(3) L. 27 et l. 50 ff. *De minor.*
(4) L. un. C., *De reputationib.*
(5) Cap. 1, X, I, 41, et cap. 11, X, III, 13; Reiff., Lib. 1, T. 41, n. 121 sq.
(6) L. 50, ff. *De minor.*
(7) L. 27 et l. 47, 48, ff. *De minor.*
(8) L. 1, 2. C. *Si adversus trans.*

et *d*) iidem fructus nondum possessione praescripti et non consumpti (1).

. . . **salvis iuribus :** utputa ius ad fructus perceptos et legali possessione praescriptos, vel non praescriptos quidem, sed bona fide consumptos.

R. II. Effectus restitutionis *petitae* est suspendere sententiae exsecutionem, ut plenius commentabimus ad c. 1907.

R. III. Restitutionis *petendae* primus effectus est quod ius petendi transeat ad heredes et successores universales minorum, vel minorum iure fruentium, ut expresse edicitur c. 1687, § 1. Nec obstat quod heres aut successor sit maiorennis, nam canon non distinguit, nec iure veteri obstabat, dicente Ulpiano (2) « Successoribus quoque minorum datur in integrum restitutio, etsi sint ipsi maiores ». Ratio est quia « causa proxima restitutionis in integrum non est persona minoris..... sed gravis laesio... » (3). Alter effectus est quod idem ius cedi possit aliis, ut ostendit Reiff. *l. c.*, n. 109.

Insuper, disputant Doctores, ait idem n. 110, « utrum restitutio obtinenda, sed nondum petita, etiam hunc operetur effectum, ut illum qui scit rem, per restitutionis beneficium, a se avocabilem esse, constituat in mala fide ; adeo ut, veluti possessor malae fidei omnes fructus, non tantum exstantes verum etiam consumptos restituere teneatur, iuxta l. *Certum*, C. *de Vindicat.*..... Secluso quocumque dolo, seu deceptione scienter commissa... non censetur is in mala fide constitui... Ita Abbas... post Innocent... Cobarrubias... Engel. ».

CAPUT V.

De mutuis petitionibus, seu de actionibus reconventionalibus.

Expositio rubricae.

347. Q. I. *Huius actionis* 1) *ratio naturalis*, 2) *origo historica*, 3) *natura iuridica.*

R. I. Reo, libello seu petitioni actoris responsuro, satis est *passive* se habere, assertionem illius negando, *quin teneatur*

(1) Reiff., *Ibid.*
(2) L. *Min. autem*, ff. *De minor.*
(3) Reiff., *I. C. U.*, Lib. III, Tit. 41, § 5, n. 107.

se gerere *active*, proprium ius impugnatum demonstrando, imo *nec valeat* hoc facere, asserendo vel petendo aliud ius quod nullam relationem habeat ad ius quod actor sibi asserit et petit. Sed, attenta iudicii natura, reus *potest active se habere*, et quidem dupliciter: *a*) *excipiendo*, id est, opponendo exceptionem seu factum quod ius et petitionem actoris elidat; *b*) asserendo sibi seu *petendo aliquod ius*, quod ius actoris compenset et proinde petitionem eius minuat. In hoc ultimo casu, instantiae litigantium, id est, *impugnatio* ex parte actoris et *defensio* ex parte rei deveniunt *mutuae petitiones*, quarum prior vocatur *conventio* seu *actio conventionalis*, altera *reconventio* seu *actio reconventionalis*. Effectus naturalis reconventionis, et commodum inde profluens, est instantias iudiciales cumulando minuere, et lites abbreviare.

R. II. *Mutuae petitiones* ignotae fuerunt *iure romano* antiquo; sed l. 14 C. *de sent.* admissa fuit reconventio saltem ex eadem causa, et postea ad causas diversas extensa est. *In iure canonico* reperiuntur reconventionis vestigia iam ante Ius Decretalium; in hoc autem, praecipue inde ab Alex. III, a. 1159, et in posterioribus, mutuae petitiones fuerunt accuratius definitae; ita, scilicet, ut apud eundem iudicem deberent institui (cap. 3 *De rescrip.* in VI°), et etiam in iudiciis summariis ab exordio litis iussae fuerunt proponi (cap. 2 *de V. S. V.* 11 *in Clem.*).

R. III. Equidem ius mutuarum petitionum a lege positiva recognitum etiam in causis diversis, seu alias non connexis, inducit quoddam forum, diversum a foro domicilii, rei sitae, et aliis; et proinde dici potest quod reconventio constituit unum ex modis vel titulis sortiendi forum; sed quia Codex non facit de hoc titulo specialem mentionem, dicendum est quod forum reconventionis continetur in foro connexionis causarum.

Expositio textus.

Can. 1690. — Q. *Actio reconventionalis* 1) *quid sit, seu cui, contra quem, et ad quid competat; et* 2) *an detur actori.* 348.

R. I. ex § 1. **Actio quam reus coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem ad submovendam vel minuendam eius petitionem, dicitur** *reconventio.*

Actio: et quidem *a*) *vera* ac *propria*, licet semper proveniat a reo; nullatenus autem exceptio, ut nonnulli voluerunt, nisi

impropriissime: ratio est quia actio est quaedam petitio, iamvero, ille qui excipit *negat* actionem, impugnando eius valorem, is autem qui reconvenit, supposito aut saltem non negato actionis seu petitionis valore, *affirmat* sibi, seu *petit* compensationem, et hoc modo impugnat *exsecutionem* actionis; *b*) actio vero non qualiscunque, sed *correlativa actioni* ab actore propositae et *compensativa* petitionis eiusdem; ut ecce, si Titius petat rei venditae traditionem, et Caius pretii solutionem; aut ille 1000 lib. titulo mutui, iste 100 titulo depositi.

... **reus**: nunquam actor, ut patet ex § 2; et non quilibet reus, sed ille tantum qui non prohibetur ab actione; unde excommunicati nequeunt reconvenire, ut dictum est in com. ad c. 1654; ratio est quia reconventio est vera actio. — ... **coram eodem iudice**: proptereaque contra actionem iudicatam in prima instantia non admittitur in secunda instantia actio inter easdem personas et coram eodem iudice, inter quas et coram quo tractatur actio cui reconventio opponitur. — ... **contra actorem**: quemcunque, « cuius enim in agendo observat arbitrium, eum habere contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur » (1): dummodo tamen iudex non sit absolute incompetens in eum: v. g. si religio exempta conveniat aliquem clericum apud tribunal suae dioecesis, vel aliud inferius S. Sede reus conventus nequit reconvenire. — ... **ad submovendam petitionem**: quod fit si petat tantumdem ac actor, et proinde compensatio sit completa. — ... **minuat**: si petat minus quam actor.

R. II. Nunquam datur actori, ex § 2. **Reconventio reconventionis non admittitur.**

Ratio est duplex, videlicet, quia, ut advertit cap. 3 *De rescript.* in VI°, *in multis articulis iuris infinitas reprobatur;* et, aliunde, causae tractatio redderetur valde implexa.

349. **Can. 1691.** — Q. *In quibus causis locum habet reconventio?*

R. **Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spolii; in criminalibus vero non admittitur, nisi ad normam can. 2218, § 3.**

... **contentiosis**: etiam alias non connexis, nam canon generaliter loquitur, et, aliunde, compensatio, quae est finis reconventionis, reddit causas connexas. — ... **exceptis causis spolii**: quia spolii invidia aliud suadet. Adde, ut in iure veteri exprimitur (cap. 2 *De deposito*, X, III, 16), *causas depositi*,

(1) L. 14, C. *De sent.*

quia, ni fallor, reducuntur ad causas spolii; nam ex quo depositarius renuit restituere depositum nisi prius admittatur eius causa reconventionalis, possessio depositi inficitur vitio *precarii* (cf. c. 1696) et devenit notorie iniusta, et proinde verum spolium, quod nihil aliud est quam deiectio e possessione ex magna et notoria iniustitia (cf. com. ad can. 1698). Item *causas executivas*, quae, nimirum, paratam exsecutionem habent, quia titulus est liquidus (cap. 2 citato); nam cognitioni iudiciali non subsunt.

... **in criminalibus non admittitur**: « siquidem non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur » (1); id est, per ostensionem saltem indirectam suae innocentiae, confutando accusationem. — ... **ad normam can. 2218**: iuxta quem in causa criminali iniuriarum admittitur reconventio, nam dicitur ibi: **Mutua iniuria compensatur.** Et merito: cum in hisce delictis vindicandis non tam agatur de publica rei purgatione coram societate quam de iniuriati actoris compensatione; quae profecto reputanda est iam facta si ipse adversarium pari modo iniuriaverit.

Can. 1692. — Q. *Reconventio*, 1) *coram quo proponenda*, 350.
et 2) *quando ac quomodo cognoscenda?*

R. I. **Proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi sit absolute incompetens.**

... **iudici coram quo**: unde si reus libello responderet proponendo actionem compensativam coram alio iudice cognoscendam, responsio eius non esset reconventio, et, ni fallor, actor non teneretur, iudex vero non posset eidem morem gerere, priusquam definiretur actio principalis. — ... **principalis**: ea, nimirum, quae *primo* et *directe* deducta fuit in iudicium (cf. com. ad c. 1632), et ad quam submovendam, vel, quoad effectum petitionis, minuendam, tendit actio reconventionalis. — ... **delegato**: *quoniam rationis ordo exigit*, quemadmodum quibusdam iudicibus delegatis, de hoc dubitantibus, rescripsit Alex. III (2); et merito, nam « qui petit iustitiam ab alio (reo) tenetur eidem iustitiam reddere »; ait Glossa, et ipse S. Pontifex innuit. — ... **incompetenti**: *relative* (cf. com. ad. c. 1559); cuius quidem competentia relativa, seu iurisdictio prorogatur

(1) L. 5, *His qui reus*, ff. *De public. iudic.*
(2) Cap. 1, X, *De mut. pet.*, II, 4.

voluntate legislatoris h. canone manifestata. — ... **absolute**: ut in exemplo allato in com. ad c. 1690, v. **actorem**.

R. II. *Quoad tempus* ex c. 1630, § 1, quem iam commentati sumus; quoad *modum* vero ex eodem c., § 2.

CAPUT VI.

De actionibus seu remediis possessoriis.

Expositio rubricae.

351. Q. I. *Ordo expositionis.*

R. Cum *possessio* sit obiectum, ratio et fundamentum actionum possessoriarum, conceptus autem possessionis sit subtilissimus, et captu tam difficilis quam usui canonistae necessarius, operae pretium est eum illustrare. Sed quia, licet possessio *in facto consistat*, et nihil commune habere dicatur *cum proprietate, quae consistit in iure*, ut infra patebit, attamen relationem strictam habet cum proprietate seu *dominio*, utpote cuius fere ordinarie est exercitium, saepe vero medium acquisitionis, nonnulla saltem praelibare oportet *de proprietate*.

352. Q. II. *Proprietatis notio et divisio: quasi-proprietas.*

R. I. *Proprietas*, quae etiam *dominium* appellatur, alia est *proprietas simpliciter*, seu *rerum*, alia est *iurium*, quae dici potest *quasi-proprietas* vel *quasi-dominium*.

Proprietas seu dominium est ius disponendi de re corporali cum exclusione aliorum, et ea usufruendi, ad normam legum. Disponendi: id est, eam apud se retinendi, eadem utendi, illamve alienandi, aut destruendi, seu, veluti romani aiebant, ea *abutendi. Re:* quo nomine venit hic quidquid non sit persona aut ius; *ius* enim est obiectum quasi-proprietatis, *persona* vero est, lege naturali, subiectum iuris proprietatis ceterorumque iurium, sed eadem lege prohibetur esse *obiectum. Cum exclusione aliorum;* nam *dominii* est rem propriae uniuscuiusque personae activitati naturali et potestati morali ita submittere, ut eadem dispositioni aliorum subtrahatur; unde nomen *proprietas* venit. Quocirca nequeunt duo habere eiusdem rei proprietatem *in solidum*, ita, nimirum, ut uterque valeat de tota re disponere. « Duorum quidem in solidum dominium aut possessio esse non

potest » (1). Sed possunt plures eandem rem habere *pro indiviso;* et tunc exsurgit *condominium*, cuius vi potest quisque partem suam indivisam alienare, aut eiusdem rei divisionem petere actione quae dicitur *de communi dividundo.*

Ad normam legum: scilicet, tum *legis naturalis*, quae in aliquibus casibus imponit obligationem disponendi de re certo modo, v. g. erogando eam ad subveniendum proximo versanti in extrema necessitate, tum *legis humanae*, quae pariter in aliquibus casibus potest cogere ad disponendum de re determinato modo, utputa alienando eam Fisco.

R. II. Attamen exclusio, quae inhaeret iuri proprietatis *quoad substantiam*, non se extendit ad ipsum ius *quoad illius exercitium;* hoc enim potest limitari tum *praescripto legis* ut videbimus, tum *voluntate domini*, qui potest cedere alteri *usum* vel *usumfructum* rei. Vi autem huius facultatis solet dominium dividi in *a) directum* et *utile*, *plenum*, et *minus plenum;* vel aliis verbis, in *perfectum* et *imperfectum*, prout quis habeat vel facultatem disponendi (*directum*), vel facultatem utendi (*utile*), vel utrumque (*plenum*), vel alterutrum (*minus plenum*). Sed « impropria admodum est distinctio » ait Em. Card. Lega (2) « quia unicum et individuum est ius dominii, et dominium utile, minus plenum, utpote in emphyteusi, non habetur, sed ius in re aliena ». Quod iam expressius significat ius romanum (3) his verbis: « quia usufructus non dominii pars, sed servitus sit, ut via et iter, nec falso dici totum meum esse, cuius non potest ulla pars dici alterius esse... ».

R. III. *Quasi-proprietas est ius utendi aliquo iure tanquam suo. Utendi:* id est, exercendi, vel omittendi actus, circa quos versatur illud ius, quod dicitur *suum* respectu utentis. *Tanquam suo:* videlicet, spectante ad suum patrimonium iuridicum stabile, non autem habito in possessione tantum. Sic ex. gr. qui sodalis est alicuius collegii et vi legis seu statutorum gaudet iure interveniendi congressibus, ius habet *in proprietate seu patrimonio* vel eo utitur *tanquam suo;* qui vero est collegio extraneus et admissus est *de facto*, sed non quoties opus fuisset ad ius reddendum suum vi praescriptionis, suum, inquam, in sensu iam explicato, habet illud *in possessione* vel est *in possessione* illius.

(1) L. 5, § 15, ff. *Commodat.*
(2) *De Iudic. civ.*, I, n. 187, in nota.
(3) L. 25, ff. *De verb. sign.*

353. Q. III. *Possessionis notio sub aspectu* 1) *philosophiae iuris, seu iuris constituendi:* 2) *historiae iuris romani et Decretalium usque ad saec.* XIV; 3) *iuris civilis et posterioris canonici usque ad promulgationem Codicis.*

R. I. *Possessio sub aspectu philosophico*, ex communi usu loquendi exprimit aliquod *factum*, scilicet activitatem humanam circa aliquam *rem corporalem*, cui veluti insistit possessor: vel respectu alicuius *rei spiritualis* seu *iuris*, cuius illa est exercitium vel usus. Hinc possessio *naturalis* est duplex; alia *rei*, scilicet *corporalis;* alia *iuris*, quae dicitur *quasi-possessio. Possessio rei* definiri potest: *Physica rei detentio, per quam activitas etiam spiritualis humana in eam exercetur exclusive et non momentanee* (1). *Physica:* nulla habita ratione de iustitia actus seu activitatis. *Activitas;* id est, vis qua homo *sibi subiicit*, vel *considerat uti sibi subiectam rem*, quia possessor subiicit sibi rem quam detinet et cui insistit; iamvero insistentia omnino otiosa non exhiberet actum detinentem ac subiicientem rem. *Spiritualis;* etiam sola intentio habitualis considerandi rem uti subiectam. *Humana;* id est, cognita et volita; unde si quis vi traheretur et in aliqua domo truderetur non posset dici eius possessor. *Exclusive:* nemo enim videtur possidere aërem, vias publicas, etc. *Non momentanee:* nam possessor subiicit sibi rem, et hoc non fit nisi exercitio activitatis stabili.

Quasi-possessio definiri potest: *Positio interdum unica, interdum frequentata, legitima aut secus, alicuius actus, qui ex se est exercitium alicuius iuris. Unica:* in materiis in quibus actus permitti non solet ex amicitia et absque protestatione, v. g. actus eligendi, iudicem agendi. *Frequentata:* quia in ceteris, quemadmodum detentio rei momentanea non dicitur possessio, ita unica positio actus non est, ex se et generaliter, quasi-possessio. *Legitima aut secus:* nam communis hominum sensus, veluti commune eloquium manifestat, consistere facit quasi-possessionem iuris in exercitio actus, praescindendo ab istius iustitia vel iniustitia. Quem communem sensum et eloquium expressit ius romanum his verbis: « in summa possessionis parum interest iuste quis an iniuste possideat ».

Ex praemissis apparet qualiter sit respondendum celeberrimae quaestioni: *utrum possessio in facto consistat, an in iure.* Equidem *aliquando* est *factum iuridicum*, videlicet, *a*) quando est effectus et exercitium iuris proprietatis, et *b*) quando, etsi

(1) Lib. 3, ff. *De acquir. vel amitt. poss.*

non sit iusta, a lege positiva tuitionem saltem temporaneam obtinet contra aggressores, eo quod reipublicae interest, ut vitentur litium occasiones et rerum dominia non maneant obscura in perpetuum ; sed haec possessioni sunt per accidens, illa autem est ex se *quoddam factum*, et, per se, *nullum ius* constituit aut parit : ergo *non in iure, sed in facto* consistit, et devenit *factum iuridicum* ex dispositione iuris positivi.

Hic videtur esse genuinus possessionis conceptus iuxta rationem naturalem ; circa quem cavendum est cuilibet ne in errorem cadat ob ideam quam circa possessionem invexit in nationes civiles *institutum possessorium ex iure romano*, quo per plura saecula totus fere mundus gubernatus est. Ex adverso autem inquirenti in institutum possessorium iuris romani opus est ut illud non detorqueat volens idipsum aptare conceptui possessionis mere naturalis ; qua animadversione praemissa:

354. *R.* II. *Quoad aspectum historicum utriusque iuris usque ad saec.* XIV. Ius romanum ita institutum possessorium constituit, ut 1) *illud* magna ex parte ab Ecclesia adoptari meruerit ; 2) idipsum generatim ad normas philosophiae iuris exegerit ; 3) possessionem accurate a proprietate discreverit, et utriusque causam disiunctam esse voluerit ; 4) nonnulla possessioni mere naturali opportune determinando addiderit ; 5) quoad aliqua vero defecerit, quae ius canonicum correxit aut perfecit ; 6) possessioni tribuerit quosdam effectus, qui *interdicta* et *usucapio* dicta sunt, et, quoad substantiam adhuc vigent ; 7) induxerit species possessionis diversas pro diversitate effectuum. Singula praedicta iuvabit tantisper explanare prout sequitur :

1) Summi Pontifices, inde a prioribus saeculis, suis Decretalibus « sapientissime, duce aequitate, perfecerunt institutum possessorium romanum » (Lega, n. 212). Quapropter canonistae non licet praescripta iuris romani de re tam gravi ignorare.

2) Iam vero, *a*) Possessionem consistere ex se *in facto* et quidem humano, plures leges romanae declarant, eo ipso quod ex una parte adminiculum iuris non requirunt, ex alia autem interventum corporis et animi postulant. Videlicet: « In summa possessionis parum interest iuste quis an iniuste possideat » (1). « Et adipiscimur possessionem corpore et animo, neque per se animo neque per se corpore » (2). « Nulla possessio acquiri nisi

(1) L. 3, ff. *De acquir. vel amitt. poss.*
(2) L. 3, § 1, ff. *Eiusdem tituli.*

animo et corpore potest » (1). *b*) Possessionem debere esse exclusivam, docuit Ulpianus (2): « Duorum quidem in solidum dominium vel possessionem esse non potest ». *c*) Eandem non debere esse momentaneam edictum fuit (3): « Qui iure familiaritatis amici fundum ingreditur non videtur possidere; quia non eo animo ingressus est ut possideat, licet corpore in fundo sit ».

3) Ad discrimen possessionis a proprietate, spectant haec axiomata: « Nihil commune habet proprietas cum possessione » (4). « Separata esse debet possessio a proprietate, fieri enim potest ut alter possessor sit, dominus non sit: alter dominus quidem sit, possessor non sit... » (5) Ad utriusque causae discretionem pertinent haec: « In interdicto (iudicio possessorio) possessio, in actione (iudicio petitorio) proprietas vertitur » (6). « Nec possessio (causa seu iudicium possessionis) et proprietas (causa proprietatis) misceri debent » (7). « Incerti iuris non est, orta proprietatis et possessionis lite, prius possessionis decidi oportere questionem competentibus actionibus » (L. *incerti iur. Cod. de interd.*) Quod postremum tamen iure canonico mutatum est (cf. com. ad c. 1671).

4) Quia physica detentio, accepta in sensu rigoroso et materiali non inserviebat usui quotidiano, ita perfecta seu ampliata fuit, ut quis *a*) posset rem detinere habitualiter seu nudo animo, et absens a re (8), et *b*) posset eandem possidere per alium. Quoad primum, ait Gaius, « animo quoque retineri possessionem, quamvis neque ipsi in possessione simus, neque nostro animo alius, si tamen non relinquendae possessionis animo sed postea reversuri inde discesserimus » (9). Quoad alterum scripsit idem, *ibid.*: « Possidere autem videmur, non solum si ipsi possideamus, sed etiam si nostro nomine aliquis in possessione sit... et hoc est quod vulgo dicitur retineri possessionem per quemlibet, qui nomine nostro sit in possessione ». De eo quoque dicebatur quod « alienae possessioni praestat ministerium » (10).

(1) L. 8, ff. *Ei. tit.*
(2) L. 5, § 15, ff. *Commodat.*
(3) L. 14 ff. *h. t.*
(4) L. 12, § 1, ff. *De acquir. vel amitt. poss.*
(5) *Inst.*, IV, 153.
(6) L. 14, § 3, *De except. rei iud.*
(7) L. 52 pr. ff. *De acquir. etc.*
(8) L. 3, § 7-11; et 25, § 2, ff. *h. t.*
(9) *Inst.* IV, 153.
(10) L. 18, ff. *De acquir. etc.*

5) Ius romanum, praesertim vetustiori epocha, in hoc praecipue defecit, quod naturalis possessionis notionem « admodum coarctavit quoad *subiectum* et *obiectum*, eo quia in civitate romana nonnullae tantum personae et res fruebantur civili iure » (1). Harum limitationum praecipuae, iniustitiam redolentes, « non continentur iure Iustinianeo; reliquas vero ius canonicum expunxit » (Lega, *ibid.*). Ob aliam causam, scilicet, quia solummodo res corporales se exhibent obiectum visibile activitatis humanae, utpote in quibus solis adest *status facti permanens, uniformis et aliquantisper apparens*, illas tantum considerarunt romani ut obiectum possessionis. Ideo Paulus ait: « Possideri autem possunt quae sunt corporalia » (2). Et Quintilianus (3): « cum sit incorporale non intelligitur possideri ». Deinceps vero « cum arcta intercedat affinitas inter usum rerum corporalium et exercitium servitutum in fundis alienis, introduxerunt *iurium quasi-possessionem*, limitantes tamen hanc quasi-possessionem ad iura servitutum, neque ulterius in aliis iuribus aliquam recognoscentes vel impropriam possessionem ». Quam imperfectionem correxit ius canonicum, recognoscens quorumcunque iurium possessionem, quam tamen appellare perrexit et pergit quasi-possessionem.

6) Quoad *effectus iuridicos* possessioni tributos iure romano, alii appellati sunt *interdicta*, alius *usucapio* seu *praescriptio*. Quoad illorum *naturam* in genere et in specie:

A) *Interdictorum nomine* venerunt *decreta praetoris aut iudicis circa possessionem ab aliquo retinendam, recuperandam* aut *adipiscendam:* unde triplex eorum divisio vel species. Appellata fuerunt interdicta quia *a*) inter duos dicta: vel *b*) ab interdicendo, nam decreta erant frequentius prohibitoria circa statum possessionis mutuandum; vel *c*) quasi interim dicta, scilicet, donec de proprietate decideretur, et non in perpetuum. Initio fuerunt iussa seu *decreta praetoris particularia* (inter duos dicta); sed progressu temporis devenerunt *edicta generalia et actiones possessoriae*. Et actiones quidem potius *personales*, cum per eas alter alteri aliquid facere praecipitur aut prohibetur: unde Ulpianus scripsit: « Interdicta omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen personalia sunt » (4).

B) Interdictum frequentius, et magis proprie dictum, fuit

(1) Lega, *l. c.*, n. 198.
(2) L. 13, pr. ff. *De acquir. etc.*
(3) V. 10.
(4) L. 1, § 3, ff. *De inter.*

interdictum retinendae possessionis quod duplex erat; *uti possidetis*, circa immobilia, et *utrubi*, circa res mobiles. « Quum nempe alter litigantium rem sibi peteret ab alio possessam, praetor decernebat, ut lite pendente proprietatis, interim status possessionis non mutaretur, et ad hoc iubebat: « *uti* possidetis, ita possideatis », si agebatur de re immobili; si de re mobili quaestio esset, edicebat: « utrubi hic homo (servus) de quo agitur nec vi nec clam nec praecario ab altero fuit, apud quem maiore parte huiusce anni fuit, quominus is eum ducat, vim fieri veto ».

Iure canonico unum interdictum datum est pro mobilibus et immobilibus, et absque sollemnitate verborum.

Cum autem haec interdicta sint duplicia, id est (in quibus uterque litigans est actor et reus), quia uterque contendit se habere possessionem, utrique usque incubuit onus probandi et quidem non solum *factum*, sed etiam *iustitiam possessionis*, demonstrando *a*) titulum suae possessionis esse potiorem; vel, saltem, *b*) possessionem esse antiquiorem, quia « qui semel possidet etiam hodie possidere praesumitur », et proinde alius est iniustus possessor. Quod si uterque aequaliter probavisset, ille pronuntiandus erat iustus possessor qui ad iudicium provocatus fuerat; si vero non constabat uter provocaverat, possessio utrique tribuebatur *pro indiviso*. Debebat autem probari possessio *civilis* (vide infra), sed non requirebatur possessio *civilis iusta* nisi contra adversarium, aut si uterque contendebat se possidere civiliter.

C) *Interdictum recuperandae, seu redintegrandae possessionis* duplex quoque fuit: alterum dictum *unde vi*, quod dabatur *contra vim simplicem seu quotidianam*, alterum vero, *de vi armata, contra vim armis illatam:* horum tamen unum refusum est in alterum iure iustinianeo (1), et praevaluit interdictum « unde vi »; ita ut spoliatis re sua, etiam *vi simplici*, praesto esset redintegratio quae antea dabatur tantum contra *vim armatam* (2). *Vis* autem, etiam ea simplex, dicebatur « maioris rei impetus qui repelli non potest », et qua quis e re sua deiicitur. Interdictum dabatur tantum *a*) quoad *res immobiles*, et quidem *civiliter possessas* (vide infra) *iuste aut iniuste*, ita ut praedo etiam esset restituendus nisi *in continenti* repelleretur (3); et *b*) adversus personam illius qui vim intulerat, non adversus heredes aut ter-

(1) *Instit.* IV. *De interd.*, § 6.
(2) Lega, *l. c.* n. 219, nota.
(3) *Instit.*, IV, c. 5.

tios rei possessores. Iure canonico haec *vis* seu *violenta deiectio* appellata fuit *spolium*, interdictum vero dictum est *actio spolii*, quae ampliata est ad res mobiles et ad quaelibet iura quorum usu quis impeditus fuisset, et adversus rei spoliatae possessores.

D) *Interdicta adipiscendae possessionis*, ut nomen ipsum indicat, comparata fuerunt civibus non ad *tuendam possessionem*, sed ad *temperandum rigorem iuris* in sollemnitatibus pro translatione dominii rerum ; dein applicata sunt *ad obtinendum*, sub praesidio publicae auctoritatis, *fruitionem aliquorum bonorum*, utputa hereditatis. Iure canonico adhibita sunt, licet saepe sub aliis nominibus, v. g. *immissio in possessionem*, *institutio realis*, *investitura*, ad concedendam vel adipiscendam possessionem alicuius publici muneris, ut episcopatus vel alterius beneficii ecclesiastici, ut videre est in Tit. *De Instit.* X, III, 7.

Quoad *usucapionem* seu *praescriptionem* cf. can. 1508-1512-1701-1703-1705, etc.

7) Ad possessionis *species* quod attinet :

1° Ratione *originis*, alia est *naturalis*, alia dicebatur *civilis*. Prior consistit in *physica rei detentione*, *destituta recognitione et defensione iuris civilis;* altera est ipsa *detentio*, *si et prout recognita*, *et effectibus iuridicis interdictorum et usucapionis aucta a iure civili*. Possessio *civilis* ex iure romano et etiam iure canonico (1) habebatur primitus *a domino* tantum, deinceps, quoad interdicta non quoad usucapionem, etiam a *creditore pignoraticio*, a *sequestre*, *et ab eo cui precario res tradita erat*, id est « quod precibus petenti utendi conceditur tandiu quandiu qui concessit patitur » (2), neutiquam *a commodatario*, *depositario*, *colono et inquilino*. Hi tamen in rebus a se detentis possessionem naturalem absdubio exercebant, et quidem, sub uno aspectu, *in utilitatem domini* (quippe cui usucapio semper, interdicta vero regulariter reservabantur) *et nomine ipsius;* sed, sub alio aspectu, *in utilitatem propriam*, et exinde *proprio nomine*.

2° Ratione *causae* dicta est possessio *a*) *iusta* si obtenta ab eo cui titulus legitimus vel « iusta causa possidendi est » (3), utputa *titulus dominii*, *depositi*, *colonatus*, etc. ; vel *b*) *iniusta* seu *vitiosa* si habita fuerat *vi* seu per violentiam, *aut clam* seu occulte ab adversario, aut *precario*, intellige, vitioso, quod tale incipiebat esse quando detrectabatur restitutio petenti. Haec

(1) Lega, *op. cit.* n. 206.
(2) L. 1, pr. ff. *De Prec.*
(3) L. 7, § 8, ff. *De com. divid.*

divisio est maximi momenti quia effectus iuridici intelligebantur concessi possessioni iustae, equidem civili, non possessioni iniustae seu vitiosae. Attamen quodlibet ex vitiis supradictis impediebat tutelam iuridicam solummodo contra adversarium, id est, illum ex quo iniuste possidebatur, sed « adversus extraneos vitiosa possessio prodesse solet » (1). Imo nec eam impediebat contra adversarium, id est, rei dominum aut legitimum possessorem, quoties isti eandem ab iniusto possessore seu fure vi eripuerant, nisi *in continenti*, seu in ipso actu furti fecissent; quod iure canonico firmatum fuit his verbis: *Praedo etiam est secundum rigorem iuris restituendus* (2).

3° Ratione *subiecti* admissum fuit « dividi possessionis genus in duas species; ut possideatur aut *bona fide*, aut *non bona fide* » (3). Quidquid sit de sensu horum verborum in iure romano, ad ius canonicum quod spectat, placet opinio Cardinalis Lega, qui, contra eos qui ad bonam fidem requirunt *animum domini* seu persuasionem domini, et eos qui asserunt esse necessarium *animum dominandi* seu rem sibi addicendi, ait: « In genere, bona fides est opinio possidentis, qui rem ita possidendo putat se nemini facere iniuriam, sive hoc verum sit, aut non. Secus habetur mala fides. In specie vero bona fides in possessore ad usucapionem requirit opinionem seu animum domini » (4). Qui conceptus post promulgatum Codicem obtinere pergit, ut videbimus.

355. *R.* III. *Quod attinet ad conceptum possessionis sub aspectu historico utriusque iuris post saec.* XIV, audiatur Card. Lega, ibid., n. 212 et sq.: « Post aetatem classicam iuris Decretalium... successit forensis iurisprudentia, praesertim civilis, quae, non percipiens profundissimam et sublimem doctrinam romanam de remediis possessoriis, sensim hanc pervertit, inter se confundens, et flectens in novam formam interdicta possessoria ». *Quoad Curias civiles*, « iam a saeculo XIII et XIV remedia *possessionis recuperandae* aut *retinendae* frequentari coeperunt ad removendas turbas, quare appositum interdictum effectum est remedium publicae tranquillitatis... dictum est *possessorium summarissimum*... ». Quae procedendi ratio apud Italos *mandatum de manutenendo*, apud Gallos *recredentia*, apud Hispanos *Iuicio de*

(1) L. 53, § 49, ff. *De acquir. vel amitt. poss.*
(2) Cap. 5, X, *De restit. spol.*, II, 13.
(3) L. 3, § 22, ff. *De acquir. vel amitt. poss.*
(4) *De Iudic.*, I, n. 206.

interim dicta fuit... (1). Sed in hoc, uti clarum est, evanescit conceptus interdicti possessorii, nimirum actionis ordinis privati, et remanet interdictum *de vi armata*, quod diximus non esse recensendum inter remedia vere possessoria... Interdictum vero *de vi simplici* seu *quotidiana*, ut eam vocat Cicero *pro Caec.* 31-32, *ad recuperandam possessionem*, refundi coepit in interdictum *uti possidetis* seu *manutentionis*, quia visum est, vi spoliatum non amisisse possessionem quam retinet nudo animo, et hinc, reapse, agere ad conservandam suam possessionem adversus spoliatorem. « Exinde frequentatum fuit unicum remedium manutentionis, dictum *ordinarium* vel *plenum possessorium*, ut *summarissimo* opponeretur... Nemo non videt in hisce remediis... non parum confundi causam proprietatis et possessionis, et hanc efficaci tutela destitutam fuisse ».

Quoad *Curias ecclesiasticas*, mutationes quas iurisprudentia civilis operata est « etiam curiae ecclesiasticae non parum subierunt. » Etenim « causa possessionis tractari consuevit per interdicta iuris romani, reformata per ius Decretalium, sed reapse praxis certa et universalis habita non est in foro ecclesiastico, quia praevaluit mos causas possessionis, quippe versantes *circa factum*, deferendi ad iudices laicos ». — « Iam in curia romana exceptum fuit *possessorium summarissimum*... Quando vero possessio iam amissa erat, atque res pacifice ab alio possessa volebat recuperari, recursus habebatur ad actionem possessionis recuperandae, vel ad petitorias ». « Sed notatu dignum est canonistas omnes pressius in suis commentariis insistere vestigiis iuris romani, et sedulo curare vetera remedia amice cum novis componere. Siquidem ius commune canonicum a iure Decretalium non deflexit ».

Q. IV. *Quaenam vi Codicis sint* 1) *possessionis notio; et* 2) *actiones possessoriae.* **356.**

R. I. In genere, Codex retinet, ni fallimur, ideam possessionis iure Decretalium traditam, et iure canonico posteriori communi conservatam, licet non semper utatur pristinis denominationibus. Etenim possessionem *a*) facit consistere potius *in facto*, ut innuit c. 1694, v. *etiam simplex detentio; b*) decernit debere esse *non momentaneam* ut habetur in c. 1695, v. *annum integrum*, et c. 1697, v. *intra annum; c*) eam considerat uti

(1) Cfr. art. 696 *Cod. Civ. Ital.*; art. 2228, 2299 *Cod. Civ.*, et art. 23 *Cod. proc. civ. Gallici.*

exclusivam, argum. c. 1697; *d*) eandem donat pristinis effectibus iuridicis, videlicet, *interdictis*, seu *actionibus possessoriis*, quemadmodum integrum hoc caput demonstrat, necnon *usucapione* seu *praescriptione*, ut patet ex cap. sequenti et ex c. 1508. Hinc sequentem possessionis notionem magis determinatam iudicio sapientum submittimus.

1) *Definitio. Possessio*, ut infra dicitur, alia est *rei*, seu *possessio simpliciter*, alia *iuris*, seu *quasi possessio*. *Possessio* (simpliciter) potest definiri ut fere iam Card. Lega definivit (1): « *Physica rei detentio aut alia ad rem relatio, per leges aestimata aequivalens detentioni, per quam homo exercet, actu aut habitu, suam activitatem in rem exclusive et non momentanee, cui detentioni vim iuridicam et tuitionem ipsae leges concedunt.* — *Alia ad rem relatio;* v. g. etiam sola intentio et quidem habitualis habendi aut retinendi rem propriae possidentis activitati subiectam, vel dispositio legis transferens possessionem de una ad aliam personam etiam ipsis nescientibus. Cetera verba definitionis manent explicata supra. *Quasi-possessio*, seu *possessio iuris* nihil aliud est, quam *ipsius iuris usus vel exercitium* (cf. c. 1693); vel, uti clarius dictum est (Q. III): *Positio, interdum unica, interdum frequentata, legitima aut secus, alicuius actus qui ex se est exercitium alicuius iuris.*

2) *Obiectum* possessionis est quidquid non sit persona, et proinde tum *res corporales*, sive mobiles, sive immobiles, tum *res incorporales*, sive *iura;* ita tamen ut acquiri possint in patrimonium, sive oeconomicum sive iuridicum, personae humanae in genere, et, in specie, illius personae possessionem acquisiturae. Sic aër, aquae maris, forum et viae publicae a nemine possideri possunt, officia aut beneficia ecclesiastica nequeunt possideri a laicis.

3) *Subiectum* possessionis est quidquid sit *capax iurium*, et proinde, ex lege naturali, *quaevis persona physica*, ex lege positiva *omnis persona, sive physica sive moralis.*

4) *Media acquirendi* possessionem sunt *a*) *apprehensio*, sive *realis* sive *symbolica* (v. g. clavium domus) quoad res corporales; *b*) ipse *usus iuris*, quoad res incorporales, et quidem unicus actus in materiis in quibus usus non solet permitti ratione amicitiae et absque protestatione, v. g. usus suffragii; *c*) *dispositio legis*, quoad utrasque.

5) *Modos amissionis* quod attinet, possessio si est rei im-

(1) *De Iudic. civ.*, 1, n. 204.

mobilis amittitur aut *corpore et animo*, id est, detentionem dimittendo scienter et libere vel privationem eius subeundo et non reclamando, aut *solo animo*, videlicet, deponendo intentionem possidendi ; si est rei mobilis amittitur cum res desinit esse in custodia et physica potestate possessoris ; denique, si est rei incorporalis seu iuris amittitur per hoc quod possessor scit ius exerceri ab alio, et non contradicat et resistat, aut saltem protestetur (1).

6) *Divisio.* *a*) Ratione *obiecti* dicitur *possessio* ea quae versatur circa *res corporales; quasi-possessio*, quae circa *res incorporales* aut *iura* (c. 1695).

b) Ratione *causae* seu *tituli*, alia est *legalis* seu *iuridica* et potest dici *possessio stricte sumpta;* alia est *materialis* seu *mere naturalis*, et dici potest *possessio late sumpta* seu *simplex detentio* (arg. c. 1694). Prior est ea quae **munitur titulo legitimo** (cf. c. 1693), id est, a lege positiva recognito, et proinde habet fundamentum et causam in lege seu iure, quippe quod confert potestatem possidendi : *possideo quia possum possidere.* Altera est quae caret titulo seu ratione iuridica, et nullum habet fundamentum vel causam praeter ipsum factum detinendi rem aut ius : *possideo quia possideo* seu *detineo.*

c) Ob *qualitatem intrinsecam*, alia est *iusta* vel *licita*, alia *iniusta* seu *vitiosa. Possessio iusta* est possessio vel quasi-possessio, legalis aut materialis, quae non adversatur legi, sive naturali sive positivae iustae; et talis praesumitur esse possessio quae non habetur *vi, clam* aut *precario*, id est, vitio precarii infecta. Inficitur autem ex quo possessor recusat restituere rem sibi traditam eo pacto ut eandem restituat ad preces tradentis vel alterius. *Possessio iniusta* est quae adversatur legi sive positivae iustae sive naturali ; quod evenit quoties *vi, clam* aut *precario* habetur.

d) Ex parte *dispositionis subiecti* habetur *possessio bonae fidei*, si possessor putat se nemini iniuriam facere, et licite agere possidendo ; secus est *possessio malae fidei.*

e) Ob *conditiones extrinsecas*, possessio dicitur *a*) *vacua* si res aut ius a nemine possidentur, nec quidem detinentur ; *b*) *pacifica*, si in ipsa apprehensione vel incontinenti, puta intra unum vel duos menses, nullam passa est controversiam iuris aut facti, intra iudicium vel extra (2).

(1) Reiff., Lib. II, Tit. XII, § 6.

(2) Arg. c. 38, X, *De elect.* I, 6; Reiff., *ibid.*, § 1, n. 23.

357. *R.* II. *Actiones possessoriae* dicuntur *illae quae respiciunt possessionem*, et primitus appellabantur *interdicta*. Sunt triplicis generis: aliae, *possessionis adipiscendae* (c. 1693); aliae, *retinendae* (c. 1695 et sq.): aliae, *recuperandae*, seu *de spolio* (c. 1698, 1699). Actiones prioris generis respiciunt vel habent pro obiecto possessionem *legalem* seu *iuridicam;* ceterae respiciunt possessionem etiam *materialem*, imo *iniustam*, nisi proponantur contra eum, respectu cuius directe committitur iniustitia possessionis, ex c. 1696, § 1. *Actio adipiscendae possessionis* est *ius petendi ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur qui ad id munitur titulo legitimo* (c. 1693). *Actio retinendae possessionis* est *ius petendi ut suam possessionem vel quasi-possessionem sine molestiis retineat qui post annum molestiam incipit pati* (c. 1695). *Actio spolii*, vel *de spolio*, vel *recuperandae possessionis* est *ius petendi ut* in *possessionem rei vel quasi-possessionem iuris restituatur, qui vi aut clam quoquo modo ab ea deiectus est* (c. 1698). Quaenam sit harum actionum *natura*, id est, *quibusnam*, *contra quos*, etc. *competant*, dicetur in expositione textus; sed aliqua praemittere oportet circa probationes: unde,

358. Q. III. *In actionibus possessoriis*, 1) *circa quid versantur probationes*, 2) *qualiter probatio possessionis differat a probatione proprietatis;* 3) *quibus modis probatur possessio.*

R. I. Ex ipsa natura possessionis et iudicii possessorii, probationes versantur *circa factum possessionis*, non *circa ius possidendi* seu *titulum possessionis*. Ratio est quia fundamentum iuridicae tutelae possessionis, et proinde causae vel tituli rationalis actionis possessoriae, reponendum est, *a*) non in eo quod possessio inducat *praesumptionem* dominii ut voluerunt Accursius, Glossator, et alii; nam huiusmodi praesumptio non subsistit, cum possessio saepe disiuncta sit a proprietate; nec, ob eandem rationem, *b*) in eo quod exhibet *dominii externam faciem*, ut scriptores Scholae Hegelianae docuerunt; sed *c*) in eo quod *pacifica conviventia socialis* exigit ut publica auctoritas praestet efficacem et celerem defensionem *facto* possessionis certis conditionibus munito, quod facilis est probationis, et abstrahat a iustitia vel iniustitia possessionis, seu *iure* possidendi, quod difficillimae et longioris est probationis. Iure veteri (1), si in actione retinendae possessionis uterque litigans possidere contenderet, requirebatur probare vel saltem, uti dicebant cano-

(1) Cap. 9, X, *De prob.*, II, 19.

nistae, *colorare* titulum ; quod quidem non videtur exclusum canone 1697, quo requiruntur possessionis actus frequentiores aut potiores, id est, ni fallimur, magis iusti.

R. II. Probatio dominii seu proprietatis est difficillima, quia proprietas consistit *in iure ;* ad cuius probationem requiritur in primis *a*) demonstratio tituli, v. g. emptionis, nominationis ad officium, institutionis in beneficium, etc. ; et, ad hoc, exhibitio relativi instrumenti, aut decreti, quae facile impugnationi et amissioni sunt obnoxia ; deinde, *b*) frequenter demonstratio dominii in antecessore, « quia nemo plus iuris ad alium transferre potest quam ipse habet » (1), unde, ut notat Glossa, « res, mea pecunia empta, non ideo est mea » (2). E contra, probatio possessionis est facillima, quia possessio consistit *in facto ;* quod, sive sit rei detentio sive iuris exercitium, se exhibet corporis sensibus, et proinde non modo per instrumentum, sed per testes, et per plura indicia quibus possessio externe manifestatur. Ad cuius pleniorem intellectum,

R. III. Possessio potest probari variis modis : scilicet : *a*) per instrumentum captae possessionis, quod in actione retinendae possessionis probat sufficienter si alius non possidet ; *b*) probando quemlibet ex actibus quibus possessio acquiritur, scilicet, apprehensionem veram, apprehensionem fictam, etc. (3) aut eadem exercetur, v. g. gabellarum exactionem, onerum persolutionem, fructuum perceptionem, obedientiam sibi praestitam, si agatur de possessione iurisdictionis, praesentationem ad beneficium, si res sit de iurepatronatus, etc.

Expositio textus.

Can. 1693. — Q. *Cuinam, circa quae, quo titulo, quomodo,* 359. *contra quem vel coram quo, et ad quid competit actio adipiscendae possessionis.*

R. **Qui ad possessionem alicuius rei adipiscendam, vel ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, petere potest, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur.**

Qui: id est quilibet, dummodo tamen sit *capax a*) *possidendi*, unde haec actio non competit v. g. laico petenti officium ecclesiasticum ; et *b*) *agendi* in iudicio, unde eadem actio excom-

(1) L. 55, ff. *De reg. iuris.*
(2) L. *Ad probationem Domini, Cod.*
(3) Cfr. Reiff., *I. C. U.*, Lib. II, Tit. 12, § 8, n. 221 sq.

municatis non competit ad obtinendum ullam rem vel iuris exercitium. — . . . **ad possessionem . . . rei**: tum 1) *corporalis cuiuscunque*, et *contra quemcunque* expresse vel tacite obligatum ad eam reddendam; ut puta ad possessionem: *a*) *hereditatis*, quam quis nunquam habuit, et petit contra illum qui possidet eam sive pro herede, quia existimat se esse heredem, sive pro possessore, id est simplici detentore, quia novit eam ad se non pertinere; *b*) *legati*, a legatario propria auctoritate apprehensi, quod quidem peti potest contra istum: *c*) *rei venditae* et nondum traditae, quae peti potest contra emptorem qui pretium accepit; *d*) *pignoris condicti* et nondum traditi, quod peti potest adversus eum qui rem pignoratam accepit et ita porro; tum 2) *rei incorporalis*, ut puta muneris seu officii ecclesiastici, sive lato sive stricto sensu accepti (c. 145, § 1), quod importat complexum iurium et obligationum.

. . . **iuris**: seu facultatis moralis inviolabilis aliquid agendi, exigendi, etc., v. g. ius servitutis activae in fundo alieno, ius suffragandi in aliquo collegio personae extraneae concessum, ius habitandi cum coniuge, ius percipiendi fructus ex officio ecclesiastico, etc., etc. — . . . **titulo**: id est, causa rationali et iuridica cui innititur seu a qua repetitur actio vel ius petendi possessionem: qualia sunt, v. g., testamentum in casibus petitionis hereditātis et legati, nominatio in casu petitionis possessionis muneris, privilegium in casu petitionis suffragii, matrimonium in petitione cohabitationis, etc., etc. — . . . **immittatur**: realiter, per traditionem rei, administrationis officii, usus iuris.

360. **Can. 1694.** — Q. *Quaenam possessio praestat actionem retinendae aut recuperandae.*

R. **Non solum possessio, sed etiam simplex detentio praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam.**

. . . **possessio**: scilicet, stricte sumpta (cf. **n. 356,** 6), *b*), seu quae munitur titulo legitimo, id est, a lege positiva recognito. — . . . **simplex detentio**: seu possessio late sumpta, ut explicatum est l. citato, quae videlicet non munitur titulo legitimo, et etiam quando est iniusta, excepto si possessio petatur contra eum respectu cuius habetur iniuste (c. 1696, § 1).

Can. 1695. — Q. *Actio retinendae possessionis*, 1) *cuinam, quando seu quo titulo, et circa quae competit; et* 2) *quandiu, contra quem, et ad quid.*

R. I. ex § 1. **Qui annum integrum in possessione rei** 361.
rel in quasi-possessione iuris manserit, si molestiam patiatur
quominus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat,
habet actionem *retinendae possessionis.*

Qui: id est, quilibet, dummodo capax sit tum possidendi, tum agendi, ut dictum est in com. ad c. 1693. — **. . . annum . . patiatur**: *possessio annualis* et *passio molestiae*, sed non ultra annum (ut dicit § 2), en *duo* in quibus *simul* consistit titulus actionis retinendae possessionis. — **. . . annum**: supputandum de momento inceptae possessionis ad momentum inceptae molestiae (c. 34, § 2). — **. . . integrum**: ita ut *a*) inter utrumque momentum praedictum lapsi fuerint 12 menses; et *b*) si agatur de possessione, detentio rei immobilis non fuerit dimissa, detentio autem rei mobilis non fuerit amissa neque ad breve tempus; et *c*) si agatur de quasi-possessione et plures actus, non mere facultativi sed vere obligatorii, poni debeant per annum, nullus actus scienter et libere omissus fuerit, aut absque protestatione et resistentia non permissus fuerit poni ab adversario actus possessionis.

. . . rei: immobilis, nam circa *res immobiles* tantum versatur actio *retinendae* possessionis. Etenim possessio *rerum mobilium*, si deperdantur, aut vi vel furtive auferantur, amittitur confestim facto ipso deperditionis aut ablationis, et proinde non dat locum actioni *retinendae* sed actioni *recuperandae* possessionis: e contra, quoad res immobiles, non amittitur possessio iuridica seu legalis, nisi possessor dimittat seu derelinquat eas, aut ipse, si occupatae fuerint ab alio, animum deponat recuperandi earundem detentionem; unde quoad illas datur actio *retinendae* possessionis, seu defendendae possessionis quae retinetur (1).

. . . molestiam: talem quae possessorem impediat a possessione retinenda pacifice, id est a re utenda vel iure exercendo *a*) *plene*, seu quoad totam rem et fructus eius vel integrum iuris exercitium; *b*) *cum exclusione* perturbatoris et aliorum; *c*) *cum commodo*. Agitur de vi *inquietativa* (2) seu de *turbatione* quae possessionem *reddat intranquillam*, et forte aliqualiter incompletam veluti si omitteretur solutio redituum, aut metu, vel aliter impediretur productio aut collectio fructuum, non de vi physica quae actorem penitus *e possessione deiecerit;* tunc enim adhibenda esset *actio spolii.*

(1) Reiff., Lib. II, Tit. XII, § 7, n. 203 sq.
(2) Cap. 9, X, *De Prob.*, II, 19.

362. *R.* II. ex § 2. **Haec actio non admitittur nisi intra annum ab illata molestia adversus molestiae auctorem ut a molestiis desistat.**

. . . **intra annum:** quo novo praescripto *a*) excitatur efficaciter solertia possessorum ad iura tuenda, et *b*) vitatur necessitas probandi antiquitatem possessionis (1). — . . . **illata:** id est incepta et cognita. Unde, si quis actus molestos, seu possessionis vel commodorum istius turbativos sustinuerit per annum et postea voluerit eos impedire, non potest hoc petere a iudice actione possessoria, etsi valeat uti actione petitoria. Differentia inter utramque stat in hoc quod ille qui petit actione possessoria non tenetur probare nisi *factum possessionis* (excepto si hanc habuerit iniuste ab adversario, vel uterque litigans contendat se possidere) quod facillimae probationis est; qui vero agit actione petitoria debet probare *ius proprietatis* quod est longe difficilius; id est, debet probare se habere titulum suae possessionis a lege recognitum; quod si illo careat, cogitur pergere sustinere molestiam seu diminutionem suae possessionis imo ipsam possessionem amittit si adversarius ostendit titulum meliorem seu magis iustum.

. . . **auctorem:** qui molestiam inferat *a*) sive per se sive per alium, v. g. servum; *b*) tum factis, tum dictis ac factis, sed non dictis solum, v. g. diffamando possessorem quasi iniustum, nisi hoc ipso utilitas rei possessae minueretur (Pellegrini, p. 230) *c*) sive se quoque possidere contendens, sive non. — . . . **desistat** hic unus est scopus huius actionis, hic unus effectus sententiae in ea obtentae, cessationem a molestiis imponere; ita ut si possessio vitio iniustitiae laboret, sententia non sanet eam.

363. **Can. 1696.** — Q. *Utrum actio retinendae possessionis* 1) *adhiberi possit ab iniusto possessore, et contra quos; et* 2) *opponi valeat a promotore iustitiae, in quibus causis, et adversus quem.*

R. I. Adhiberi potest contra quemlibet deturbatorem, excepto rei domino. Ita ex § 1. **Etiam qui vi, clam vel precario possidet, actione** *retinendae possessionis* **uti potest adversus quemlibet deturbatorem: non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit.**

. . . **vi** possidet qui possessionem aut quasi-possessionem acquisivit per violentiam quae « est maioris rei impetus qui

(1) *Ibid.*

repelli non potest », et, iure canonico, appellatur *spolium*. *Spolium* autem, vel violentia vel maioris rei impetus non excercetur tantum vi seu *impetu materiali*, sed etiam *vi morali*, dummodo haec talis sit, vel a tali persona illata ut repelli aut resisti non possit. Sic « dicitur patrare spolium iudex qui sententiam edit notorie iniustam » (1): et pariter Superior qui gravem poenam infligit iuris ordine praetermisso: *accepimus*, ait S. P., *quod ipsum... ecclesia de Werfort sine iudicio spoliasti* (2). — . . . **clam** possidet qui possessionem incipit occulte a domino ne ab eo impediatur. — . . . **precario**: intellige, vitiose, possidet qui detractat restituere rem sibi concessam « utendam quandiu qui concessit patitur » (3). Ideoque possessor precarius est iustus quousque restituere renuat. Iniustitia autem ea ratione patratur quia « nemo sibi causam possessionis mutare potest » (4), « veluti colonus, qui alieno possidet nomine, non valet suo nomine possidere mutata voluntate possidendi nomine alieno, nisi iustus superveniat novus titulus, ex quo legitime alio nomine possidere incipiat. Ut ecce si colonus a domino emat fundum » (5). . . . **deturbatorem**: eo enim quod possessor violentus, clandestinus aut precarius sit iniustus, perturbator possessionis eius non desinit esse iniquus; aequitati autem convenit non minus quam utilitati reipublicae, ut perturbatores ordinis socialis (qualis est qui ex statu possessionis emergit) reprimantur ubi primum denuntientur, etsi denuntiator non sit expers criminis. Quae aequitatis ratio certe non urget si iniquus possessionis raptor eousque audaciae progrediatur ut actionem possessoriam proponat contra eum quem scit verum et iustum possessorem: unde canon addit: **non autem contra personam,** etc. Huc spectat, ni fallimur, quod ille qui vi, aut clam a Superiore ecclesiastico, aut alias iniuste vel cum dubio de iniustitia possessionis, munus seu officium ecclesiasticum detinet, nequit actionem retinendae possessionis proponere contra Superiorem volentem inquirere super iustitia possessionis, sed tenetur eam statim probare; secus nequit pergere in exercitio muneris.

R. II. ex § 2. **In causis quae ad bonum publicum spectant, iustitiae promotori ius est opponendi vitium possessionis adversus eum qui vi, clam vel precario possidet.**

(1) Lega, *De Iudic. civ.*, I, n. 219.
(2) Cap. 7, X, *De restit. spol.*, II, 13.
(3) L. 1, pr. ff. *De prec.*
(4) L. II, ff. *Pro hered.*
(5) Lega, *op. cit.*, 208.

. . . **bonum publicum**: ut puta si fundus ecclesiae ab aliquo retineatur iniuste, id est, vi, clam, aut precario. — . . . **vi**, etc.: nam alias possessio praesumitur iusta.

Can. 1697. — *De sententia proferenda tum in possessorio tum in petitorio.*

364. Q. I. *Si controvertatur uter possideat,* 1) *quisnam praeferendus sit;* 2) *quid in dubio de actibus frequentioribus;* 3) *quid si sit impossibilis possessio pro indiviso.*

R. I. ex § 1. **Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in possessione praeferendus est qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit.**

Si inter duos: quorum neuter vi, clam aut precario possideat ab altero (c. praeced., § 1). — . . . **controversia . . . possideat**: id est controversia, qua uterque contendat se esse possessórem, quia in detentione rei vel in exercitio iuris annum integrum manserit (c. 1695, § 1). Quae controversia non raro contingit in actionibus retinendae possessionis, ut puta, si duo parochi asserant se esse saltem in possessione administrandi sacramenta in certo loco paroeciarum amborum limitari, quia uterque per annum integrum ea administravit; aut si duo patroni affirment se quasi-possidere ius praesentandi ad idem beneficium.

. . . **frequentiores**: quo verbo usus legislator, non autem verbis *iustiores* aut *antiquiores*, vel aliis similibus, innuit 1) verum esse quod supra dictum est, nimirum, probationes in actionibus possessoriis versari per se et primo circa *factum seu actus*, non autem circa *iustitiam facti* aut *titulum actuum*, nisi subsidiarie, id est, quando factum remanet adhuc dubium post allatas probationes, ut statim dicetur; et 2) antiquitatem possessionis non esse attendendam, neque antiquiorem esse alteri praeferendam, modo haec per annum integrum habita fuerit.

. . . **potiores**: id est, qui *a*) verae possessionis sint *magis significativi*, ut puta, si quis probat possessionem fundi ex eo quod vectigalia solvit, praefertur illi qui eandem probat ex eo quod fructus percepit; vel *b*) sint *magis iusti*, sed hoc solummodo inquiritur et attenditur, cum dubium sit uter possessor frequentiores actus exercuit et possessionis magis significativos, nam recursus ad iustitiam vel titulum in actionibus possessoriis est subsidiarius tantum. Porro, illa possessio est, ratione iustitiae vel probitatis actus, magis iusta, quae *a*) habet titulum; vel *b*) habet titulum meliorem; vel *c*) est magis conformis iuri;

vel *d*) validioribus argumentis ostenditur esse magis rationabilis.

R. II. ex § 2. **In dubio iudex possessionem pro indiviso utrique parti attribuat.**

In dubio: cum, nempe, uterque aequaliter probavit (cf. Q. II.) quod **intra annum frequentiores et potiores... actus exercuit.** — **... pro indiviso:** id est, diviso rei usu, re manente indivisa; veluti si duo fructuarii aeque probaverint suam possessionem, uterque permittitur fructus percipere alternis vicibus, aut declaratur in possessione medietatis fructuum; in controversia duorum parochorum, de quibus supra, utrique attribuatur medietas fidelium, etc., non est enim ratio cur in utroque casu uni totum adiudicetur, alteri autem totum abiudicetur (1); et aliunde monet Innoc. III (2): *cum duo simul eandem rem et eodem modo in solidum possidere non possint.*

... utrique ... attribuat: nulla habita ratione quisnam ad iudicium provocaverit, nam Doctores innixi iuri romano (3) distinguebant hactenus, sed canon non distinguit; et merito, non enim videtur aequum concedere turbatori possessionis (et hoc eveniret aliquando, imo ordinario) favorabiliores partes rei.

R. III. ex § 3. **Si rei vel iuris indoles aut contentionum et rixarum periculum non patiantur ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur, iudex rem apud sequestrem deponi, aut iuris quasi-possessionem suspendi iubeat usque ad iudicii petitorii exitum.**

Si rei vel iuris indoles: ut si agatur de beneficio ecclesiastico, utpote quod « a duobus pro indiviso possideri non potest » (4). — **... interim ... usque,** etc.: unde eruitur sententiam in iudiciis possessoriis habere ex se effectum temporaneum; ex se, inquam, nam si ille cuius interest, non progrediatur ultra ad iudicium petitorium, sententia, possessionem alterutri vel utrique attribuens, potest ius proprietatis parere, et sic producere effectum perpetuum, lapso tempore necessario ad praescriptionem.

Q. II. *A quonam probari debeat, et qualiter sententia proferri in petitorio.*

R. I. In iudicio possessorio *retinendae,* cum sit duplex,

(1) Reiff., Lib. II, Tit. XII, n. 243.
(2) Cap. 2, X, *De probat.*, II, 19.
(3) Reiff., *Ibid.*
(4) Felin. et Menoch. apud Reiff., *l. c.*, 239; Lega, *l. c.*, n. 233.

nam uterque litigans *affirmat* spectare ad se possessionem et eam *petit* contra alterum, uterque tenetur probare; sed si fit transitus ad iudicium petitorium, tenetur probare ille qui provocat, licet sit ipse possessor seu victor in possessorio, *nam possessori probationem aliquando dari, manifesti iuris est*, ait Inn. III, nempe quando excipit, ergo multo magis quando agit. Quoad sententiam vero *in petitorio*, danda est pro possessore, si probationes ceteroquin sint aequales, nam possessio est quedam species probationis; « qualiscunque enim possessor, hoc ipso quod possessor est, plus iuris habet quam qui non possidet » (1) et, *melior est conditio possidentis* (2).

Can. 1698. — *De actione recuperandae possessionis, seu actione et exceptione spolii.*

365. Q. I. *Quisnam, quando seu quo titulo, circa quae, adversus quem, et ad quid habet hanc actionem.*

R. ex § 1. **Qui vi aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi-possessione iuris deiectus est, adversus quemlibet spolii auctorem vel rei detentorem habet actionem** *recuperandae possessionis* **vel de spolio et spolii exceptionem.**

Qui: hoc verbo generico exprimit legislator quisnam hanc actionem habeat, videlicet, *quilibet possessor, spoliatus sua possessione. Quilibet*, sive sit 1) possessor *iustus*, et, insuper, uti olim dicebatur, *civilis*, vel 2) possessor *iustus*, qui olim dicebatur *non civilis*, ut commodatarius, colonus, etc., nam ista distinctio non amplius exsistit; vel 3) possessor *non positive iustus*, quia canon utitur verbo generico **qui**, et iam veteri iure habetur hoc genericum praescriptum: *spoliatus ante omnia est restituendus* (3); vel 4) possessor *positive iniustus*, seu *spoliator* et ipse; *quia etiam praedo est secundum rigorem iuris restituendus* (4): et merito, nam « etiam praedonis interest ne ab alio spolietur, cum teneatur domino rem vi ablatam, una cum omnibus fructibus restituere, eique satisfacere » (5); praeterquam quod spolii invidia, ob quam praecipue haec actio prodita est, respicit quoque spoliantem spoliatorem.

Excipe tamen *a*) si spoliatus *manifeste incapax* sit possidendi, veluti si quis *notorie* carens etiam prima tonsura capes-

(1) L. II, ff. *Uti possidetis.*
(2) *Reg.* 56 *iur.* in VI°.
(3) Cfr. c. 4, X, *De ord. cognit.*, II, 10.
(4) Cap. 5, X, *De restit. spoliatorum*, II, 13.
(5) Reiff., *l. c.*, Tit. 13, § 3.

serit beneficium et eo spoliatus fuerit, sive a praelato, etiam praetermisso iuris ordine (quippe qui in notoriis non tenet), sive a privata persona, nam qui incapax est possidendi nunquam potuit possidere, nec proinde spoliari; *b*) si spoliatus privatus sit iure agendi in iudicio, uti privatur excommunicatus, et ratio in aperto est; *c*) si spoliatus, qui actionem vel exceptionem spolii obiicit, sit et ipse spoliator notorius, ille vero spoliator contra quem agit vel excipit sit rei dominus notorius aut possessor legitimus manifestus ex probationibus legalibus exsecutivis, v. g. sententia iudiciali firma, instrumento publico non impugnabili, confessione adversarii non oppugnabili, testibus ab eo admissis, etc.; quia tunc frustra daretur ei actio qua recuperaret rem, cum ista domino aut legitimo possessori *notoriis* restituenda esset *statim*, absque ullo temporis intervallo, nam nulla adhibenda esset iudicialis cognitio (1).

... **vi**... **deiectus est**: his verbis continetur *titulus* seu causa sufficiens huius actionis. **Vi**: quo nomine venit sive vis *physica*, id est, violentia impeditiva, illata personae in re sua, aut in membris corporis, aut in actibus externis; sive *vis moralis*, id est, coactio inflicta animo tum vexationibus irresistibilibus, tum minis gravissimis, tum sententiis iudicialibus, tum iussibus peremptoriis, dummodo et violentia et coactio tales sint quae dici possint: « maioris rei impetus cui resisti non potest ». Quod in subiecta materia intelligatur etiam vis moralis patebit ex dicendis de *obiecto* huius actionis. — ... **clam**: seu occulte sive a domino, sive a quocunque volente impedire usurpationem possessionis. — ... **quoquo modo**: quibus verbis confirmatur, ni fallimur, interpretatio lata, quam nunc nunc dedimus verbis *vi* et *clam*.

... **a possessione rei vel**... **iuris**: res et iura quaecunque, en *obiectum* spolii, et proinde actionis et exceptionis spolii obiectum in genere. Circa quae, igitur, in specie, eadem actio et exceptio versentur, deducendum est ex obiecto spolii, et, proinde, nequit determinari, nam, ut recte ait Card. Lega (2) « Spolium latissime patet. Cap. 8, X *De rest. spol.* II, 13, spoliatus dicitur maritus, si uxor ab eo divertat iniuste; et cap. 10 et 12 (ibid.) spoliata dicitur uxor a marito eam de sua domo eiiciente. Cap. 2 et 3 (ibid.) habetur uti spoliatus, qui per vim et inique cogitur suo beneficio renunciare. Cap. 6 *De sepult.* X, III, 28, spoliatus

(1) Reiff., *l. c.*, § 3 et 4.
(2) *De Iud.*, I, n. 221.

dicitur qui iniuste a sua sepultura prohibitus fuit ». His adde c. 7, X, *De rest. spol.* II, 13, ubi dicitur spoliatus, qui sua ecclesia a praelato privatus fuit sine iudicio; c. 3, X, *De cau. poss. et propr.* II, 12, ubi dicuntur spoliati qui, ipsis renitentibus, exclusi fuerunt ab electione. — ... **deiectus**: hoc. verbum ostendit requiri ad spolium vim realiter *deiectivam*, et non sufficere vim *inquietativam seu turbativam*.

... **quemlibet**... **detentorem**: his verbis legislator innuit quaenam sint personae *contra quas* habetur haec actio; **quemlibet**: unde habetur 1) contra personam non modo privatam, sed etiam publicam, etiam proprium praelatum, ex c. 7, X, *De rest. spol.* II, 13; 2) contra minores et ecclesias aliasve personas morales quae minorum iure fruuntur, quia causa spolii est specialiter privilegiata (1); ita tamen ut minores nullum damnum subeant, sed eorum tutores, aut rectores condemnentur ad damnum illis resarciendum (2); 3) contra dominum aut priorem possessorem legitimum nisi *a*) isti rem sibi vi ablatam, vi quoque sed sine temporis intervallo seu in ipso congressu recuperaverint, quia qui se dicit spoliatum non fuit verus possessor, utpote momentaneus detentor, et exinde non fuit vere spoliatus; vel nisi *b*) qui se dicit spoliatum sit ipse *manifestus spoliator* illius qui est *notorius dominus* aut *possessor* legitimus, ut supra dictum est. — ... **spolii auctorem**: tum *mandantem*, qui arg. c. 2209, § 3, est spolii auctor principalis, tum *exsecutorem*, tum illos qui ad spolii consummationem *induxerint* vel in illud quoquo modo *concurrerint*, si sine eorum opera spolium non fuerit commissum, et influxum opportuna retractatione non abduxerint plene; sed *c*) non veniunt *ratihabentes*, nam excludit eos c. 2209, § 7, v. **aliive,** derogans cap. 15, X, *De rest. spol.*, II, 13, v. *saltem ratam habens*, quibus videtur approbasse ius romanum quo, etiam in hac parte, « ratihabitio mandato comparatur » (3).

... **detentorem**: etiam bonae fidei? Proculdubio; nam canon non distinguit, et, aliunde hanc interpretationem induxerant, multo ante saeculum XII, iurisprudentia canonica et consuetudo, quae usque ad promulgationem Codicis viguerunt.

Antiquioris praxis indicium et effectus, non causa, fuit famosus can. 3 *Redintegranda*, equidem apocryphus, sed communiter receptus tanquam genuinus Ioannis Pontificis an. 526

(1) L. *Meminerint*, C. *Unde vi.*
(2) Reiff., Lib. XII, Tit. XIII, § 2, n. 56.
(3) L. 12, ff. *De vi et vi armata.*

occisi a Theodorico Ariano, et a Gratiano insertus suae Collectioni sub hac rubrica q. 1: « Quod restitutio quibuslibet danda sit multis auctoritatibus probatur ». Post saeculum vero XIII « *mira concordia*, ait Lega (1), omnes, incipiendo a Glossa, interpretantur can. *Redintegranda* uti actionem personalem seu *condictionem* se extendentem ad restitutionem omnium rerum, etiam quoad bonae fidei possessores, ita ut talis canon quam citius pertransiverit ad forum laicum, extensus, hac efficacia, ad causas laicales ».

Cui concordiae non obest quod Schmalzgrueber, citans Bartolum et alios (2), hanc interpretationem totis viribus deneget can. *Redintegranda*, et concludat: « *spectato iure* tenenda est sententia negativa... in praxi standum est tribunalium consuetudini, qua in multis provinciis spoliati adversus quemlibet, etiam bonae fidei possessorem, restituuntur ». Fundamentum, certe grave, opinionis Schmalzgrueber et aliorum in hoc erat quod, non obstante can. *Redintegranda*, Innoc. III (quinquaginta annis post illius divulgationem), cap. *saepe* (3) necessarium exsistimavit extendere interdictum *unde vi*, seu actionem personalem spolii iuris romani quae dabatur tantum contra auctores et ratihabentes, sed extendit eam solummodo ad possessores malae fidei. Quam difficultatem solvunt Menochius et Reiff. cum ceteris dicentes « citatum c. *saepe*... ex professo agere contra leges civiles... iuxta quarum tenorem (denegandi actionem contra possessores etiam malae fidei) quidam iudices ecclesiastici procedebant; unde ad praecavendum tali praxi, et inde consequentibus malis, opus fuit novo iure et expresso decreto Pontificis, lato in Concilio generali ».

... **recuperandae**: en *effectus* et *scopus* ad quem datur actio recuperandae possessionis vel de spolio. Actio, inquam, nam exceptio alium effectum habet, ut statim videbimus. — ... **possessionis**: scilicet, rei una cum omnibus suis fructibus (4); sed nomine possessionis venit hic etiam quasi-possessio, seu exercitium iuris. Quoad fructus restituendos a possessore bonae fidei, necnon expensas a quolibet possessore deducendas, prae oculis habeantur quae diximus in com. ad c. 1685 super restitutione in integrum.

... **spolii exceptionem**: quae quidem habet effectum valde

(1) *De Iudic. civ.*, I, n. 226.
(2) *I. E. U.*, Tom. II, Par. II, § 2.
(3) Cap. 18, X, *De rest. spol.*, II, 13.
(4) Cfr. Reiff., Lib. II, Tit. XIII, § 6, et Schmalzgr. *I. E. U.*, Tit. II, Par. II, § 2.

diversum ab effectu actionis spolii: istius enim scopus et effectus est *recuperare* rem cum fructibus, aut exercitium iuris; effectus autem exceptionis, si haec probetur, est *repellere ad tempus* intentionem adversarii, id est, iudicium intentatum ab actore *differre* donec hic restituat, ut dicitur in c. 1699, sed non praecise obtinere restitutionem seu recuperationem; quae proinde non obtinebitur si actor desistere malit a iudicio. Hanc effectuum differentiam expressis verbis tradidit Innoc. III (1): *Nos autem distinguendum esse credimus utrum spoliationis quaestio ab iisdem nobilibus sit obiecta in modum actionis ad restitutionem petendam, an in forma exceptionis ad intentionem adversarii repellendam;* videlicet impediendo, saltem ad tempus, intentionem iudicii, nam addit: *ea* (exceptione) *probata legitime abbati* (actori spolianti) *non cogerentur* (nobiles spoliati) *respondere super petitionibus memoratis, donec restituerentur ab ipso... Verum spoliatione in modum exceptionis tantum probata, non est per hoc restitutio facienda.*

366. Q. II. *Quandiu admittuntur actio et exceptio spolii?*

R. ex § 2. **Haec actio non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit; exceptio, contra, perpetua est.**

...**anno**: ita iam ex iure romano (2). Quoad ius can. ante Codicem, dicit Reiff. (3); «quod de iure canonico interdictum *unde vi* sit perpetuum tam ad excipiendum quam ad agendum de damnis illatis, licet ad spoliatorem nihil devenerit, clare desumitur ex can. *redintegranda* 3, qu. 1, et passim observant Doctores... Exsistimarunt enim SS. Canones tam immane facinus uno anno non recte concludi». E contra Schmalzgrueber dicit (4) «interdictum *unde vi*... intentari non posse nisi intra annum... Excipe 1, de eo quod ad spoliatorem pertinet», seu quo locupletior factus sit.

367. Q. III. *Utrum actio et exceptio spolii proponi possint aut debeant ex officio.*

R. Licet generatim proponi possint et debeant *ad instantiam* tantummodo, ita ut spoliato consentiente in spoliationem, aut non petente immediatam restitutionem, haec non imponatur

(1) Cap. 2, X, *De ord. cogn.*, II, 10.
(2) L. 1, § *Annus* ff. *De vi et vi armata.*
(3) *L. c.* Tit. XIII, § 1.
(4) *I. C. U*, Tom. II, § 2.

eidem, ut innuit c. 1, X, *De rest. spol.* II, 13, v. *consentiente illo;* tamen, instante periculo animarum, « potest iudex facere restitutionem etiam non petenti, ut vitetur periculum peccati, arg. c. 9 et 14, X, *De conversione coniugat.* III, 32; in quorum priori loco coniugatus, faciens professionem Religionis uxore consentiente, et post huius mortem ducens aliam, iubetur, hac dimissa, redire ad monasterium; in altero vero casu reverti ad coniugem, si post propositum servandae castitatis nolit religionem ingredi sed solum in domo propria remanere. Abbas... et alii... atque innuit Glossa... loquens de presbytero, qui sine propria culpa fuit excommunicatus, suaque ecclesia privatus; sicque restitui debebat (ex officio) cum hanc alius sine periculo animae suae retinere non potuisset » (1). Item, quando « alteruter coniugum, auctoritate propria, alterum violenter prohibeat ab usu iurium acquisitorum... iudex, parte spoliata instante, vel ex officio, ad scandalum removendum, spoliatorem coget ut omnia restituat in pristinum statum » (2).

Can. 1699. — *De restitutione spoliatorum.*

Q. I. *Utrum, et quando facienda sit restitutio occasione exceptionis spolii?* 368.

R. Facienda est quando *a*) spoliatus exceptionem probaverit; *b*) spoliator iudicium prosequi voluerit; *c*) prius quam spoliatus spolianti respondeat super actione. Ita ex § 1. **Spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium, non tenetur respondere, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus.**

... **spoliantem:** intellige, non tertiam personam, sed actorem. Et quidem *secundum hoc loqui canones* antiquos iam declaravit Innoc. IV (3), qui in Conc. Lugd. 1245, ut occurreret fraudibus quae occasione exceptionis spolii frequenter committebantur (*frequens et assidua nos querela circumstrepit*) statuit exceptionem (quam appellare licebit *paupertatis*) contra tertium propositam, *a*) non esse admittendam in iudicio contentioso nisi spolium patratum fuisset ab actore; *b*) in criminalibus admitti quoad spolium a tertio factum, dummodo sit de tota substantia vel maiori parte eius, quia nudi contendere non possumus; *c*) probandam esse in quolibet casu intra quindecim dies; *d*) ei-

(1) Reiff., *l. c.* § 4, n. 75.
(2) Lega, *De Iud. civ.*, I, n. 231.
(3) Cap. 1, *De rest. spol.*, in VI°.

dem, in criminalibus probatae succedere debere, intra tempus designatum a iudice, actionem qua spoliatus *restitutionem imploret*, ad hoc ut non amplius nudus, sed suis bonis iterum vestitus, valeret contentionem cum actore prosequi. Stante autem instituto iuridico *gratuiti patrocinii* per Codicem inducto (cf. can. 1908 et sq.), non amplius adest ratio ob quam Innoc. IV exceptionem paupertatis toleravit in iudiciis criminalibus.

369. Q. II. *Quid probare debeat qui de spolio agit aut excipit?*

R. ex § 2. **Spoliatus ut in possessionem restituatur, nil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam.**

... spoliationem: id est, *possessionem* et *deiectionem* e *possessione*, ut dicit Alex. III in c. 10, X, *De off. deleg.* I, 29. Quae verba declarans Glossa, ait: « nota quod haec duo tenetur probare qui petit restitutionem ». Sed quoad probationem deiectionis seu spoliationis, 1) notant Innoc., Abbas, et alii apud Reiff. (1) quod « si, quis possidet rem bona fide, et alius postea eiusdem rei possessionem acquirit bona etiam fide, nisi constiterit priorem possessorem iure possessionem amisisse, fieri debeat restitutio possessionis, etiam non probata alia spoliatione... quia probata iusta antiquiore possessione, nova praesumitur vitiosa, nisi probetur hanc ex iusta causa fuisse acquisitam, cum duo simul eandem rem et eodem modo possidere non possint, c. 9, X, *De probat* ». 2) Apud eundem Reiff. *ibid.* n. 86, Mascardus, cum nonnullis aliis, citans quandam Decisionem Rotae, docet « quod in beneficialibus omnino debeat titulus colorari », ut spoliatus restitui possit; sed merito Schmalzgrueber dicit « spoliatum eo casu (si adversus ipsum non sit praesumptio vitiosi ingressus in beneficium) statim restituendum, etsi institutionis suae titulum non iustificavit vel coloravit » (2). Consentit Lega dicens quod « interdictum possessionis recuperandae in beneficialibus ordinariam habet exsecutionem » (id est, concedi debet absque iustificatione tituli) (3). Uterque affert textum c. 5, X, *De restit.* spol. II, 13, quo statuitur: *Respondemus prius de violenta eiectione quam de canonica institutione agi debere.* Huic clarissimo textui innixus Lega sententiam communem canonistarum, petentium aliquando iustificationem tituli, omnino reprobat, etiam pro eo casu quo « contra spoliatum obstet praesumptio iuris quae faveat spolianti ».

(1) *L. c.* Tit. 13, § 2, n. 54.
(2) Reiff., *l. c.* § 3, n. 68.
(3) *De Iudic.*, I, n. 234.

Obiectionem desumptam ex c. ult. *De rest. spol.* in 6, II, 5, *nequaquam debent restitui* (canonici) *nisi evidenter docuerint quod eorum possessionem* (percipiendi decimas) *legitime assecuti fuissent* (contra ecclesiam parochialem) subtiliter solvit Lega, tradens hanc doctrinam pro praxi utilissimam: « Verum Pontificis responsio apte conciliatur cum principiis actionis possessoriae, si advertatur hic non applicari interdictum *recuperandae* sed potius *retinendae* possessionis. Siquidem agitur actione *spolii* ad recuperandam possessionem vi ablatam, quando quis a possessione suae rei vel quasi-possessione sui iuris vi deiectus est ex magna et notoria iniustitia. Atqui Pontifex hic non reperit hanc notoriam iniustitiam, cum sit manifestum decimas de iure communi ad ecclesiam paroch. pertinere. Neque probatur interfuisse violentiam qua canonici exclusi sint ab actu colligendi decimas. Hac de causa canonicis, exposcentibus commodum remedium spolii, Pontifex respondet non esse restituendos, seu non debere ante omnia restitui, sed antea probandum esse possessionem non fuisse iniustam; quod praestari debet tantum in causa *retinendae* possessionis ».

Ad cuius intelligentiam probe advertatur quod impedimentum oppositum alicui actui in exercitio iuris, vel etiam omnibus actibus certo quodam tempore, non constituit spoliationem illius iuris, sed molestiam possessionis eiusdem, et, proinde, non dat locum actioni *recuperandae*, sed actioni *retinendae possessionis*. Hoc non advertentes canonici, seu « non satis intelligentes naturam possessionis iurium, arbitrabantur se esse spoliatos et spolii agere debere eo quia eo anno amplius non prosequebantur decimas colligere » (Ibid.).

Q. III. *Quando et quomodo restitutio rei* (*vel personae*) *sit* **370.** *suspendenda vel substituenda?*

R. Suspenditur, aut sequestratione substituitur quando occurit periculum; utrumque autem fit sive *ad instantiam*, sive *ex officio*. Ita ex § 3 h. c. **Sed si in restitutione rei vel exercitii iuris aliquod occurrat periculum (ex. gr., saevitiarum, cum vir contra uxorem postulat restitutionem coniugalis consortii), iudex, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, pro diversis personarum causarumve adiunctis decernat aut restitutionem suspendi, aut rem vel personam apud sequestrem custodiri, donec causa petitorio iudicio definiatur.**

...periculum: sive *corporis* sive *animae*, sive *laesionis*

iuris potioris. Exemplum prioris dat ipse canon dicens: ex. gr. **saevitiarum, cum vir contra uxorem** etc. Exemplum *periculi animae* habetur in casu quo coniux petit sibi restitui coniugem qui se propria auctoritate separavit et suae separationis causam affert impedimentum dirimens, nam restitutio in hoc casu foveret peccatum (1); aut quando beneficium restitui petit aliquis contra quem magna est praesumptio quod illud possidet sine titulo aut cum titulo vitioso, quo in casu restitutione induceretur vitiosus in beneficium ingressus qui omnino illicitus est iuxta reg. iuris 1 in VI° (2). Periculum *laesionis iuris potioris* aderit quoties ex restitutione timetur *scandalum*, aut *praeiudicium boni publici* gravius, aut *damnum irreparabile* cuiuslibet (3).

... diversis ... adiunctis ... definiatur: quorum adiunctorum nonnulla praecipua iuvabit hic referre doctrinae declarandae gratia. Itaque

1) Casu quo coniux spoliatus per discessionem alterius petat restitutionem, discedens vero renuat, afferens impedimentum dirimens, *a*) si impedimentum est *notorium* (cf. c. 1990) non decernitur restitutio, sed dissolvitur matrimonium *ratum*, declaratur vero nullum matrimonium *consummatum;* quia in notoriis nulla probatio nec iudicialis cognitio proprie talis (4); *b*) si impedimentum est *occultum*, et allegatur et apparet *dubium*, decernitur immediata restitutio *quoad cohabitationem* et alia obsequia coniugalia, quia in dubio standum est pro valore actus, id est matrimonii; sed non *quoad thorum* quia, stante dubio, restitutio exponit coniuges periculo certo peccandi (5); *c*) si impedimentum occultum allegatur *uti certum* sed non habentur *probationes paratae*, id est, taliter in promptu ut intra breve tempus a iudice determinandum cribrari possint, iniungitur restitutio quoad id respectu cuius praecessit possessio, id est, *quoad cohabitationem et thorum*, si matrimonium est *consummatum*, sed *quoad cohabitationem* tantum si matrimonium est *ratum;* si habentur *probationes paratae* incipitur statim iudicium *in petitorio*, et, donec finiatur, suspenditur restitutio (6). Quid post restitutionem in possessorio, sed ante definitionem in petitorio

(1) Cap. 13, X, *De rest. spol.*, II, 13; Reiff. et Schmalzg., *l. c.*
(2) Schmalzgr., *l. c.*, n. 67.
(3) Lega, *l. c.*, n. 236.
(4) Schmalzgr., *l. c.*, Tit. XIII, n. 62.
(5) Id., nn. 62, 63.
(6) Cap. 13, X, *De rest. spol.*, II, 13; Schmalzgr, *l. c.*, nn. 62, 63.

possit aut debeat in foro conscientiae facere (quoad debitum coniugale), vir in casu matrimonii rati, aut coniux reversus in casu matrimonii consummati prout iste aut dubius aut certus sit de impedimento, vel impedimentum sit iuris divini aut humani, vide apud moralistas (1). Si ex restitutione timeantur saevitiae, persona apud sequestrem custodiatur (§ 3, h. c.).

2) Casu quo coniux qui dicitur spoliatus petat restitutionem, coniux vero discedens renuat, allegans adulterium petentis, *a*) si adulterium est *notorium*, restitutio non conceditur quia laederet ius potius, imo exclusivum coniugis discedentis, nam adulter notorius privatur ipso facto iuribus coniugalibus; *b*) si non est notorium concedenda est restitutio « prius quam probationes de adulterio audiantur, etiamsi illae afferantur incontinenti »; nullum enim est in hoc periculum peccandi (2).

3) Si is qui dicitur spoliatus beneficio exhibeat titulum proprietatis *notorie vitiosum*, aut contra possessionem stet vehemens praesumptio quod sit vitiosa, non datur restitutio, quia hac induceretur ingressus in beneficium vitiosus, qui est omnino illicitus (3).

Can. 1700. — Q. *Iudicia possessoria quomodo absolvenda.* 371.

R. **Iudicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte in iudiciis retinendae vel recuperandae; citatis vero omnibus iis quorum interest, in iudiciis adipiscendae.**

... citata ... adversa parte: quia illius dumtaxat interest petitio quae fit actione possessoria sive *retinendae* sive *recuperandae*, nam illam solummodo tangunt effectus his actionibus forte obtinendi. — ... **adversa parte:** quae in iudicio retinendae possessionis est auctor turbationis; in iudicio autem recuperandae possessionis, sive auctor spolii sive detentor rei sublatae, prout spoliato placuerit, vel tum spoliator tum detentor si iudex, vel ad instantiam vel ex officio, id decreverit. — ... **omnibus:** id est, in primis parte adversa si adsit, ut in actionibus de adeundis hereditate aut legato ab alio, *pro herede aut legatario*, occupatis, vel de urgenda traditione rei, aut pretii post contractum consensualem, etc.; deinde alii, quos effectus actione intentus tangere possit, v. g. heres qui aliquem non legatarium possi-

(1) Id., *l. c.*, n. 64.
(2) Id., *l. c.*, n. 65.
(3) Id., *l. c.*, nn. 68, 69.

dere permisit *pro legato;* sodales collegii, etiam illi qui nullo modo possessioni a novo sodale adipiscendae obstiterint ante actionem *adipiscendae* propositam.

CAPUT VII.

De exstinctione actionum.

Expositio rubricae.

372. Q. I. *Multiplex modus exstinguendarum actionum a) contentiosarum, b) criminalium.*

R. I. Aliter exstinguuntur actiones contentiosae aliter et valde diverse actiones criminales et poenales, utpote quae non subiiciuntur privatorum conventionibus; utraeque autem diversis modis. *Actiones contentiosae* cessant iisdem modis ac *obligationes*, veluti *interitu rei, donatione, solutione, transactione, praescriptione.*

R. II. Ad actionem *criminalem* quod attinet praemittere oportet quod considerari potest *a)* qua est *ius persequendi in iudicio crimen* seu accusandi aliquem in ordine ad poenam, sive inferendam sive declarandam (incursam) per sententiam, et tunc est *actio criminalis* proprie talis; vel *b)* qua est *ius petendi in iudicio poenam*, id est exsecutionem poenae, et tunc dicenda est *actio poenalis.* Iamvero

1) Utraque reservatur uni promotori iustitiae (c. 1934), nec ab eo potest *donari* seu *condonari* vel *cedi* aliis, et proinde non potest cessare hoc modo. 2) Cum in Ecclesia non agnoscantur *crimina privata*, nam omnia considerantur tanquam bono publico noxia, non admittitur *transactio* velut unus ex modis ad exstinguendas vel accusationem vel poenam. 3) Reiicitur quoque *compositio*, quatenus est *solutio pecuniae quae accusatori cedat;* 4) Sed iudex qui valeat in aliquo crimine *dispensare*, vel poenam remittere, poterit eam *commutare cum mulcta pecuniaria* vel admittere reum *ad compositionem*, quatenus haec est *solutio pecuniae quae in pios usus eroganda est* (1), et tunc actio criminalis cessat. 5) Iure romano modus potissimus exstinguendi accusationem et exinde poenam erat *abolitio*, vel *generalis*, quae a Principe, vel *specialis*, quae a Praesidentibus Provinciarum, vel *legalis* quae morte rei vel aliter fiebat. Duae priores abolitiones usque viguerunt in Ecclesia sub nomine *dispensationum*

(1) *Conc. Trid.*, Sess. VI, c. 1 *De ref.* — Cf. c. 2297.

aut *absolutionum*. 6) Romani *praescriptionem* induxerunt quoque in actionibus criminalibus, licet serius; eandem admisit ius canonicum saltem postremis temporibus. Sed haec quaestio, olim salebrosa, speciale examen meretur; quapropter

Q. II. *Fundamentum praescriptionis*, 1) *in contentiosis;* 2) *et in criminalibus.* **373.**

R. I. Quoniam iura sine protectione iudiciali sunt parum utilia, adeo ut, apud romanos, qui carebat actione reputabatur carere iure, opus est ut omnis societas perfecta iuribus suorum sodalium recognoscat, vel concedat actiones et exceptiones; sed, quasi e converso, *propter vitandam miserorum segnitiem et longi temporis errorem et confusionem* (1) quae nascuntur ex ignavia illorum qui res aut iura sua ab aliis possideri permittunt, publica auctoritas societatis, cui « expedit..... dominia rerum certa esse » (2), *usucapioni* seu *praescriptioni* vim legis imposuit (3); qua iudicialis tuitio iuris, imo ipsum ius cessarent. Et revera, teste experientia, bonum publicum vel ipse publicus ordo non parum pendent a possessionibus rerum probe inter se discretis et ab usu iurium certo et pacifico. En ratio legum imponentium durationem temporaneam seu *exstinctionem actionum vi praescriptionis* seu voluntate legis, praeter alios modos quibus eaedem ex voluntate auctoris aut ipsa earum natura cessare possunt. Haec autem ratio non tenet *quoad exceptiones*, quippe quae ex se naturam defensionis habent, nulli unquam ex iure naturali denegandae, et ideo sunt perpetuae.

R. II. Ex dictis praescriptio in contentiosis provenit ex eo quod « expedit reipublicae dominia rerum certa esse », et proinde illius interest habere tanquam actionum renuntiatarios omnes qui eis non usi fuerint intra certum determinatum tempus. In criminalibus nequit praescriptio eidem fundamento inniti; nam promotor iustitiae cui soli reservata est actio criminalis (can. 1934), non valet renuntiare iuri suo persequendi crimina, quod suum quoque munus gravissimum est, nec potest tanquam renuntiatarius reputari a iudice vel a publica auctoritate, maxime in Ecclesia, quae hoc modo ratam haberet et probaret illius negligentiam in criminibus opportune denuntiandis et accusandis; et, insuper, permitteret manere sine remedio *inquietudinem socialem* ac *scandalum*, id est, damnum

(1) Cap. 5, X, *De praescript.*, II, 26.
(2) Arg. L. 1, ff. *De usurp. et usuc.*
(3) Cap. 5, *tit. cit.*

mediatum (1), quod, praeter damnum *immediatum* peculiari uniuscuiusque criminis, oritur ex quolibet crimine, et quod, quatenus auferendum, constituit obiectum potestatis socialis poenalis seu punitivae et sola actione criminali ac inde consequenti punitione aufertur directe. Attamen praedictum damnum mediatum, seu inquietudo socialis ac scandalum, aufertur indirecte ex se, seu evanescit tractu temporis, longioris vel brevioris pro natura delicti, et nova inquietudo et turbatio oriretur praecise ex eo quod accusatio criminis iam sopiti instauraretur; quam proinde evitare oportet. Igitur *necessitas vitandi novam perturbationem est fundamentum praescriptionis rationabile et sufficiens praescriptionis actionis criminalis.*

374. Q. III. *Institutum praescriptionis in veteri iure*, 1) *in contentiosis;* 2) *in criminalibus;* 3) *in poenalibus actionibus.*

R. I. *Institutum canonicum praescriptionis in contentiosis* exactum erat in iure veteri ad leges iuris romani, nonnullis mutatis vel adiectis *quoad obiectum* et alia, maxime autem correcto illo iure *quoad bonam fidem*, quam Ecclesia, ius naturale tuita, voluit haberi **non modo in initio verum etiam toto possessionis tempore.** Ceteris omissis, quia in posterum **praescriptionem... prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia..... recipit** (can. 1508), pro intelligentia iuris veteris innuere sufficiat regulas quae quoad tempus pro praescriptione hucusque viguerunt, eo vel magis quod non adeo differunt ab iis quae penes praecipuas nationes vigent, videlicet:

1) Res mobiles, sive privatorum sive ecclesiarum, possessae cum bona fide et titulo iusto, nempe colorato, praescribebantur triennio (2). 2) Res immobiles privatorum cum bona fide et iusto titulo, praescribebantur decennio inter praesentes et bicennio inter absentes (3). 3) Omnes res et actiones sine titulo sed cum bona fide praescribebantur triennio, nisi ius resisteret (4). 4) Praescriptio contra Ecclesiam in genere (id est, ecclesias particulares, loca pia etc.), in rebus immobilibus et iuribus complebatur quadraginta annis (5). 5) Praescriptio contra Ecclesiam Romanam, id est, Sedem Apostolicam, non

(1) Cfr. Lega, *De Iudic. Eccl. crim.*, Lib. II, Vol. III, n. 24 et sq.
(2) Auth. *Quas actiones*, C. *De sacr. Eccles.*; cap. 8, X, *De praescr.*, II, 26.
(3) Auth. *Quod si quis*, Cap. *De praesc. longis temp.*; L. un. Cap. *De usuc. transformat.*
(4) Cap. 1, *De praescr.* in VI°; L. *Cum notissimi*, C. *De praescr.*
(5) Cap. 8, X, *De praescr.*, II, 26.

complebatur nisi spatio centum annorum (1). 6) Omnibus praestabat praescriptio immemorialis, seu centum annos et memoriam hominum excedens, quae privilegio aequipollebat et nullum requirebat titulum, etsi ius resisteret. 7) Tempus possessionis debebat esse *continuum*, id est non interruptum nec suspensum. Iamvero possessio interrumpebatur, *a*) vel *naturaliter* si praescribens amittebat sive possessionem sive bonam fidem ; vel *b*) *civiliter*, scilicet, si possessor vocabatur in iudicium, seu per citationem. Possessio autem *suspendebatur* vel *dormiebat* contra non valentes agere, ob impedimentum sive iuris quale habetur in Ecclesia vacante, sive facti utpote si praelatus ecclesiae dilapidaret bona, aut ab hostibus detineretur.

R. II. Romani institutum praescriptionis, antea inductum pro actionibus civilibus, extenderunt postea *ad actiones criminales ;* sed in iure canonico praescriptio in hisce non adeo expresse continebatur ulla lege, sed solum indirecte recurrit in c. 6, X, *De except.*, II, 25. Hinc plures canonistae illud quidem admittebant sed innixi tantum illi communi regulae expressae in c. 1, X, *De novi op. nunt.*, V, 32 : *sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuvantur* seu supplentur ; alii vero, uti Schmalzgr., maxime recentiores, ut Bouix, Craisson, De Angelis, Gentilini, etc., negabant praescriptionem attendi posse aut debere. Quaestio a Curia Lublinen. proposita fuit die 22 Aug. a. 1896 S. C. Conc., quae eandem, animadversionibus adornatam, transmisit ad S. C. EE. et RR. Haec die 22 Mart. 1898 decretum edidit : *traslatitii iuris esse in causis criminalibus ecclesiasticis locum habere praescriptionem.;* quam S. C. appositis statutis expressit ius romanum fere referentibus. Nonnulla ex illis statutis Codex demulcendo mutavit, praecipue decernens : *a*) ut praescriptio teneat quamvis non opponatur uti exceptio ; *b*) omnia delicta praescribantur.

R. III. « Praedictum decretum respiciebat tantum praescriptionem actionum criminalium, non praescriptionem poenarum et proinde actionis poenalis ; poenas autem non praescribi traslatitii iuris erat tum romani tum canonici » (2) ; unde, quoad actiones poenales manebat dubium, quod quidem Codex resolvit c. 2240 : **Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703** ; qui, nempe, agit de tempore utili ad praescriptionem actionis criminalis.

(1) Cap. 13, 14, X, *De praescr.*, II, 26 ; cap. *De eod.* in VI°.
(2) Lega, *De Iudic. Eccl.*, Lib. II, Vol. IV, n. 189.

Expositio textus.

375. **Can. 1701.** — Q. *De exstinctione actionum in contentiosis: quaenam exstinguantur et quibus modis.*

R. **In contentiosis actiones tum reales tum personales exstinguuntur praescriptione ad normam can. 1508-1512; actiones autem de statu personarum nunquam exstinguuntur.**

... **actiones**: id est, *omnes* (exstinguuntur praescriptione) praeter eas *de statu personarum* hic exceptas, et illas pro quibus determinata duratio expresse praefinitur in hoc Titulo vel alibi, scilicet: 1) *actiones nullitatis sententiae*, quae proponi possunt intra 30 annos (c. 1893, § 2); 2) *quaedam actiones rescissoriae ex errore*, quae biennio concluduntur (c. 1684, § 2); 3) *actio restitutionis in integrum*, quae tractari debet intra quadriennium (c. 1688); 4) *actio retinendae possessionis* (c. 1695, § 2) et *actio spolii* (c. 1698, § 2) quae non admittuntur praeterlapso anno.

... **praescriptione**: quae primitus a latinis vocata est *usucapio*, quasi *capere usu*, et a Modestino definitur: *adiectio dominii per continuationem possessionis temporis a lege definiti* (1). *Praescriptio* igitur, sic dicta quia inter exceptiones a reo opponendas illa prae aliis seu ante ceteras scribi debebat, heic significat, ex c. 1508, **acquirendi** (praescriptio *acquisitiva*) **et se liberandi modum** (praescriptio *exstinctiva*). Hic autem modus in quadam *implicita renuntiatione* consistit, « vix est enim ut non videatur alienare (renuntiatione implicita) qui patitur usucapi » (2), « cum sufficiat dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium » (3).

Quod attinet ad modos exstinguendi actiones contentiosas, hoc verbo **praescriptione**, exprimitur quidem unus sed continentur tres modi exstinguendi eas, videlicet: 1) *renuntiatio implicita sed directa* actionis, id est, *praescriptio:* 2) a fortiori, *renuntiatio actionis directa expressa:* 3) *renuntiatio actionis indirecta*, nimirum, renuntiatio iuris (quod ea munitur), *sive expressa*, *sive implicita* in iuris alienatione. Quibus addendus est quartus modus, scilicet, *amissio iuris*, sive interitu rei, sive solutione debiti, etc.

... **ad normam can. 1508-1512**: normae autem praecipuae,

(1) L. 3, ff. 41, III.
(2) L. 28, ff. Tit. *De verb. signif.*
(3) L. 1, ff. *De praescr.*

hic recolendae, sunt quod: 1) **praescriptionem, tanquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit,** salvis nonnullis limitationibus (c. 1508); 2) nonnullae res (et haec est prima limitatio) in c. 1509 expressae, excluduntur *absolute* a praescriptione; 3) aliquae, in c. 1510 expressae, excluduntur *relative;* 4) res pretiosae et iura, **quae pertinent ad Sedem Apostolicam spatio centum annorum praescribuntur; quae** vero **ad aliam personam moralem ecclesiasticam spatio triginta annorum** (c. 1511); 5) **nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur... toto possessionis tempore** (c. 1512).

... statu personarum: v. g. actiones ad obtinendam declarationem nullitatis matrimonii, aut ordinis sacri aut professionis religiosae. Haec iure Tridentini exstinguebatur quinquennio (1) sed manebat actio restitutionis in integrum contra lapsum quinquennii; quae limitatio recte aboletur, cum hodie volenti liberationem a votis etiam sollemnibus aperta sit via dispensationis. Cfr. c. 640, § 1, 2°. Quoad actiones respicientes matrimonium vide limitationem in c. 1972.

Can. 1702. — *De exstinctione actionis criminalis et poenalis.*

Q. I. *Triplex modus exstinctionis actionis criminalis.* **376.**

R. **Omnis criminalis actio perimitur morte rei, condonatione legitimae potestatis, et lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam.**

Omnis: non ita iure veteri, quod praecipiebat ut « *criminibus... parricidii... apostatatus, haeresis, simoniae* (et aliis) *nullo tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivunt, accussari et inquiri possunt* » (2). — **... criminalis actio:** proprie talis, id est, *ius accusandi delinquentem seu persequendi in iudicio crimen in ordine ad poenam vel infligendam vel declarandam uti incursam.* Differt non modo ab actione *contentiosa,* qua quis vindicat sibi ius ut dictum est **n. 372,** sed *ab actione poenali* proprie tali, ut dicetur in Q. II. Et quidem post promulgationem Codicis uni promotori iustitiae reservatur (c. 1934); unde abolita est *actio popularis,* seu ius cuilibet de populo hactenus competens non modo denuntiandi crimen (quod ius adhuc viget c. 1935) sed et promovendi actionem tanquam actor usque ad obtinendam sententiam.

(1) Sess. XXV, *De regular.*, cap. 19, *De prot. vel.*
(2) Decret. S. C. EE. supra citatum.

. . . **perimitur:** id est exstinguitur *ipso facto*, ut innuit verbum **perimitur** positum in *tempore praesenti modi indicativi;* quin proinde exspectari debeat aut possit ut reus opponat exceptionem condonationis aut lapsus temporis seu praescriptionis, ut praecipiebat ius vetus iis verbis: *huius vero praescriptionis eum proprium effectum esse ut solam perimat actionem poenalem, siquidem per accusatum vel inquisitum, aut per eius procuratorem expresse in iudicio de praescriptione opponatur.* Ex verbo, **perimitur,** eruitur quoque non esse amplius integrum iudici circa delinquentem inquirere in ordine ad iudicium criminale instituendum et poenam inferendam, bene vero in ordine ad remedia non poenalia, de quibus in c. 2222, § 2, ut patet ex c. 1704, 2°.

. . . **morte:** nam actio criminalis est *persecutoria poenae*, quae a delinquente danda est, non ab heredibus. Verumtamen si quae ex delicto oriatur actio contentiosa ad resarcienda damna transit ad eius heredes, quia est *persecutoria rei*, ille autem ad quem res transit, assequitur rem cum omnibus ipsius oneribus veluti cum omnibus iuribus. Item actio poenalis ad poenam pecuniariam, v. g. *mulctam*, iam orta vivente delinquente aut vi sententiae condemnatoriae, transit ad heredes, seu urgeri potest in heredes vel successores in bonis delinquentis, quia illa pecuniae summa iam ante mortem delinquentis transierat in dominium actoris (1).

. . . **condonatione legitimae potestatis:** scilicet, *a*) omnis **qui potest a lege eximere...** quoad **poenam legi adnexam** (c. 2236, § 2); *b*) Ordinarii in casibus publicis quoad **poenas latae sententiae iure communi statutas,** pluribus tamen exceptis (c. 2237, § 1); *c*) eiusdem in casibus occultis, quoad **poenas latae sententiae iure communi statutas... exceptis censuris specialissimo vel speciali modo S. Ap. reservatis** (canon 2237, § 2). Heic pariter advertere iuvat quod, sublata per condonationem actione poenali, non ideo tollitur actio contentiosa, forte ex delicto orta, ad damna sarcienda, nam in poenis seu iure poenali dispensare integrum fere usque est legislatori; in rebus autem privatorum ex delicto ortis non semper derogare potest. Cfr. c. parallelum 1704.

. . . **lapsu temporis:** id est, praescriptione. — . . . **utilis:** id est, quo durante nullum exstitit impedimentum sive iuris

(1) Schmalzg., *I. E. U.*, h. Tit., n. 125; Lega, *De Iudic. Eccl.*, Lib. II, Vol. IV, num. 192.

sive facti (cf. Expos. Rubr. Q. III, R. I) quominus actio proponeretur.

Q. II. *Actio poenalis* 1) *quid sit et* 2) *an, et quando praescriptione aboleatur.* 377.

R. I. *Actio poenalis est ius petendi in iudicio exsecutionem poenae.* Pariter ac actio criminalis, cuius est pars et complementum essentiale, reservata est promotori iustitiae (c. 1694), seu non amplius est actio popularis.....

R. II. Nullum dubium quin ea, prout est diversa vel quoad id in quo differt ab actione criminali, sit obnoxia praescriptioni, nam hoc edicitur expresse canone 2240: **ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703.** Sed difficultatem facessit agnoscere quandonam praescribat, cum certum omnino sit praescriptionem non posse habere locum quoad plures poenas ecclesiasticas, illas nimirum quae statim ac irrogantur sive ministerio legis, ut poenae *latae sententiae* (utrum omnes, an aliquae dumtaxat postea videbimus), sive ministerio iudicis, ut *censurae etiam ferendae sententiae, secum trahunt exsecutionem*, seu, nullo interiecto spatio temporis quo praescriptio compleri valeat nec quidem incipi, effectum suum sortiuntur, id est, delinquentem tenent, ligant, obligant ad illarum observantiam (can. 2232, 2243). Nostram sententiam breviter pandimus duabus sequentibus propositionibus, quarum una respicit actiones erga *poenas ferendae sententiae*, altera actiones quoad *poenas latae sententiae*.

1) Actio poenalis *quoad poenas ferendae sententiae*, orta ex sententia condemnatoria, praescribit quoties promotor iustitiae omiserit poenae exsecutionem efficaciter, quantum in se est, procurare intra tempus praescriptioni praefixum, expostulando, si opus fuerit, **exsecutorium iudicis decretum** (c. 1918), et alias diligentias opportunas circa reum peragendo; praesumendum est enim promotorem iustitiae ita se gerentem obtinuisse approbationem legitimi Superioris, quia, sicut hic potest poenam expresse remittere, potest eandem tacite condonare abstinendo ab urgenda exsecutione. Si vero promotor iustitiae decretum exsecutorium de facto obtinuerit, et diligentias erga reum opportunas peregerit quin tamen ad exsecutionem de facto pervenerit, quia impossibilis fuit ob fugam rei aut oppositionem eiusdem irresistibilem, puto actionem non praescribi, id est, non amittere suam efficaciam vi canonis 2240; etenim, *a*) *nemini debet sua fraus patrocinari;* et *b*) praescriptio, quae in bonum publicum inducta

est, nequit in contemptum publicae auctoritatis detorqueri. Attamen potest actio, decursu temporis, efficaciam amittere vi legis naturalis, quae vetat perturbationem renovari exsecutione poenae ob crimen obliteratum.

2) Non praescribit actio poenalis quoad poenas *latae sententiae*, cum non indigeant ulla declaratione ad hoc ut suum effectum obtineant; et quidem: *a*) *suapte natura*, *poenae negativae*, seu quae, ut inhabilitates et irregularitates, ad ipsarum exsecutionem non requirunt ullum actum physicum ex parte patientis aut alterius; *b*) *voluntate vero legis*, etiam iure veteri, *censurae* seu *poenae medicinales*, *etiam ferendae sententiae*, quippe quae vi canonis 2243 **exsecutionem secumferunt;** necnon, *c*) *iure novo*, vi canonis 2232, § 1, quaelibet *poena latae sententiae*, *etiam vindicativa*, sive sit *positiva*, id est, quae ad suam exsecutionem exigit aliquem actum physicum patientis aut alterius, ut puta solutio mulctae, sive sit *negativa mixta*, seu quae ad suam exsecutionem requirit aliquam omissionem, ex parte patientis, ut privatio vocis activae, quae includit abstentionem ab emittendo suffragio; nam iure communi expresso in illo canone, quaelibet poena latae sententiae **delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet,** id est, a momento commissi criminis, nullo interiecto spatio temporis quo praescriptio valeat compleri, et nec quidem incipi.

Huic nostrae sententiae non officit gravissima auctoritas Card. Lega, nam eius contraria opinio concedens praescriptionem actioni poenali quoad poenas latae sententiae innitebatur iuri antiquo, prout interpretatione evidenter restrictiva a Doctoribus declarabatur, vel potius dicebatur receptum, iuxta quos poenae latae sententiae si erant *positivae* aut etiam *negativae mixtae* non incurrebantur seu delinquentem *non tenebant* ante sententiam declaratoriam; hoc autem vetus ius, vel potius haec iuris veteris restrictiva interpretatio dicenda sunt evanuisse utpote manifeste adversa iuri novo, vi cuius quaelibet poena l. s. **delinquentem ... ipso facto ... tenet,** ante declarationem. Equidem haec etiam hodie requiritur, sed dumtaxat ad cogendum reum ad poenam servandam in foro externo, seu ad conferendum poenae plenum effectum, non autem ut poena suum sortiatur effectum vel exsecutionem, quemadmodum requirebatur prius vi benignae et restrictivae interpretationis a Doctoribus datae iuri antiquo.

Can. 1703. — Q. *Tempus utile ad proponendam actionem,* 1) *tum criminalem, tum* 2) *poenalem.* 378.

R. I. ex h. c. **Firmo praescripto can. 1555, § 1 de delictis Sacrae Congregationi S. Officii reservatis, tempus utile ad actionem criminalem proponendam est triennium, nisi agatur:**

1° De actione iniuriarum, quae uno anno perimitur;

2° De actione ob delicta qualificata contra VI et VII divinum praeceptum, quae quinquennio perimitur;

3° De actionibus ob simoniam vel homicidium, contra quae actio criminalis decennio perdurat.

.....S. Officii: quod **suo more institutoque procedit,** quoad formam iudicialem, **sibique propriam consuetudinem retinet,** quoad cetera, et proinde quoad durationem etiam forsitan perpetuam actionis tum criminalis tum poenalis. — **...criminalem:** id est (repetere iuvat) ius persequendi in iudicio delictum et delinquentem in ordine ad poenam, *a*) infligendam, vel *b*) declarandam incursam. — **...iniuriarum:** id est, iniuriae cuiusque generis. Circa quod animadvertere oportet, 1) *iniuriam* accipi hic non *sensu lato*, prout est *laesio cuiusvis iuris*, sed *sensu stricto*, quatenus est *laesio honoris* seu *imminutio aestimationis* alicuius personae penes alias, dictis, aut factis aut scripto commissa; 2) iniuriam esse quadruplicis generis, seu committi posse quadrupliciter, nimirum: *a*) aliquid aestimationis diminutivum, licet verum, alicui personae imputando, sed illegitime, quo casu haberetur *simplex iniuria; b*) imputando falso aliquid iniuriosum, et tum adest *calumnia* seu *iniuria calumniosa;* vel *c*) divulgando aliquid iniuriosum, sive falsum, sive etiam verum, dummodo non manifestum ex hoc quod deductum sit in iudicium; et tunc esset species iniuriae quae dicitur *diffamatio;* vel *d*) aliquid, diminutivum *realiter* aestimationis alíus, perpetrando, v. g. stuprum, adulterium, colaphum. — **...qualificata:** id est quae cum alia qualitate seu specie criminis sunt coniuncta, v. g. raptus violentus libidinis explendae causa, stuprum cum violentia, adulterium cum incestu, furtum sacrilegum, rapina.

R. II. Ex c. 2240 *tempus utile* ad actionem poenalem proponendam est idem ac pro actione criminali, et ideo diversum iuxta diversitatem criminum, prout explicatum est.

Can. 1704. — Q. *De effectibus actionis criminalis; utrum,* 379.
nempe, 1) *hac sublata, tollatur actio de damno dato, vel* 2) *tollatur Ordinario facultas utendi aliis remediis non poenalibus.*

R. Negative ad utrumque, ex h. c.: **Sublata per praescriptionem actione criminali:**

1° Non est hoc ipso sublata actio contentiosa, forte ex delicto orta, ad damna sarcienda;

2° Ordinarius remediis can. 2222, § 2 statutis uti adhuc potest.

...per praescriptionem: quam quidem, si voluisset legislator, potuisset ad actionem contentiosam extendere nullatenus offenso iure naturali; et, quia non fecit, convenienter apposito canone expressit. — **...ad damna**: utputa si ex legibus civilibus alicuius nationis actio ad damna sancienda ob stuprum violentum concedatur ad decennium, perdurat adhuc uno quinquennio postquam praescripta fuit actio criminalis ad poenam. — **...remediis can. 2222, § 2 ...uti adhuc potest**: hoc autem postremo verbo significatur quod **non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae.**

380. **Can. 1705.** — Q. *Ex quo currit praescriptio* 1) *in contentiosis et in criminalibus in genere;* 2) *in delictis cum tractu successivo;* 3) *in delicto habituali vel continuato?*

R. I. ex § 1. **Praescriptio in contentiosis currit ex quo actio primum potuit iure proponi; in criminalibus, a die patrati delicti.**

...potuit: quia nullum exstitit vel, si quod exstiterit, cessavit impedimentum, 1) *iuris*, v. g. quia ecclesia habebat vel incipit habere suum legitimum rectorem, minor pervenit ad maiorem aetatem, etc.; 2) *facti publici probati*, v. g. quia non aderat vel cessavit pestis, bellum, etc. — **...patrati delicti**: absque ulla distinctione inter crimen publicum et occultum. Qua in re habetur quoque derogatio iuris veteris quo ediceb atur: *Si delictum fuerit totaliter occultum, praescriptionem non a die commissi criminis sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet* (1). Ergo criminis ignoratio ex parte promotoris iustitiae est *factum privatum*, quo non obstante tempus pro praescriptione actionis criminalis currit a die patrati delicti. Intellige tamen *tempus utile*, id est, tale ut eo incipiente non

(1) Cap. 1, X, *De libelli oblatione*, II, 8; cfr. Wernz, h. t.

exstiterit aut eodem durante non supervenerit *impedimentum sive iuris sive facti publici*, ut dictum est in c. 1703.

R. II. ex § 2. **Si delictum habeat tractum, ut vocant, successivum, non currit praescriptio, nisi a die qua delicti tractus cessaverit.**

... **tractum ... successivum**: id est si constat vel constituitur ex actibus successivis inter se colligatis, veluti concubinatus. — ... **tractus cessaverit**: seu series actuum rupta est.

R. III. ex § 3. **In delicto habituali vel continuato praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum; et conventus ob aliquem criminosum actum non praescriptum, tenetur de antiquioribus, qui cum eodem actu connectuntur, etiamsi singulatim sumpti ob praescriptionem excluderentur.**

... **habituali**: id est, violatione unius et eiusdem legis iterata usque ad contrahendum habitum delinquendi in illam. — ... **continuato**: seu iterato citra acquisitionem habitus delinquendi. — ... **connectuntur**: sive quia crimen antiquius commissum fuit tanquam medium ad perpetrandum crimen posterius, v. g. si quis arma furavit quibus opportuno tempore occideret vel ad rebellionem excitaret; sive quia crimen posterius commissum fuit ad occultandum antiquius, ut si quis aliquem occidat quem in furto vel alio delicto complicem habuit et in iudicio testem vel accusatorem habere timet.

TITULUS IV.

De causae introductione.

Expositio rubricae.

Q. I. *Tituli* 1) *connexio cum praecedentibus ac subsequentibus;* et 2) *ordo internus.* 381.

R. I. Inde ab hoc Titulo usque ad Tit. XVI absolvitur tractatio *de forma iudicii extrinseca;* quae est quartum elementum essentiale eiusdem, ut dictum est **nn. 16, 23** et solet appellari *tela iudicii*. In **nn. 24, 25** diversas partes seu periodos in forma extrinseca vel tela iudiciaria considerandos adumbravimus, quarum prima est *introductio causae*, de qua, ut naturalis ordo exigit, agitur in hoc Titulo.

R. II. *Introductio causae* complectitur necessario duo genera actuum: *a*) ex parte actoris, *actionis propositionem*, quae

fit *per oblationem libelli;* et *b*) ex parte iudicis seu tribunalis, *propositionis reiectionem, vel,* e contra, *eiusdem admissionem,* et inde consequentem alterius litigantis *citationem.* Hinc duo capita ex quibus hic Titulus constat, quorum primum *de libello,* alterum *de citatione.*

CAPUT I.

De libello litis introductorio.

Expositio rubricae.

382. Q. I. *Libelli notio, partes, divisio, qualitates, vitia, mutationes.*

R. Libellus est brevis scriptura continens clare actoris petitionem et petendi causam. — Tres partes in eo considerantur: *a*) *narratio,* seu *summaria facti species,* ex qua sufficienter appareat quodnam sit *obiectum litis,* et quaenam sint *personae contendentes,* et quodnam *tribunal competens; b*) *causa petendi,* seu ut dicitur, *medium concludendi,* sufficienter indicata, ut iudex et adversarius sciant quo iure agitur; *c*) *petitio ipsa,* seu *conclusio.* Ita passim canonistae de hac materia. — *Libellus dividitur* in *contentiosum,* qui hactenus *civilis* aut *conventionalis* dictus est, et *criminalem* aut *poenalem;* prout eodem proponatur *actio contentiosa,* aut *actio criminalis* vel *poenalis.* — Debet esse *brevis* et *clarus,* quo actori respondere valeant quantocius iudex illum reiiciendo vel admittendo, adversarius vero litem acceptando vel evitando. His qualitatibus opponuntur *prolixitas* aut *obscuritas* in narrando, *insufficientia* in causa indicanda, *petitio alterna* aut alias *aequivoca,* et alia id genus vitia quae libellum reddant *ineptum.* Quae tamen vitia sanare possunt *mutatio* seu *correctio substantialis,* et *emendatio* seu *correctio accidentalis.*

383. Q. II. *Evolutio historica.*

R. Primis Ecclesiae saeculis videtur accusatio seu propositio actionis fuisse facta viva voce, ut iam innuimus **n. 34.**

Initio saeculi IV Donatistae libellos accusatorios contra Caecilianum Archiepiscopum Cartaginensem Imperatori Constantino obtulisse constat; et in Concilio Tyrensi a. 335 Episcopi Aegypti accusationem scriptam porrexerunt contra Eusebianos. Deinceps

hic mos adeo invaluit ut in Concilio Suessonensi licuerit Ignaro Episcopo « *reclamationis vel postulationis* » libellum exigere « *secundum ecclesiasticam auctoritatem* » seu traditionem (1). Hanc autem diversae Decretalium Collectiones susceperunt, inter quas Collectio Gregorii IX, sub apposito Titulo: *De libelli oblatione.*

Expositio textus.

Can. 1706, 1707. — *De propositione actionis, seu de oblatione libelli, aut petitione vel provocatione ad iudicium.*

Q. I. *Qui aliquem convenire vult, quid debeat facere,* 1) *ordinario;* 2) *si scribere nescit;* 3) *in causis facilioris et minoris momenti.* 384.

R. I. ex c. 1706: **Qui aliquem convenire vult, debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis ad deducta iura persequenda expostuletur.**

Qui: id est, quilibet, etiam promotor iustitiae in causis boni publici, v. g. matrimonialibus (c. 1971, § 1, 2), et in criminalibus (cf. c. 1955). — **... obiectum:** cum accessoriis in c. 1708 praescriptis. — **... ministerium ... expostuletur:** nam alias libellus non esset propositio actionis et provocatio ad iudicium, sed quaedam relatio historica, aut, ad summum, iuridica informatio.

R. II. ex c. 1707, § 1: **Qui scribere nescit, aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat, oretenus petitionem suam coram tribunali proponere potest.**

R. III. ex eod. c., § 2. **Item in causis facilioris investigationis et minoris momenti ac propterea cito expediendis, iudicis arbitrio relinquitur petitionis admissio oretenus sibi facta.**

... facilioris ... momenti: uti sunt causae incidentes (c. 1837 sq.), et aliae iuxta prudens arbitrium iudicis.

Q. II. *Libellus aut petitio actoris qualiter notanda?* 385.

R. ex eod. c., § 3. **In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.**

(1) C. 1, X, *De libelli oblat.*, II, 3; Cf. Wernz, *I. Decretal.*, L. II, Sect. II, Tit. XVII.

Can. 1708. — *De tenore et forma libelli extrinseca.*

386. Q. I. *Libellus introductorius*, 1) *quid exprimere debet;* 2) *quid indicare;* 3) *a quo subscribi, et quibus sollemnitatibus?*

R. ad tria ex h. c. **Libellus quo lis introducitur debet:**

1° Exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur, et a quo petatur;

2° Indicare, generatim saltem, quo iure innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;

3° Subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.

... **coram quo iudice**: expresso eius nomine, vel saltem sufficienter atque indubitanter designato tribunali, sive ordinario sive delegato, cui praeest. — ... **quid**: et *quantum*, et *quomodo*, et *ubi* ab adversario praestandum, in libello contentioso; in libello autem criminali *quodnam crimen* reo obiiciatur, et *quaenam poena* contra eum petatur. — ... **a quo**: nimirum, *contra quem*, ceu obligatum ad praestandum vel dandum quod ab eo petitur. — ... **Indicare generatim**: id est, in compendio et quoad sensum, probationes quibus demonstrare intendit quod verbis sequentibus praescribitur, nempe: — ... **quo iure innitatur**: id est, *a) quo titulo iuridico*, seu *qua causa;* et in actionibus quidem personalibus *causa remota*, nimirum, contractu vel delicto quae sint origo *obligationis* (causae proximae) ad rem praestandam vel poenam dandam, et *iuris subiectivi* in actore; in actionibus autem realibus *causa proxima* videlicet, dominio seu iure proprietatis ex parte actoris seu petentis; *b) quibus probationibus*, *tum iuris*, id est, *allegationibus* legis, sive communis sive particularis, quae petitioni suae faveant, *tum facti* id est, documentis et testibus, quibus ostendere vult exsistentiam contractus, vel delicti, vel dominii. Unde non valet hodie, vel non est ad litteram intelligendum quod docet Lega cum Devoti: « una cum oblato libello in actis exhiberi debent probationes, quibus petitio innititur, quibusque perpensis iudex decernet utrum instantia admittenda sit ». Probationes exhibentur postea. Sufficit ut iudici constet *a)* de sua competentia; *b)* de legit. persona actoris (c. 1701). — ... **allegantur**: scilicet, *iura*, tum commune, tum particularia, aut statutaria. — ... **asseruntur**: videlicet, *facta*, adducta in *narratione* seu *facti specie*, et indicata in *expositione causae petendi*. — ... **actorum recipien-**

dorum gratia: potest, igitur, quilibet actor eligere locum quo illa sibi mittantur. Potest, inquam, sed non iniungitur ei hoc canone, uti iniungitur, v. g. lege italica (1) iis qui domicilium non habent in loco iudicii. Ast quod hoc canone non praescribitur, non est dubium quin praescribi possit a iudice.

Q. II. *Forma extrinseca libelli, quae?* 387.

R. Expedit ut post *introductionem*, in qua exprimitur *quis*, *coram quo* et *contra quem* agit, unaquaeque ex tribus partibus libelli, 1) inscribatur suo proprio titulo; hoc est, parti *narrativae facti* praemittatur inscriptio: *Factum*, vel *Facta*, vel *In facto;* pars *expositiva iuris* inscribatur: *Ius*, vel *In Iure;* pars *deductiva* inscribatur: *Petitio*, vel *Conclusio*, vel *Conclusiones;* 2) dividatur in tot positiones, allegationes et petitiones quot sunt facta, argumenta causae petendi et conclusiones; 3) exhibeat singula facta, allegationes et conclusiones insignita totidem numeris ex ordine. Hoc modo libellus erit clarior, maxime vero responsio ad libellum et allusiones ad actionem seu petitionem actoris devenient faciliores et longe breviores. Ob eandem rationem expedit ut reus in sua responsione distinguat pariter *facta*, *ius* et *conclusiones*, eaque similibus numeris signet.

Can. 1709. — *De libelli admissione vel reiectione.*

Q. I. *Quando, et quomodo debet iudex libellum admittere aut reiicere.* 388.

R. ex § 1. **Iudex vel tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam esse standi in iudicio, debet quantocius libellum aut admittere aut reiicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.**

... postquam ... in iudicio: his verbis exprimuntur duo, scilicet, *iudicis competentia*, et *legitima persona actoris*, de quibus debet quidem iudici constare (sed si constat sufficit), antequam libellum admittat aut reiiciat. — **... adiectis ... causis**: en modus reiectionis.

Q. II. *Quid faciendum a) actori, si iudex libellum reiicit;* 389.
b) iudici autem, si actor denuo illum exhibeat.

R. ex § 2. **Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex**

(1) *Cod. Proc. Civ.*, art. 134.

emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

390. Q. III. *Quodnam remedium superest parti adversus libelli secundam reiectionem.*

R. ex § 3. **Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal: a quo, audita parte, et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.**

... **recursum**: non appellationem stricte talem, quia quaestio reiectionis, cum praecedat citationem, non est causa incidens (cf. c. 1837) nec proinde iudicialis, et ideo non terminatur sententia interlocutoria proprie tali sed decreto. Attamen huic recursui legislator fere confert appellationis effectum et naturam, nam praescribit ut *a*) deferatur non ad Superiorem sed ad tribunal, *b*) cognoscatur **audita parte, et promotore** etc. — ... **promotore iustitiae**: quia reiectio libelli seu denegatio administrationis iustitiae est quid pertinens ad bonum publicum, et ideo requiritur interventus seu votum promotoris: in causis matrimonialibus circa nullitatem sufficit interventus defensoris vinculi. — ... **expeditissime**: modo explicato in com. ad c. 1616, et ex c. 1880, 7°, sine appellatione.

391. **Can. 1710.** — Q. *Quodnam exstet remedium si iudex differat libellum admittere aut reiicere.*

R. **Si iudex continuo mense ab exhibito libello decretum non ediderit quo libellum admittit vel reiicit ad normam can. 1709, pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia, poterit recursum ad Ordinarium loci, si ipse iudex non sit, vel ad superius tribunal interponere ut vel iudex ad definiendam causam adigatur vel alius in eius locum subrogetur.**

... **potest**: nisi liti renuntiare velit et valeat. — ... **Ordinarium loci**: nisi iudex silens constituat tribunal exemptum; et planum est. — ... **iudex non sit**: sed iudicet Officialis. — ... **ad superius tribunal**: si agatur de tribunali exempto, aut si Ordinarius iudicet per se. — ... **adigatur**: certe *coactive*, et proinde adhibitis poenis ecclesiasticis. Unde eruitur quod si iudex, qui suo silentio **ius reddere** recusat, dignitate episcopali insignitus sit, *tribunal superius*, ad quod fieri debet recursus, est tribunal Apostolicae Sedis iuxta c. 1625, § 1, et

quidem *tribunal* **ipsius Romani Pontificis dumtaxat** iuxta c. 1557, § 1, 3°. — ... **subrogetur**: ab ipso tribunali superiori; nam ad ipsum pertinet suam quasi-sententiam exsequi, quoties iudex inferior renuerit eidem obtemperare. Cf. c. parallelum 1920, § 2.

CAPUT II.

De citatione et denuntiatione actorum iudicialium.

Expositio rubricae.

Q. I. *Citationis notio, necessitas, divisio.* **392.**

R. Citatio, sensu latissimo et improprio est actus, qui heic a Codice vocatur *denuntiatio*, nimirum, *annuntiatio actuum iudicialium*, sive futurorum sive praeteritorum, *auctoritate iudicis facta quibuscunque personis quarum intersit eis adesse vel eos nosse. Lato sensu* est *in ius vocatio*, vel, amplioribus verbis, *convocatio quarumlibet personarum, sive partium sive testium, sive officialium tribunalis, auctoritate iudicis facta ut alicui actui cooperent vel adsint. Stricto sensu* est, *in genere, in ius vocatio, iuris experiundi gratia; iure autem canonico*, est *actus legitimus quo quis* (reus) *ex mandato iudicis primo vocatur in iudicium iuris experiundi causa.*

Necessitas citationis, *stricto sensu* acceptae derivatur ex iure naturali, et quidem ex eo quod, cum actor intendat ut iudex reum condemnet ad satisfaciendum illius petitioni, naturalis ratio dictat reum vocari debere ut petitionem actoris cognoscat et contra eam se defendat. Unde sequitur non esse necessariam citationem si reus sponte se sistat iudici aut reperiatur in aula iudicii, aut, maxime in criminalibus, factum sit notorium ad normam c. 2197, nn. 2, 3. — *Ratione auctoris*, citatio dicitur *a iure* quando, circa aliquod negotium, v. g. ad oppugnandam provisionem beneficii (1) ipsa lex statuit terminum quo iudici se sistere debent quicunque sua interesse putaverint; citatio *ab homine*, quae fit iussu iudicis. Utraque subdividitur: *a) Ratione subiecti* in *generalem*, qua in iudicium vocantur *omnes* qui sua interesse putaverint, et *specialem*, qua vocantur *determinatae personae. b) Ratione formae*, in *personalem directam*, quae

(1) C. 1, *De elect.*, I, 6, in VI°.

per ministrum publicum seu apparitorem reo in faciem denuntiatur; *personalem indirectam*, quae fit per intermediam personam, v. g. per familiares rei vel publicos tabelliones; et *edictalem*, quae fit per edictum, sive ad fores Curiae affigendum, sive in aliqua ephemeride inserendum. *c*) *Ratione effectus*, quoad obligationem, in *simplicem* seu *iterabilem*, quae citatum non reddit contumacem nisi ter repetita fuerit, et *peremptoriam* seu *non iterabilem*, quae, licet non repetatur, reddit citatum contumacem. *d*) *Ratione exsecutionis*, alia est *verbalis*, quae verbis fit, alia *realis*, quae fit per *apprehensionem personae*.

393. Q. II. *Notae historicae.*

R. 1) Apud Romanos, iure 12 Tabularum, viguit systema quo, iuxta Aull. Gell. (XIII, 13) « a privato in ius vocari est potestas »; quod si reus noluisset sequi vocantem, hic, praemissa attestatione, poterat eum pertrahere, etiam *obtorto collo*, ad locum tribunalis. Tempore imperii inductum moribus fuit alterum systema, quod iure Iustinianeo confirmatum est; quo, nempe, actor teneretur suam petitionem iudici exhibere in libello, iudex autem, libello perpenso, in ius vocaret adversarium.

2) Ecclesia iam inde a primis saeculis publicam auctoritatem interposuit quoad reos in iudicium vocandos; nam can. 74 Apostolor. dicitur « Episcopum ab hominibus christianis et fide dignis de crimine accusatum in ius vocant Episcopi ». Qui procedendi modus perfectam applicationem habuit iure Decretalium; nam licet in Decretalibus nullus exstet appositus titulus *De citatione*, (uti exstat in Digestis *De in ius vocando*, et in Cod. Iustin.) obiter quidem, sed expresse fit de citatione mentio in pluribus locis, veluti in c. 19, X, *De foro comp.*, II, 2, et c. 11, X, *De probat.*, II, 19, c. 2. *De sent. et re iud.* in Clem. etc. Huiusmodi institutum citatorium ulteriorem habuit perfectionem opera iurisprudentiae et pragmaticorum, quae etiam monumentis legislativis sancita est, ut *Instructione S. C. EE.* et *RR.* 11 *Iun.* 1880.

3) Antiquius systema romanum obtinuit quoque apud antiquos populos germanicos; idemque renovarunt nonnulli codices hodierni, uti codices gallicus, germanicus, et italicus, iuxta quos citatio est actus personae privatae, id est, actoris, interposita tamen aliqua publica persona, (gallice *huissier*, italice *usciere*) ad faciendam fidem de citatione reo intimata. Codex hispanicus et codex austriacus methodum iuris canonici retinent quoad citationem.

Expositio textus.

Can. 1711. — Q. *Citatio*, 1) *quandonam locum habeat;* 2) *quando non sit necessaria.* 394.

R. ad utrumque ex h. c.: § 1. **Libello vel orali petitione admissa, locus est vocationi in ius seu citationi alterius partis.**

§ 2. **Quod si partes litigantes sponte coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes sponte sua iudicio adfuisse.**

... **admissa**: etiam in iudicio criminali si delictum sit certum (c. 1939) et non sit locus correptioni (cc. 1948, 1949); non autem quando est locus *a*) inquisitioni, id est, **si delictum nec notorium sit nec omnino certum** (c. 1939); vel *b*) est locus correptioni, id est, in omnibus casibus sive non certis sive etiam omnino certis, non comprehensis in can. 1948, 1949, tunc enim, videlicet, quando est locus inquisitioni aut correptioni, **citetur reus ad comparendum** (can. 1946, § 2, 3) ante confectionem et oblationem libelli per promotorem iustitiae (c. 1954, in fine, et c. 1955).

Can. 1712. — Q. *Citatio* 1) *a quo et quomodo fiat;* 2) *cui denuntianda sit;* 3) *cui notificanda.* 395.

R. I ex § 1. **Citatio fit a iudice, et libello litis introductorio inscribitur aut adiungitur.**

Citatio: idest, decretum, quo iudex, praemittens (non tamen necessario) quod viderit 1) libellum, 2) **rem esse suae competentiae,** 3) **actori legitimam personam esse standi in iudicio** (c. 1707), iubet reum *vocari in ius*, seu voluntatem iudicis vocantis ei denuntiari. — ... **fit**: idest subscribitur et sigillo tribunalis munitur, sed potest scribi ab alio. — ... **a iudice**: vel a praeside, in tribunali collegiali.

R. II. ex § 2. **Denuntiatur autem reo, et, si sint plures singulis.**

... **denuntiatur**: per schedam separatam, ad normam c. 1915; non autem transmittitur reo ipsum decretum iudicis quod **libello litis introductorio inscribitur aut adiungitur.**

R. III ex § 3. **Debet insuper actori nota fieri, ut statuta die et hora ipse quoque coram iudice se sistat.**

... **nota fieri**: per schedam; in qua tamen superfluit exprimere omnia quae in scheda mittenda ad reum.

396. **Can. 1713.** — Q. *Cui denuntiatur si reus non administrat?*

R. **Si lis moveatur ei qui non habet liberam administrationem rerum, de quibus disceptatur, citatio denuntianda est ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam can. 1648-1654.**

397. **Can. 1714.** — Q. *Citatio generatim qualis; quandonam simplex seu iterabilis.*

R. **Quaelibet citatio est peremptoria; nec iteretur necesse est, nisi in casu de quo in can. 1845, § 2.** — Id est, quando **iudex ad frangendam rei contumaciam vult comminari poenas ecclesiasticas.**

398. **Can. 1715.** — Q. *Citatio,* 1) *qua forma denuntiari et quaenam exprimere debeat;* 2) *qualiter sigillanda, et a quibus subscribenda.*

R. I. ex § 1. **Citatio denuntietur per schedam, quae praeceptum iudicis parti conventae factum ad comparendum exprimat, idest a quo iudice, ob quam causam saltem verbis generalibus indicatam, quo actore, reus, nomine et cognomine rite designatus, conveniatur; nec non locum, et tempus, idest annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam perspicue indicet.**

...ob quam causam: id est, in contentiosis *quam rem* actor petat vel *quodnam ius* sibi vindicet, et *cuinam titulo* seu *causae petendi* vindicatio aut petitio sua innitantur, ut dictum est ad c. 1708, § 2; in criminalibus vero *quodnam crimen* promotor iustitiae obiiciat reo, et *quamnam poenam* petat. *Notandum* est quod aliter citatio nullius est momenti ex c. 1723.

R. II. ex § 2. **Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.**

399. **Can. 1716.** — Q. *Quota scheda sit conficienda citatio; scheda autem quo destinanda.*

R. **Citatio duplici scheda conficiatur, quarum altera remittatur reo convento, altera asservetur in actis.**

400. **Can. 1717.** — Q. *Per quem, cui et ubi scheda sit tradenda,* 1) *regulariter;* 2) *si reus sit extra dioecesim;* 3) *si cursor reum non invenerit.*

R. I. ex § 1. **Citationis scheda, si fieri poterit, per Curiae cursorem tradenda est ipsi convento ubicunque is invenitur.**

R. II. ex § 2. **Ad hoc cursor etiam fines alterius dioecesis ingredi potest, si iudex id expedire censuerit et eidem cursori mandaverit.**

... mandaverit: aliter non; quia, etsi citationis exsecutio *verbalis* non sit actus iurisdictionis, nonnisi caute et in casu vere necessario facienda est in alieno territorio.

R. III. ex § 3. **Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi commoratur, relinquere poterit citatoriam schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum; sin minus eam ad iudicem referat, ut transmittatur ad normam can. 1719, 1720.**

Can. 1718. — Q. *Effectus citationis per schedam quoad reum recusantem illam.* 401.

R. **Reus qui citatoriam schedam recipere recuset, legitime citatus habeatur.**

Can. 1719. — Q. *Quando, cuius auctoritate et quibus cautelis scheda citationis transmitti potest per tabellarios publicos?* 402.

R. **Si ob distantiam vel aliam causam difficulter per cursorem tradi possit reo convento scheda citatoria, poterit iussu iudicis transmitti per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit.**

... iussu iudicis: non proprio cursoris marte. — **... syngrapha receptionis:** duplici; alia subscripta ab officiali tabellario loci ubi scheda deponitur, alia subscribenda a reo.

Can. 1720. — Q. *Citatio per edictum* 1) *quando fit;* et 2) *quomodo.* 403.

R. I. ex § 1. **Quoties, diligenti inquisitione peracta adhuc ignoratur ubi commoretur reus, locus est citationi per edictum.**

R. II. ex § 2. **Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo; si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet.**

Can. 1721. — Q. *Quid faciendum cursori,* 1) *schedam tradenti per se;* 2) *eam tradenti per alium;* 3) *edictum affigenti;* 4) *si reus schedam recuset.* 404.

R. I. ex § 1. **Cursor, cum in manu rei conventi cita-**

tionis schedam relinquit, debet eam subsignare, adnotatis die et hora qua reo tradita est.

R. II. ex § 2. **Idem peragat si eam relinquat in manibus alicuius de familia aut famulatu rei conventi, addito insuper nomine personae cui schedam tradidit.**

R. III. ex § 3. **Si citatio fiat per edictum, cursor in edicti calce signet qua die et hora edictum affixum ad fores Curiae fuerit et quandiu affixum manserit.**

R. IV. ex § 4. **Si reus receptionem schedae recuset, cursor schedam ipsam subsignatam, addita die et hora recusationis, iudici remittat.**

405. **Can. 1722.** — Q. *Modus habendi certitudinem de citatione facta, 1) ope cursoris, 2) ope tabellariorum.*

R. I. ex § 1. **Cursor quae peregit ad iudicem referat in scriptis manu propria subsignatis, quae in actis serventur.**

R. II. ex § 2. **Si per tabellariorum officium citatio transmittatur, asservetur in actis fides eiusdem officii.**

406. **Can. 1723.** — Q. *Duplex casus nullitatis tum citationis, tum actorum processus.*

R. **Si scheda citatoria non referat quae in can. 1715 praescribuntur aut non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus.**

... tum ... processus: quia ex c. 1680, § 2, a sensu contrario, nullitas alicuius actus importat nullitatem actorum quae ab eo dependent.

407. **Can. 1724.** — Q. *Regulae pro citatione rei, an, et quomodo extendendae ad alios actus iudiciales.*

R. **Regulae superius statutae pro rei citatione, ceteris quoque iudicii actibus, pro diversa tamen eorum natura, accommodandae et applicandae sunt, ut decretorum vel sententiarum denuntiationi aliisque huiusmodi.**

... eorum natura: sic, ex. gr. licet ab inducente testes iudici **exhibeantur positiones et articuli** (c. 1761), haec non sunt testibus denuntianda in citatione, quia repugnat naturae probationis per testes.

408. **Can. 1725.** — Q. *Effectus legitimae citationis, aut ultroneae vadimonii exsecutionis.*

R. **Cum citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint:**

1° Res desinit esse integra;

2° Causa fit propria illius iudicis aut tribunalis, coram quo actio instituta est;

3° In iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non exspiret resoluto iure delegantis;

4° Interrumpitur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam can. 1508;

5° Lis pendere incipit; et ideo statim locum habet principium: « *lite pendente, nihil innovetur* ».

... **integra**: cum, citatione facta, negotium sit quasi ceptum (1). — ... **propria**: cum exclusione aliorum qui ante citationem erant aeque competentes. — ... **coram quo ... est**: etiam quando citatus *postmodum iurisdictionis alterius esse ceperit* (2). — ... **firma**: vel, uti prius dicebatur, **perpetua** in sensu iuris; et ratio est quia res non est amplius integra, et ideo aequitas suadet ut iurisdictio non exspiret morte delegantis.

... **Interrumpitur**: non quidem *naturaliter*, id est, *ob defectum alicuius conditionis* ad praescribendum, aut *ob amissionem bonae fidei*, sed *civiliter* seu *ob praescriptum legis;* et ideo, si exitus litis faveat praescribenti, interruptio pro non habita reputatur, et tempus eam subsequens coniungitur cum praecedente. — ... **nisi aliud**: id est, nisi legislatio civilis aliter in aliqua regione disposuerit (c. 1508, sq.), sed intellige quoad res potestati civili subiectas. — ... **nihil innovetur**: contra quod si agatur, committitur *attentatum*, et datur *actio de attentato* (cf. c. 1854-1857).

TITULUS VII.

De litis contestatione.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis.* 409.

R. Accepta a reo citatione, indicante saltem in genere *petitionem* in libello contentam, et clare exprimente *quisnam petit* et *coram quo iudice*, potest ille probe cognoscere, an, *a*) sibi competant *exceptiones* sive *ad submovendam actionem* seu petitionem (*peremptoriae*) sive *ad differendum actionis tra-*

(1) C. 19, 20, X, *De off. del.*, I, 29.
(2) C. 19, X, *De foro comp.*, II, 2.

ctationem in iudicio (*dilatoriae*); et *b*) utrum, deficientibus actionibus impedientibus litis ingressum, expediat ei renuntiare rei vel iuri suo, eaque actori cedere absque disceptatione iudiciali; vel *c*) an e contra valeat cum spe victoriae petitioni actoris contradicere in iudicio ad quod provocatur. Quod ultimum si deliberet, tenetur expresse manifestare iudici per citationem interroganti; in hoc autem consistit *litis contestatio*, cuius proinde locus tractationis naturalis est hic.

410. Q. II. *Litis contestatio*, 1) *antiquo iure romano;* 2) *posteriore iure romano;* et 3) *iure canonico.*

R. I. Antiquo iure romano, tum *in systemate actionum legis* tum *in systemate formularum*, quando aderat distinctio inter *disceptationem in iure* (coram magistratu, seu interprete iuris) et *disceptationem in iudicio* (coram iudice, seu cognitore facti), *litis contestatio* erat actus quo, absoluta disceptatione *in iure*, utraque pars, per verba sollemnia, *testes estote*, personas quae, a se vocatae, aderant disceptationi, obtestabatur ut de ea testimonium ferrent *in iudicio*, si aliquod dubium oriretur. Quare Festus, *De verb. sign.* scribit: « contestari litem dicuntur duo vel plures adversarii, quod ordinato iudicio utraque pars dicere solet: *Testes estote* » (1).

R. II. Abrogata a Diocletiano distinctione inter disceptationem *in iure* et disceptationem *in iudicio*, sollemnitas litis contestationis mansit, et quidem eadem *quoad nomen*, diversa tamen *quoad rem;* nam in hoc consistebat quod reus coram magistratu, qui iam simul iudicis partes explebat, disceptationem iudicialem acceptaret ab actore provocatam. Iure Iustinianeo mutatio substantialis non fuit inducta, nam *litis contestatio* intelligebatur facta (2), *post narrationem propositam* (ab actore) *et contradictionem obiectam* (a reo), sollemniter, id est viva voce, coram iudice et praesente actore.

R. III. Hoc modo intellecta transiit litis contestatio ad ius canonicum et diu mansit, *cum*, iuxta Greg. IX (3), *per petitionem in iure propositam et responsionem secutam contestatio litis fiat. In iure*, id est, *coram iudice* et per actum formalem et sollemnem.

Progressu autem temporis, cum processus iudicialis scripto maxime explicaretur, litis contestatio non fuit amplius *unus*

(1) Lega, *De Iudic.*, I, 420.
(2) L. 14, Cod. Lib. III, Tit. 1.
(3) C. un. X, *De lit. contest.*, II, 5.

actus qui eodem tempore ab utraque parte viva voce expleretur coram iudice, sed potius *actus rei*, qui actione seu *petitione actoris perdurante*, eidem *responderet*, etiam in scriptis vel absens, manifestando animum litigandi. Hunc conceptum refert Codex c. 1726, quoad contestationem regulariter faciendam : iuxta quem litis contestatio consistit in **formali conventi contradictione petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice.**

Q. III. *Litis contestationis* 1) *divisio ;* 2) *necessitas ;* 3) *formae communiores, idest : a) positiones, et, in istis, quid sint articuli et capitula; b) interrogatoria; c) concordatio dubiorum.* **411.**

R. I. Alia dicebatur et erat *sollemnis seu formalis*, quae iuxta certam formulam et determinatas sollemnitates fiebat ; alia *simplex* vel minus sollemnis, quae sine certa formula et sollemnitatibus perficiebatur. Dici potest vel *generalis*, si reus facta narrata negat in genere, et actoris petitioni, item in genere, contradicit ; *specialis*, quando singula facta negat et singulis petitionibus contradicit.

R. II. Si nomine contestationis litis venit *determinatio obiecti* controversiae iudicialis ante sententiam facienda *per petitionem actoris et relativam rei contradictionem*, ea est de iure naturae ; iudicii enim natura exigit ut ante sententiam seu definitionem controversiae definiatur materia controversiae et sententiae ; sed litis contestatio non est de iure naturae si significat *determinationem controversiae faciendam aliqua certa formula*, aut praecise in initio iudicii, aut in facie iudicis, etc., siquidem obiectum controversiae, suapte natura determinari potest etiam in progressu contentionis iudicialis, et sine formula praecisa. Attamen, iure merito contestatio litis dicta est *lapis angularis*, et *fundamentum iudicii;* unde expedit et iure *positivo* requiritur ut in principio iudicii fiat.

R. III. In causis facilioribus usque adhibita est *litis contestatio generalis :* in causis vero complicatioribus adhibetur *litis contestatio specialis.* — *a*) Ad reddendam faciliorem litis contestationem inductus fuit perantiquus *usus positionum*, ex quibus nascuntur *articuli et capitula. Positiones* dictae sunt « quaedam adiunctorum facti enarrationes continentes, respective, *assertiones actoris aut rei* quoad facti speciem, quibus assertionibus seu interrogationibus petitur singillatim ab adversario responderi » (1). Positiones seu assertiones unius partis ab altera

(1) Lega, *De Iud. civ.*, Vol. I, n. 418.

parte denegatae, deveniunt et proinde constituunt *obiectum iudicii* et vocatae sunt *articuli* in contentiosis, *capitula* in criminalibus. — *b*) Positionibus simillima sunt, praecipue quoad effectum, *interrogatoria: responsiones negativae* aequiparantur *articulis* seu *capitulis*, et constituunt litis obiectum. — *c*) *Articuli* et *capitula* appellata sunt quoque *dubia*, et eorum, et exinde obiecti litis determinatio, sive per positiones sive per interrogationes, dicitur *concordatio dubiorum*.

Expositio textus.

412. **Can. 1726.** — Q. *Qualiter constituitur obiectum iudicii, et quid sit vel in quo consistat litis contestatio.*

R. **Obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione, seu formali conventi contradictione petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice.**

... **formali**: id est expressa, vel alias sufficienter clara. — ... **contradictione**: sive *speciali*, negando facta *singillatim* descripta vera esse, aut *singulas* petitiones esse iustas, sive *generali*, inficiando, in genere, facta vera esse aut petitionem esse iustam. — ... **animo litigandi coram iudice**: quia, cum controversiae resolutio in forma iudiciali sit negotium grave, oportet plene constare de intentione, *tum libera*, *tum conscia*. Hinc, si pars, sive actor sive reus, sit persona non adeo gnara, instruatur oportet de rei gravitate: imo, ex c. 1925, **iudex exhortationes adhibeat, ut cum aliqua contentiosa controversia quae privatum eorum** (fidelium) **bonum respiciat, ei proponitur iudicii forma dirimenda, per transactionem, si qua concordiae spes affulgeat, lis componatur.** (Cf. c. 1926).

413. **Can. 1727.** — Q. *Litis contestationis forma: an sit necessaria regulariter praesentia partium.*

R. **Ad litis contestationem nulla necessaria est sollemnitas, sed sufficit ut partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inseratur petitio actoris et contradictio conventi, unde constet qua de re agatur seu quinam sint controversiae termini.**

... **sollemnitas**: id est, nulla verborum formula, aut testium praesentia, aut ritualis caeremonia, aut iurisiurandi adiectio. Iure romano (1) « Patroni causarum... cum lis fuerit contestata post

(1) L. 14, Cod. Lib. III, tit. 1.

narrationem propositam et contradictionem obiectam... iuramentum praestant ». Iure Decretalium (1) statim post litis contestationem fiebat locus *iuramento calumniae* seu *de veritate dicenda*, a partibus praestando : iure Codicis quandoque est ei locus, quandoque relinquitur iudici (c. 1744). — ... **partibus** : per se vel procuratorem cum mandato speciali *ad lites* scripto etiam in calce responsionis citationi (cf. c. 1659, § 1). — ... **delegato** : ut puta auditori vel alii personae ecclesiasticae ; nam responsionem rei admittere tanquam veram seu legitimam, aut eandem reiicere tanquam ineptam contestationem litis est actus cognitionis iurisdictionalis.

... **comparentibus** : id est, proponentibus aut viva voce aut in scriptis suas petitiones, et petitionum causas, et media ad eas comprobandas, quin opus sit ut personaliter et insimul in faciem iudicis omnia haec referant, nisi in causis implicatioribus, aut iudex id iubeat, v. g. ad praestandum iuramentum de veritate dicenda, ad procurandam concordiam (cf. c. 1925). Diximus *insimul*, quia citatio rei ita concipi solet, et, regulariter, debet, ut ipse vel procurator personaliter compareant, interrogationibus iudicis aut eius delegati, quatenus opus sit, responsuri. — ... **petitio ... et contradictio** : id est, in actis inserantur scripta in quibus petitio et contradictio tali modo appareant ut inde **constet qua de re agatur seu quinam sint controversiae termini** : non est autem necessarium ut inseratur ullum decretum iudicis, declarans constare in actis *contradictionem rei petitioni actoris*, seu *peractam fuisse contestationem litis*.

Can. 1728. — *De litis contestatione formali (concordatione dubiorum).*

Q. 1) *Praesentia partium, et litis contestatio veluti formalis,* **414.** *quando iubenda sunt*, et 2) *quomodo contestatio facienda?*

R. I. ex h. c. **In causis tamen implicatioribus, in quibus petitio actoris nec perspicua sit nec simplex vel contradictio conventi difficultatibus scateat, iudex, ex officio aut ad instantiam actoris vel conventi, partes citet ad rite definiendos controversiae articulos, idest ad causae** *dubia*, **ut dicitur,** *concordanda*.

... **articulos** : id est, assertiones ab altero litigantium negatae, et ad rem pertinentes, quia earum discussio et resolutio est necessaria ad definitionem controversiae.

(1) C. 7, X, *De iuram. cal.*, II, 7.

R. II. Apud Congregationes Romanas *dubia concordantur*, citatis et praesentibus partibus aut earum procuratoribus, et quando iam ipsae « utrinque sua iura et petitiones protulerunt, et antequam patroni vel ipsae partes suas exarent allegationes, seu animadversiones *in factum et in ius* » (1). Eadem procedendi ratio videtur servanda quoties in tribunalibus fiat dubiorum concordatio, seu *formalis contestatio litis*, idest, **in causis implicatioribus.**

Can. 1729. — *De dubiorum formula.*

415. Q. I. *Dubiorum formula quomodo statuatur*, 1) *in casu contumaciae;* 2) *partibus praesentibus et concordibus;* 3) *partibus praesentibus et dissentientibus.*

R. I. ex § 1. **Si die dubiis concordandis praestituta, pars in ius vocata non compareat nec iustam absentiae excusationem alleget, contumax declaretur, et dubiorum formula statuatur ex officio, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem contumaci statim id notum fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum seu articulorum formulam possit proponere et a contumacia se purgare, intra tempus quod iudici congruum videatur.**

...contumax declaretur: servato processu ad normam c. 1842-1851. — **...ex officio:** id est, procedatur in causis iuris privatorum, ad instantiam, seu **parte, quae praesens fuerit, id postulante,** sed partem absentem promotor iustitiae vel ipse iudex aliqualiter suppleat *ex officio.*

R. II. ex § 2. **Partibus praesentibus et in formula dubiorum seu articulorum concordibus, si iudex, quod ad se attinet, nihil excipiendum putaverit, eius rei fiat mentio in decreto quo formula firmatur.**

...in decreto: apposite confecto.

R. III. ex § 3. **Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, iudex ipse controversiam dirimat decreto.**

416. Q. II. *Utrum, quando et quomodo possit mutari articulorum formula.*

R. ex § 4. **Dubiorum seu articulorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, vel defensoris**

(1) Lega, *De Iudic.*, I, n. 420.

vinculi, audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis. — Intellige, refusis expensis.

Can. 1730. — Q. *Utrum, et quando possint probationes recipi ante contestationem litis.* 417.

R. **Antequam litis contestatio locum habuerit, iudex ad testium aliarumve probationum receptionem ne procedat, nisi in casu contumaciae, aut nisi testium depositionem recipere oporteat, ne ipsa ob probabilem testis mortem, ob discessum eiusdem vel ob aliam iustam causam recipi postea nequeat, aut difficulter possit.**

... ne procedat: etenim ad quid probationes si nescitur quid sit probandum? Hoc autem determinatur per litis contestationem, ut dictum est. — **... contumaciae:** quod verbum innuit formulam statutam ex officio vi can. 1729, § 1 esse litis contestationem non perfectam, sed aliquatenus dumtaxat. — **... ob aliam iustam causam:** quae verba ostendunt causas in canone indicatas non esse *taxativas* sed *demonstrativas*, seu ad modum exempli.

Can. 1731. — Q. *Effectus contestationis litis quoad* 1) *mutationem libelli;* 2) *processus instructionem per probationes:* 3) *possessorem rei alienae.* 418.

R. I. ex n. 1°. **Haud licet actori libellum mutare, nisi, reo consentiente, iudex, iustis de causis, censeat mutationem esse admittendam, salva semper reo compensatione damnorum et expensarum, si quae debeatur. Libellus non censetur mutatus, si coarctetur aut mutetur probationis modus; si minuantur aut petitio aut accessoria petitionis; si facti adiuncta in libello pridem posita ita illustrentur, compleantur aut emendentur, ut controversiae obiectum idem remaneat; si in locum rei petatur pretium, foenus aut aliquid aequivalens.**

... debeatur: quia ex gr. ob mutationem libelli reus cogitur facere novas expensas ad alia instrumenta transcribenda, etc. — **... modus:** utputa si actor nuntiaverat se probaturum per testes et instrumenta, et deinde probationem coarctet ad instrumenta; aut si nuntiaverat probationes per instrumenta, et postea ab his abstineat et velit probare per testes tantum. — **... minuantur:** aliter res se habet si petitio augeatur.

R. II. ex n. 2°. **Iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem**

poterit, instantibus partibus, arbitrio suo prorogare, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur.

...**praestituat**: quo verbo praeceptum iudici imponitur, quia processus instructio per probationes est ius partibus acquisitum per litis contestationem; nec exspectandum est ut partes petant. Quaerunt pragmatici utrum praestituendus sit terminus probatorius utrique parti communis, an diversus. Pellegrini (1) et Bouix (2) respondent quod in contentiosis assignandus est terminus communis, et hoc licet una illi renuntiaverit; in iudiciis vero criminalibus, ait Bouix « terminus probationis iuxta stylum ordinarium Curiarum ecclesiasticarum non est utrique parti communis... Prius nempe assignatur accusatori (vel promotori fiscali) ad probandum intentionem suam, et postea reo ad se defendendum ». Quae doctrina et praxis respondent generaliter, ni fallimur, diversae naturae utriusque iudicii; attamen ad processum contentiosum maxime quod attinet, plurimum pendet ab adiunctis, et ideo canon, tum quoad initium tum quoad durationem termini, praescribit solummodo ut **congruum** tempus praestituatur. — ...**prorogare**: iure autem veteri terminus erat peremptorius iuxta citatos auctores, afferentes c. 24, X, *De off. Del.* I, 29; quod tamen non est adeo clarum; imo contrarium videtur deduci ex cc. 8, X, *De proc.* I, 88; 5, X, *De caus. poss. et progr.* II, 12; 11, X, *De probat.* II, 19; 9, 10, X, *De fid. instr.* II, 22.

R. III. ex n. 3°. **Possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; quapropter damnatus rem restituere, non solum rem ipsam, sed et rei fructus a litis contestatae tempore restituere tenetur et damna praeterea sarcire, si qua secuta fuerint.**

...**bonae fidei**: ratio est quia iudex, approbando sive expresse sive implicite litis contestationem, definit implicite rem esse litigiosam, id est, legitime controversam, et proinde dubiam: unde possessio rei alienae redditur dubie iusta, et proinde possessor rei alienae desinit esse bonae fidei legalis. — ...**fructus**: cf. com. ad c. 1689.

(1) *Prax. Vicariorum*, Part. 2, Sect. 2, Subs. 3, n. 1.
(2) *De Iudic.*, tom. II, cap. IV, § IV, n. 2.

TITULUS VIII.

De litis instantia.

Expositio rubricae.

Q. I. *Litis instantiae* 1) *notio;* 2) *duratio.* 419.

R. I. *Litis instantia* est *litis agitatio, seu actionis exercitium per actus iudiciales ordinatos ad causam probationibus instruendam et sententia definitiva ac firma terminandam.* Dicitur *firma*, quia ad tribunal superioris gradus protenditur litis instantia. Porro cum haec incipiat a litis contestatione, hic est locus opportunus tractandi de ea.

R. II. Ad *vicissitudines* quod attinet durationis instantiarum cf. com. ad c. 1620.

Expositio textus.

Can. 1732. — Q. *Instantia a) quandonam incipit;* et *b) quomodo finitur?* 420.

R. **Instantiae initium fit litis contestatione; finis autem omnibus modis, quibus iudicium terminatur, sed et antea non solum interrumpi, verum etiam finiri potest sive peremptione sive renuntiatione.**

... **terminatur**: scilicet, sententia, transactione, iureiurando litis decisorio, compromisso in arbitros.

Can. 1733. — Q. *De interruptione instantiarum in genere:* 1° *quandonam fiat;* 2° *quandonam non fiat.* 421.

R. ex h. c. **Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cuius ratione agit:**

1° Causa nondum conclusa, instantia interrumpitur, donec heres defuncti aut successor litem instauret;

2° Causa conclusa, instantia non interrumpitur, sed iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.

... **nondum conclusa**: id est, non quod sit *definita* causa, sed quod nondum sit *conclusum in causa* seu nondum lapsus sit terminus utilis proponendis probationibus ad normam c. 1860 et sq. — ... **instauret**: est enim usque necessarium ut causa

probationibus perfecte instruatur antequam definiatur. — ... **ad ulteriora**: etiam usque ad exsecutionem sententiae, nam in hunc finem lis introducta fuit.

422. **Can. 1734.** — Q. *De interruptione instantiarum in beneficialibus; quando non fiat.*

R. **Si controvertatur cuinam ex clericis litigantibus ius sit ad beneficium, et alter, lite pendente, moriatur, aut beneficio renuntiet, instantia non interrumpitur, sed contra superstitem eam prosequitur promotor iustitiae qui pro beneficii aut ecclesiae libertate dimicet, nisi beneficium sit liberae collationis Ordinarii et hic praeferat causam ut victam superstiti adiudicare.**

...**non interrumpitur**: quia cum agitur de causis beneficialibus, aliisque, in genere, pertinentibus ad publica munia, « omnium fidelium interest, ne huiusmodi publica officia iniuste exerceantur » (1), id est, absque titulo certe legitimo sive proprietatis sive possessionis: unde **contra superstitem**, cuius titulus non ideo devenit certus et legitimus quod adversarius mortuus fuerit vel renuntiaverit, litem **prosequitur promotor iustitiae** opportunis argumentis probare intendens nullum exstare titulum quo beneficium vel ecclesia sit ligata litiganti superstiti.

423. **Can. 1735.** — Q. *Quandiu interrumpitur instantia, procuratore cessante?*

R. **Procuratore aut curatore a munere cessante tandiu interrupta manet instantia, quandiu pars aut ii ad quos pertinet novum procuratorem vel curatorem nominaverint aut per se ipsi in posterum agere se velle professi fuerint.**

424. **Can. 1736.** — Q. *Quandonam instantia directe, quandonam vero ipsa actio indirecte perimatur.*

R. **Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae per biennium aut in gradu appellationis per annum, instantia perimitur, et in altero casu sententia per appellationem oppugnata transit in rem iudicatam.**

...**impedimentum**: a iudice tanquam legitimum approbatum antequam labatur terminus biennii vel anni heic prae-

(1) Lega, *De Iudic.*, I, n. 233.

scriptus pro peremptione: termino autem elapso non erit locus nisi restitutioni in integrum (cf. c. 1684, sq.). — **...in rem iudicatam:** et quia ex hoc victori in prima instantia acquiritur ius, victo autem obligatio exsequendi sententiam, instantiae peremptio in gradu appellationis secumfert peremptionem indirectam actionis. — Quo pacto huiusmodi *institutum iuridicum peremptionis instantiarum* conferat ad properandam causarum definitionem videsis in **nn. 205, 206.**

Can. 1737. — Q. *Peremptio, a) qualiter obtineat; b) adversus quos; c) an adversus minores; d) qualiter excipienda.* 425.

R. **Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliosve minoribus aequiparatos, eaque ex officio etiam excipi debet, salvo iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, administratores, procuratores qui culpa se caruisse non probaverint.**

...non probaverint: quo praescripto sapienter consulitur debilitati minorum, et sufficienter providetur eorum indemnitati.

Can. 1738. — Q. *De effectu peremptionis: quaenam acta exstinguit?* 426.

R. **Peremptio exstinguit acta processus, non vero acta causae; imo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinet, nisi documentorum.**

...acta processus: *quae*, nimirum, *inserviunt processus ordinationi*, ut sunt citatio, litis contestatio, testium productio, instrumentorum exhibitio. — **...acta causae:** *quae*, videlicet, *inserviunt causae seu processus instructioni et veluti constructioni*, ut sunt testium productorum depositiones, instrumenta exhibita et admissa aut approbata (cf. c. 1817). — **...imo haec:** quibus verbis conceditur actis causae ut vim habeant etiam in alia instantia seu iudicio adversus eum cum quo peracta fuerunt, id est, quod non amplius possint ab eo impugnari; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent, nisi documentorum, et proinde ab eis impugnari possunt omnibus modis dicendis in c. 1815, 1818.

Can. 1739. — Q. *A quonam solvendae sint expensae.* 427.

R. **In casu peremptionis, quas quisque ex litigatoribus fecerit, has ipse ferat expensas perempti iudicii.**

. . . **quisque**: et merito ; unus quidem quia actum iudicialem ab eo ponendum omisit, alter vero quia omissionem permisit.

428. **Can. 1740.** — Q. *De renuntiatione;* 1) *quandonam renuntiare valent: a) actor iudiciali instantiae; b) actor et reus actis;* 2) *sub quibus conditionibus facienda?*

R. I. ex § 1. **In quolibet statu et gradu iudicii potest actor instantiae renuntiare ; item tum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.**

. . . **actis**: sive causae, utputa renuntiatio usui probationis per instrumenta, vel productioni alicuius testis, sive etiam processus, v. g. renuntiatio denuntiationi alicuius actus iudicialis.

R. II. ex 2. **Renuntiatio ut valeat, peragenda est in scriptis, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, alteri parti communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.**

429. **Can. 1741.** — Q. *Renuntiationis effectus, etiam quoad expensas.*

R. **Admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae : et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.**

Admissa: a iudice ; non sufficit quod ab altera parte acceptetur.

TITULUS IX.

De interrogationibus partibus in iudicio faciendis.

Expositio rubricae.

430. Q. I. *Ratio ordinis.*

R. Quia litis contestatione aperitur, ut dictum est, terminus probatorius, hic autem partium confessionibus redditur brevior, quia probatio celerior ac facilior, et cum confessio provocetur interrogationibus relativae parti factis, de his pronum est tractare in hoc loco, inter litis contestationem et controversiae probationem medio.

Q. II. *Diversi modi interrogandi.* 431.

R. Nomine potius quam re discernuntur; appellantur vero *positiones* si facta proponuntur *ad modum affirmationis*, aut *quaesita* si *ad modum interrogationis*, aut *interrogatoria* quando propositio constat ex pluribus quaesitis vel positionibus.

Q. III. *Obiectum interrogationum.* 432.

R. Est idem ac obiectum probationum, et proinde: *a*) aliquod *factum*, cui tamen aequiparatur *ius particulare; b*) factum *pertinens* ad causam, idest, idoneum ad veritatem eruendam (c. 1742, § 1), vel saltem ad adductam probationem illustrandam (ibid., § 2); *c*) parti *notum* aut ab ea ex obligatione cognoscendum; *d*) ab interrogato *revelabile* (cf. c. 1757, § 3); *e*) ab interrogatoriis iudicialibus *non exclusum* (cf. c. 1743).

Expositio textus.

Can. 1742. — Q. *De quibus factis in genere iudex interrogare*, 1) *debeat;* 2) *possit;* 3) *utrumque autem in quonam iudicii stadio.* 433.

R. I. ex § 1. **Iudex ad eruendam veritatem facti quod publice interest ut extra dubium ponatur, debet partes interrogare.**

... **publice interest**: quod quidem contingit in omnibus causis, quae respiciunt bonum publicum, uti matrimonialibus circa vinculum, beneficialibus circa titulum, etc.; sed potest etiam habere locum aliquando in causis circa iura privatorum. Tenetur autem in his casibus interrogare, quia, ex c. 1619, probationes supplere potest et debet.

R. II. ex § 2. **In aliis casibus potest unum ex contendentibus interrogare non solum ad instantiam alterius partis, sed etiam ex officio, quoties agitur de illustranda probatione adducta.**

... **ad instantiam ... de illustranda probatione**: tunc quoque potest, imo tenetur si illud postulat ea quae **requiritur in iudicis animo moralis certitudo** (c. 1869, § 1), quam quidem iudex **haurire debet ex actis et probatis** (ibid., § 2); non autem potest si agatur *de supplenda probatione*, id est, si interrogatio tendit ad suggerendum actori **probationes quas afferre posset,** vel reo **exceptiones sibi competentes**; utrasque enim, ex c. 1619, **§ 1, iudex ne suppleat.**

R. III. ex § 3. **Interrogatio partium fieri a iudice potest in quovis stadio iudicii ante conclusionem in causa; post conclusionem in causa servetur praescriptum can. 1861.**

...a iudice: in tribunali collegiali a Praeside. Potest autem interrogatio demandari auditori (c. 1582), sed regulariter non expedit, ut ibi diximus. — **... can. 1861:** qui canon suo loco explicabitur.

434. **Can. 1743.** — Q. *Iudice legitime interrogante, 1) quandonam pars respondere teneatur; 2) quanti facienda sit responsionis recusatio; 3) quomodo punienda sit pars tacens aut mendax.*

R. I. ex § 1. **Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso.**

...legitime: tum ex parte *subiecti*, seu ipsius iudicis, si nempe sit competens; tum ex parte *obiecti*, si nimirum, interrogatio versetur circa *factum*, *ad rem pertinens*, parti *notum*, *revelabile* et non *exclusum*, ut dictum est in Q. III; tum ratione *modi*, si nempe interrogatio non sit *subdola*, aut *captiosa* aut *suggestiva* (cf. c. 1779). — **... fateri veritatem:** in omnibus **nisi agatur de delicto ab ipsis commisso.** Quibus verbis finita est quaestio hactenus vexatissima.

R. II. ex § 2. **Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facienda sit haec recusatio, utrum iusta sit, an confessioni aequiparanda, necne, iudicis est aestimare.**

R. III. ex § 3. **Pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit mendax reperta fuerit, puniatur, ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem iusiurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur.**

...ecclesiasticis: id est, a munere administratoris bonorum ecclesiasticorum, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis, patrini in sacramentis, et a iure eligendi et patronatum exercendi, etc., iuxta c. 2256, 2°.

435. **Can. 1744.** — Q. *Iusiurandum de veritate dicenda, quandonam deferri a) nequeat; b) debeat; c) possit.*

R. **Iusiurandum de veritate dicenda in causis criminalibus nequit iudex accusato deferre; in contentiosis, quoties**

bonum publicum in causa est, debet illud a partibus exigere; in aliis, potest pro sua prudentia.

...de veritate dicenda: tantum, non autem *iuramentum calumniae* aut *malitiae* ut ex veteri iure (1), quod hic non refertur et proinde ex c. 6, 6°, aboletur ita ut non vigeat nisi in causis beatificationis Servorum Dei et canonizationis Sanctorum (c. 2037, § 4). Ad cuius pleniorem intelligentiam notandum est quod ex veteri iure, statim post litem contestatam, partibus imponebatur (2) in causis civilibus seu contentiosis et pecuniariis *iuramentum calumniae*, cui tanquam generali poterant addi alia duo specialia in eo implicita, videlicet *iuramentum de veritate dicenda*, et *iuramentum malitiae. Iuramentum calumniae* erat illud a partibus praestandum *super causa bona fide suscepta et deinceps prosequenda.* Erat iuramentum *credulitatis* quia pars iurabat se credere contendere bono iure, et praestabatur nulla concessa dilatione. Iuxta plures vigebat iure divino; illos autem merito confutat Passerinus (3). *Iuramentum de veritate dicenda* est, ut patet, *illud quod quis suscipit super veritate dicenda in omnibus de quibus a iudice fuerit legitime interrogatus.* Praestabatur etiam in causis criminalibus et spiritualibus (4). *Iuramentum malitiae* dicebatur *illud quod iudex poterat parti deferre toties quoties in decursu iudicii oriretur rationabilis suspicio aut praesumptio quod aliquid malitiose diceret aut faceret in causa.*

...potest pro sua prudentia: in quo iudicii stadio? Num semel tantum, an pluries? Ni fallimur potest tum in initio pro tota causa, tum toties quoties cognitio alicuius veritatis per confessionem sit necessaria, et expediat animum litigantis advertere ad gravitatem suae confessionis. Hoc alterum videtur praeferendum regulariter, sed non faciendum si initio delatum est iusiurandum super tota causa.

Can. 1745. — *De forma interrogandi seu examinandi partes.*

Q. I. *Methodus a Codice praescripta quod generalia.* **436.**

R. Consistit in exhibendis interrogatoriis, quaesitis aut positionibus, uti iam iure Decretalium, etiam pro iudicio summario (5) praescripta erat his verbis: « *Et quia positiones ad fa-*

(1) C. 7, X, *De iuram. cal.*, II, 7.
(2) Lega, *De Iud. civ.*, V. I, n. 421, 7.
(3) Com. in Sext. Decretal. c. 1, *De iur. cal.*, n. 3.
(4) Cf. Schmalz., *h. t.*
(5) C. 2, *De verb. sign.*, V, 11 in Clem.

ciliorem expeditionem litium propter partium confessiones et articulos ad clariorem probationem usus longaevus in causis admisit; nos, usum huiusmodi observare volentes... ». Iam vero; *a) positiones* sunt *assertiones diversorum factorum* particularium et adiunctorum, quorum complexus constituit factum generale, seu speciem facti, ex quo pars ius suum oriri dicit. *b) Confessiones* sunt unius partis *assertiones admissae ab altera parte. Articuli sunt unius partis assertiones negatae ab altera parte*, et exinde obiectum probationis et litis constituentes; unde vocantur quoque *positiones* et *quaesita*.

437. Q. II. *Positiones, seu quaesita vel articuli* 1) *a quibus, et cuinam exhibenda; et* 2) *iuxta quas regulas a) exaranda a parte; b) admittenda a iudice; c) proponenda alteri parti.*

R. I ex § 1. **Tum actor tum reus invicem, tum etiam promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, seu quaesita, super quibus pars interrogetur, quaeque vulgo** *positiones* **dicuntur.**

...iudici: non parti. Iudex autem, antequam illa alteri parti proponat per se vel per delegatum, ut praescribitur c. 1773, § 2, potest in eis resecare si quae ad rem non pertinent, aut iustitiae, caritatis vel prudentiae offensiva sunt: attamen summopere caveat ne in causis boni privati legitimam facultatem probandi coarctet alicui parti, aut e converso probationes eius suppleat.

R. II ex § 2. **In positionibus exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione serventur quae in can. 1773-1781 statutae sunt.**

...cum proportione: qua prae oculis habita, hae possunt statui regulae pro positionibus: 1) fiunt a parte, non a iudice, praeterquam in causis criminalibus aut alias boni publici, nam tunc interest iudicis probationes exquirere; 2) fieri possunt sive in scriptis sive viva voce; sed in hoc casu statim redigantur scripto ab actuario, et parti exhibenti legantur, facta ipsi facultate variandi; 3) breves sunto, non plura simul complectentes, non subdolae, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam; 4) proponuntur parti, non ab altera parte sed a iudice (vel eius delegato), qui potest tunc alias interrogationes adiungere, quibus actuarius praemittat haec verba: *interrogatus* (actor vel reus) *ex officio*, an...

Can. 1746. — Q. *Qualiter debeant, ex regula generali, se* 438.
sistere in iudicio partes ad iurandum et respondendum interrogationibus.

R. **Ad iusiurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter coram iudice se sistere debent, exceptis iis de quibus in can. 1770, § 2, nn. 1, 2.**

... **personaliter:** nam iusiurandum versatur circa internam dispositionem animi quoad veritatem in futuro dicendam; quam dispositionem unus ille qui iurat cognoscit, et per reverentiam et sollemnitatem iuramenti expedit reddere firmiorem; responsiones vero spectant ad facta quae regulariter nulli melius quam ipsi parti sunt cognita, et exprimunt confessiones seu depositiones quarum valor dimetitur non modo ex sonitu verborum verum ex firmitate aut e contra ex titubantia in respondendo. — ... **exceptis:** id est, personis, *a*) illustribus, *b*) impeditis, *c*) extra dioecesim degentibus, *d*) in loco dioecesis dissito commorantibus. Notandum est tamen hos omnes usque teneri respondere personaliter, licet alibi aut alteri personae diversae a proprio iudice, ut patet legenti canonem 1770.

TITULUS X.

De probationibus.

Expositio rubricae.

Q. I. *Probationis* 1) *notio;* 2) *divisio.* 439.

R. I. Post Mascardum definiri solet *probatio: Rei dubiae et controversae per legitima argumenta ostensio iudici facta; seu amplioribus verbis: actus iudicialis quo partes per argumenta idonea et a lege admissa fidem iudici faciunt de re inter ipsas controversa.* — *Rei dubiae*, id est, *facti controversi*, nam partes probant non *ius* seu legem, sed *factum.* — *Argumenta*, id est, media probatoria, ut sunt documenta, testes, etc. — *Legitima*, seu a lege approbata, quia scientia iuxta quam iudex tenetur decidere controversiam debet esse *publica*, id est, hausta ex fontibus et modo a publica auctoritate recognitis uti idoneis, et admissis ad obtinendam convictionem animi; nec sufficit *scientia privata*, quae modo *privato* aut *ex privatis fontibus* hauriatur. Sic, ex. gr. testimonium datum a testibus qui non habent qualitates a lege requisitas, aut non interrogatis et exa-

minatis modo a lege praescripto, est argumentum illegitimum et probatio illegalis. — *Iudici:* quippe quem per probationes necesse est persuadere, non vero alteram partem: huic tamen debent probationes patefieri, ut se defendat.

R. II. Probationes, *ratione medii seu argumenti* adhibendi vel adhibiti, dividuntur in plures species, utputa probationes *per confessionem*, *per testes*, etc., de quibus infra. *Ratione modi* quo obtinentur, aliae sunt *directae*, quae, scilicet, ex partium destinatione constitutae sunt ad probationem faciendam, v. g. *instrumenta*, *depositiones testium*, etc.; aliae sunt *indirectae*, quae, uti *praesumptio*, deducuntur ex facto non destinato a partibus ad probationem faciendam. *Ex tempore constitutionis*, quaedam dicuntur *praeconstitutae*, quia ante iudicium constitutae, ut sunt depositiones testium receptae ante litis contestationem ad perpetuam rei memoriam, instrumenta confecta ad fidem faciendam de aliquo actu; aliae dicuntur *constituendae*, quae in ipso iudicio constituuntur, ut probatio *per confessionem*, *per testes*, *per peritos*, etc. *Ex parte formae*, dividuntur in *iudiciales* et *extraiudiciales*. Considerato *effectu* seu vi persuadendi, possunt esse *plenae* et *semiplenae*, imo *pleniores* et *plenissimae* seu *omnino plenae*. Probatio *plena* est quae fidem iudici facit de rei certitudine morali, et sufficit ad proferendam sententiam, nisi a iure, probatio plenior permittatur (cf. c. 1791, § 2), aut iubeatur (c. 1830, § 4), aut probatio omnino plena (cf. c. 2019) vel plenissima requiratur; *semiplena* vero est quae probabilitate sed non morali certitudine fidem ipsi facit. De allusione iuris veteris his denominationibus cf. c. 4, X, *De in int. rest.* I. 41, et c. 6, X, *De frig. et malef.* IV, 15; quoad Codicem vero cf. can. 1791, 1829, etc.

440. Q. II. *Obiectum probationum.*

R. Sunt: 1) *facta:* et quidem 2) *directe*, facta *positiva;* sed 3) *indirecte*, etiam facta *negativa* seu *omissiones*, vel, quod in idem redit, propositiones quibus eadem facta exprimuntur, videlicet, *a*) negatio facti *coarctata* (ad tempus, locum, etc.), *b*) negatio *iuris*, et *c*) negatio *qualitatis*, non autem *d*) negatio facti *absoluta*, seu non coarctata, aut facti puri; sed 4) facta, sive positiva sive negativa sensu explicato, *dubia* vel incerta, et *controversa*. Percurramus breviter singula.

1) *Facta.* Non *iura*, saltem iura *scripta* et *generalia*; nam quae sunt *iuris scripti et communis* praesumuntur nota iudici, et ideo non probantur, sed allegantur tantum. *Scripti* et *com-*

munis, inquam, nam *consuetudo*, cum sit *fundamentaliter* aliquid facti, et *ius particulare*, cum aequiparetur facto, non praesumuntur nota iudici, et proinde debent probari.

2) *Directe* quidem facta *positiva* tantum. Quod patet ex c. 23, X, *De elect.* I... ubi dicitur: *Quia negantis factum per rerum naturam nulla est directe probatio.* Idipsum expresserat ius romanum l. *Actor quod assererat* C. *De probat.* per verba similia, videlicet: « cum per rerum naturam factum negantis nulla est directa probatio ». « Accedit ratio, docet Reiffenstuel (1), quia non entis nullae sunt qualitates ; arg. c. *Ad dissolvendum, De respons. impuberum*, estque receptum philosophorum. Simulque eius quod non est nulla est causa ; et quod non est nullum producit effectum, cum ex nihilo nihil fiat ». Unde sequitur non posse afferri probationem, cum haec fiat per qualitates rei aut per causas, aut per effectus.

3) *Indirecte* autem probari possunt nonnulla facta negativa, seu aliquae negationes facti, videlicet, negatio aut negativa (propositio) facti *coarctata* (ad tempus, locum, etc.), negativa *iuris*, et negativa *qualitatis*, non autem omnes, scilicet, negativae *facti puri. Negativam facti*, qualis esset, v. g. *non commisi homicidium Titii*, perpretatum in urbe, potest quis probare saltem indirecte, demonstrando, videlicet, se, tempore quo factum asseritur contigisse in urbe, versari in agro vel alibi ; et hoc est quod in foro appellatur *probare* suum *alibi*, vel probare *suam coarctatam. Negativa iuris*, v. g. *Caius non potest esse testis*, probari potest demonstrando *facta* aut *qualitates* ab quas asseritur ius excludere illum ab eo munere, et exhibendo *textus iuris* de illis qualitatibus loquentes. *Negativa qualitatis*, utputa *Sempronius non est legitimus* potest probari etiam *directe*, « sicut et generaliter omnes negativae quae habent in se inclusam aliquam affirmativam ; nam qui negat aliquem esse legitimum, hoc ipso affirmat eum natum extra matrimonium. Quinimmo tales negativae non solum possunt sed etiam debent probari ab eo qui hoc dicit, seu qui talem negativam alteri obiicit quia quilibet praesumitur idoneus nisi probetur contrarium, c. un *De scrutinio in ordin. faciendo* et c. ult. *De praesumpt.* » (2).

4) Facta autem, sive positiva, sive negativa, sed *dubia* et *controversa*. Quapropter, facta notoria (saltem permanentia), aut alias certa, aut praesumpta non probantur, ut dicitur in c. 1747.

(1) *I. C. U.*, L. II, Tit. XIX, § 2, n. 43, sq.
(2) Reiff., *l. c.*, n. 50.

441. Q. III. *Probationum systema:* 1) *quotuplex;* 2) *quodnam in Ecclesia a) viguerit* et, *b) vigeat.*

R. I. *Duplex* circumfertur *systema probationum;* unum quod dicitur *probationis legalis*, alterum *probationis moralis*, vel *intimae persuasionis*. Prius dicendum est inductum esse aliqua legislatione, quoties haec determinet: *a) species* probationum, seu media probandi; *b) regulas* in exsequendis probationibus servandas; *c) valorem* seu vim saltem *praecipuarum* specierum probationum. Alterum dicetur inductum si, licet determinentur *media probandi* a lege admissa, et praescribantur *sollemnitates* probationum, *vis* istarum expresse aut implicite relinquatur aestimanda arbitrio iudicis in singulis casibus.

R. II. Videtur viguisse et vigere *systema probationis legalis*, quatenus hoc significat Ecclesiam usque statuisse et statuere aliquid expresse de efficacia *praecipuarum* specierum probationum. Iure veteri non solum determinabantur probationes et praescribebantur earundem normae necessariae servandae, sed *praecipuis* probationum speciebus tribuebatur *certus valor*, sufficiens aut secus ad absolvendum vel ad condemnandum. Sic enim habetur *quoad probationem per testes: Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicuius* (1). *Quia licet quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa quae unius testimonio* (*quamvis legitimo*) *terminetur* (2). E contra, gèneratim admissum fuit quod *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.*

Quod *instrumentis publicis* authenticis tributa fuerit plena fides colligitur, iuxta Schmalzgrueber, et plures alios ex cc. 1 et 2, X, *De fide Instr.*, II, 22, et clarius apparet ex c. 6 eiusdem Tituli in VI°: praecipue vero demonstratur ex c. 2, X, *De probat.*, II, 19, ubi dicitur: *Sane quoniam apud vos consuetudinem esse didicimus, ut cum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis aut testibus, ei sacramentum nihilominus deferatur; quod si subire noluerit, fides probationibus non habetur. Nos*, (*cum tunc demum ad huiusmodi sit suffragium recurrendum cum aliae legitimae probationes deesse noscuntur*) *talem consuetudinem reprobamus.* — Denique nemo inficias ibit attributam fuisse *praesumptionibus iuris et de iure vim legalem*, imo neutiquam impugnabilem. — Hinc postremum iuris veteris documentum legislativum quoad hanc materiam, id

(1) C. 10, X, *De test. et attest.*, II, 20.
(2) C. 23, X, *De test. et attest.*, II, 23.

est *Instr.* S. C. EE. et RR. 11 Iun. a. 1880, praescribebat: *Probatio debet esse legalis, quae talia contineat elementa, ut veritatem evincat vel saltem moralem certitudinem.* Ubi notandum quod verbum *quae* significat *et*, non autem, ut aliqui volunt, *id est;* nam tunc etiam depositio facta a confessario, a medico, etc., esset probatio legalis.

R. III. Huiusmodi ius vetus refert Codex, ut patet, ex. gr. *a*) ex c. 1751 ; **confessio iudicialis... relevat alteram** (partem) **ab onere probandi**; *b*) ex c. 1791: **Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi...**; *c*) **Si... duae vel tres personae... testificentur... sufficiens probatio habetur**; *d*) ex c. 1816: **Documenta publica fidem faciunt...**; *e*) **Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi.** Ast vero quoad reliqua praescribit can. 1869, § 3: **Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia...** Unde quoad haec, et in hoc sensu limitato potest dici vigere systema *intimae persuasionis.*

Q. IV. *Probationum* 1) *forma*, et 2) *ordo seu methodus.* **442.**

R. I. *Processus instructio* per probationes potest ex se fieri tum *oretenus*, tum *scriptis*. Iure can. veteri, praecipue post Innoc. III, inducta fuit pro omnibus actis, et canone 1642 sancita est *forma scripta*, quae praecipuam et magis necessariam applicationem habet quoad probationes. Attamen antea non excludebatur omnino *publicus oralis interventus* ad informandum animum iudicis (1), hodie vero, paulo ante sententiam, **admittitur... moderata disputatio coram iudice pro tribunali sedente ad aliquid illustrandum** (c. 1866, § 2).

R. II. Quoad *ordinem* seu *methodum*, attenta rei natura, dupliciter procedi potest. Et uno quidem modo ita ut 1) partes sibi invicem communicent instrumenta, nomina et depositiones testium, ceterasque probationes, et mutuas iis responsiones ; 2) interventus iudicis in ipso instructionis decursu tum solum praesto sit cum a partibus imploretur ad dirimendas quaestiones incidentes, utputa de reprobatione alicuius testis qui dicitur omnino aut valde necessarius, de impugnatione scripturae magni momenti, etc. ; 3) iudex, cum causa iam sit solutioni praeparata, cognoscat de valore probationum et exinde ad sententiam procedat.

Alter modus, in tribunalibus ecclesiasticis usitatus, in eo

(1) Pellegrini, *Praxis. Vic.*, Subsect. 13.

consistit quod 1) utraque pars, iudice praecipiente, *exhibeat eidem* probationes, et quidem, in iudicio contentioso, simul seu intra eundem terminum probatorium; 2) iudex unicuique parti *communicet* alterius partis tum probationes tum responsiones seu animadversiones *in facto* et *in iure*, *eo tempore et ordine* quo utrinque proponuntur; et, prout opus sit, *dirimat* quaestiones incidentes, v. g. super contumacia partis aut testis, super reprobatione alicuius testis aut impugnatione alicuius instrumenti, super recusatione alicuius administri tribunalis, etc., quae occasione responsionum vel alias emergere contigerit; 3) idem iudex, facta coniunctim vel simul omnium actorum communicatione utrique parti earumque advocatis (c. 1858, 1859), ferat *decretum conclusionis in causa*, quo *claudit* stricte dictum *terminum probationis causae*, de quo Codex agit in hoc Titulo X, et *aperit* periodum seu *terminum defensionis et discussionis causae*, de quo agit in Titulo XII, iteriecto Titulo *De causis incidentibus*, seu quae inter processum instruendum oriuntur. Profecto haec procedendi ratio quoad probationes usque servata est iure veteri et praescribitur iure Codicis, utpote magis deferens auctoritati iudicis, ut iam vidimus, agentes *de modo vocandi in ius* seu citandi.

443. Q. V. *Materia huius Tituli, et ratio tractationis eiusdem.*

R. Legislator *tria simul* facit in hoc Titulo, id est, designat *a*) *species* probationum a lege ecclesiastica admissas, *b*) *modum* eas exhibendi et exsequendi, et *c*) *vim* seu *valorem* earundem. Quod quidem hoc modo perficit: praeiactis in c. 1747-1749 legibus fundamentalibus seu principiis iuridicis circa *probationum subiectum*, *obiectum*, *effectus et delectum*, recenset in *septem* capitulis *totidem probationum species*, videlicet, *probationem per confessionem*, *per testes*, *per peritos*, *per accessum iudicialem*, *per instrumenta*, *per praesumptionem et per iusiurandum;* et, prout singulas recenset, singularum *notionem*, *usum* et *vim probandi* tradit, subdividendo, si opus sit, capita in articulos.

Studiosus quisque percipit statim legislatorem non facere mentionem de *indiciis*, de *fama* et de *evidentia facti*, quae inter probationes recenseri solitae sunt hucusque. Huius omissionis ratio videtur esse quod *a*) *indicia* sunt *praesumptionum* fundamenta; unde ea quae in c. 1828 praescribuntur circa *praesumptiones hominis* seu *iudicis*, intelliguntur de indiciis; *b*) *fama*, id est, *communis*, *constans et concors populi vel ho-*

minum alicuius loci assertio de aliqua re, iuxta Glossam (1) « per se nihil probat licet praesumptionem inducat », quapropter accensenda est praesumptionibus, ut postea videbimus; *c*) probatio *per evidentiam facti* reducitur *ad accessum iudicialem* qui ad eam procurandam ordinatur.

TITULUS PRAELIMINARIS (addititius).

De obiecto, subiecto, effectu generali et delectu probationum.

Expositio textus.

Can. 1747. — *Quando non sit opus probatione (et quando non sit opus ordine iudiciario).*

Q. I. *Facta triplicis generis quae non indigent probatione.* **444.**

R. **Non indigent probatione:**

1° Facta notoria, ad normam can. 2197, nn. 2, 3;

2° Quae ab ipsa lege praesumuntur;

3° Facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.

... **1° Facta notoria.** Circa quod notandum est:

1) Quod factum potest esse *a*) notorium *notorietate iuris* scilicet, **post sententiam iudicis... aut post confessionem ...in iudicio** (c. parall. 2197, 2°); aut notorium *notorietate facti*, id est, **si publice notum sit et in talibus adiunctis... ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit** (ibid., 3°). 2) Quod *notorium facti* est vel *facti permanentis*, si nempe ob oculos hominum semper maneat, aut *facti transeuntis*, sive *interpolati* (et proinde repetiti) sive *non iterati*. 3) Quod utrumque postremum potest esse notorium *in ratione facti tantum* seu *materialiter*, et in ratione *actus humani* seu *formaliter*, id est, *moraliter imputabilis*, vel *scienter* et *libere peracti;* et, si agatur de *delicto*, *notorium* dicitur **si sit publice notum** in *ratione facti*, seu *quoad damnum* vel externam violationem legis, *certe notum* vero *in ratione delicti*, seu *quoad dolum;* ita ut factum materiale vel *damnum* nulla tergiversatione celari possint, imputabilitas vero vel *dolus* nullo iuris suffragio possint excusari. His praemissis dicimus:

(1) Can. *Si testes*, 4, q. 3.

1) Illud praescriptum, **non indigent probatione,** intelligitur *de notorio iuris*, et *de notorio facti proprie tali*, seu *notorio in ratione facti humani moraliter imputabilis*, et planum est.

2) Ob hanc causam, et quia huiusmodi notorietas non habetur regulariter in factis transeuntibus, Reiff. (1) cum communi sententia canonistarum scripsit « istud notorium (facti) intelligendum est praecipue *de notorio facti permanentis*, nam satis est hoc allegari nec indiget alia probatione ... Secus est dicendum *de notorio facti transeuntis;* nam, quia multa dicuntur notoria quae non sunt talia (c. 14, X, *De appellat.*, II, 28) et ea quae sunt notoria facti transeuntis forsitan non sunt notoria iudici (quia non evenerunt coram ipso nec est certus de imputabilitate actus), hinc notorium facti transeuntis non tantum debet allegari, sed etiam probari ... Quinimmo notorium facti transeuntis est probandum iuris ordine servato » ; id est, rite peractis oblatione libelli, citatione in ius, litis contestatione, concessione termini probatorii, conclusione in causa, defensione et discussione causae, citatione ad sententiam et probatione sententiae.

3) Imo *ipsum notorium facti permanentis*, et licet sit ex illis quam maxime notoriis, quae, nimirum, comprobari possunt authentico documento, dicendum est non indigere quidem probatione stricte exacta ad normas huius Tituli, seu probatione peragenda iuris ordine servato, sed indigere nihilominus aliqua probatione sufficienti ex iure naturali, ut clare eruitur ex c. 646, § 2, ubi praescribitur: **curet autem** (Superior) **probationes facti collectas in domus regestis asservare.**

4) In declarandis delictis notoriis, vel aliis factis utcunque bonum publicum spectantibus, nulla est causa cur promotor iustitiae excludatur, sed e converso adest specialis ratio ut, prout de iure, interveniat, maxime si reus sit absens. Imo alicubi, ut in Hispania, praxis obtinet exquirendi votum promotoris iustitiae in quibuscunque notoriis declarandis : quod quidem videtur nobis valde rationabile, cum huiusmodi declarationes scateant periculis laedendi ius alienum indefensum: Codex praescribit ut in causis matrimonialibus, interveniat defensor vinculi (c. 1990).

... **2° Quae ... praesumuntur:** et haec quidem, si sint praesumptionis *iuris et de iure*, non modo non indigent probatione, sed non admittunt probationem contrariam directam (c. 1826).

(1) *I. C. U.*, L. II, Tit. XIX, § 2, n. 37, sq.; Schmalzgrueber, *I. E. U.*, L. V, T. 1; Bouix, *De Iudic.*, T. II, P. II, Sect. IV, Subs. I.

... 3° **Facta ... admissa:** intellige, in iudicio, vel, aliis verbis confessio iudicialis, utpote quae, ut dicitur in can. 1751, **relevat alteram** (partem) **ab onere probandi,** in causis privatorum. ... — **a iure ... exigatur:** prout accidit in factis criminalibus et in quibuscunque aliis etiam negotia privata ex se respicientibus, in quibus tamen bonum publicum sit aliquo modo in causa; in his enim confessio, etiam iudicialis, non relevat actorem vel accusatorem ab onere probandi, ut, a sensu contrario, deducitur ex c. 1751. — ... **a iudice:** utputa si, etiam in causa quae privatorum tantum intersit, iudex prudenter timeat ne positio ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, uno verbo, confessio, sit coacta aut non plene libera.

Q. II. *Utrum circa facta, quae non indigent probatione, non sit servandus ordo iudiciarius.* 445.

R. Ex hoc quod aliqua facta non indigeant probatione non sequitur quod non debeat servari ordo iudiciarius quoad cetera, seu quod praetermitti possint ceteri actus iudiciales praeter probationes, ut puta *sententia*, *citatio ad sententiam*, etc. Et quidem,

1) Quoad facta indicata in n. 1°, scilicet, notoria,

A) Ius vetus non excludit ordinem iudiciarium *absolute*, sed ordinem iudiciarium consuetum seu *ordinarium*, ut habetur in c. 21, X, *De iureiurando*, II, 24, ubi dicitur: ... *nec in eis* (notoriis seu manifestis) *est ordo iudiciarius observandus qui debet in aliis observari: ... in manifestis et notoriis ... non credimus te teneri servare subtilitatem ordinis iudiciarii, quam in his non servari per omnia, ipsa iuris ratio postulat et requirit. Unde videbitur subtiliter intuenti, de ordine iudiciorum procedere, ut in praemissis non per omnia ordo iudiciarius observetur.*

B) Interpretes veteris iuris communiter docuerunt in notoriis non esse opus *accusatore* aut *denuntiatore* (iuxta c. 9, X *De accus.*, V, 1, *evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris*); nec *libello;* nec *citatione* nisi dubium fuerit an reo possit competere aliqua defensio (iam vero rarissime contingit reum non posse afferre aliquas excusationes circa factum quod externa facie apparet notorium, ut ait Pellegrini, qui multas causas excusationis affert) (1); nec *litis contestatione;* nec *iuramento calumniae;* nec *sententia sollemni in scriptis;* nec admittere *exceptionem suspicionis;* nec *deferre appellationi;* bene

(1) *Prax. Vic.*, pag. 347, 5.

vero esse *semper* opus *citatione* ad *sententiam*, necnon *sententia sollemni in scriptis*, *quoties* ageretur de notorio facti transeuntis, aut reus negaret notorium.

Sed quoad *citationem ad sententiam* ait Schmalzgrueber (*I. E. U.*, libr. V, tit. 1, n. 10): « Excipitur tamen quando mora cederet in praeiudicium reipublicae propter futurum scandalum in populo; quia tunc ratione scandali vitandi potest reus condemnari, etiam sine citatione. Nam ad vitandum scandalum in iure permittuntur multa, quae alias de sui natura illicita et prohibita sunt. Oportet tamen hoc casu certum esse delictum, et ita quidem, ut simul certum sit nullam reo defensionem competere ». Quoad *sententiam* vero docet Reiff. (n. 258) « Unde contraria sententia, quae ait in notoriis etiam sententia declaratoria non esse opus, solum procedit, quando vel est notorium facti permanentis, ita ut quotidie semper oculis hominum observetur, vel per reum non negatur notorium : imo, etiam in his duobus casibus consultius aget iudex si pronuntiet super notorio ».

C) Iure novo non excluduntur, imo, ni fallimur, requiruntur ex regula generali, *a*) *accusator*, scilicet promotor iustitiae, cui, vi canonis 1934 accusatio criminalis ... reservatur : unde iudex, nisi promotor officio suo desit, non potest procedere eo praetermisso ; *b*) *citatio*, utpote sine qua nequit servari nova disciplina inducta canone 1947, vi cuius, **Si reus interrogatus delictum confiteatur, Ordinarius, loco criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali, si eidem locus sit;** *c*) *libellus*, ut arguitur ex canonibus 1706 et 1955, et ex eo quod lis, etiam in notoriis, hodie introducitur opera promotoris ; *d*) *litis contestatio*, quia necessaria ad praebendum reo opportunitatem confitendi delictum ad normam eiusdem can. 1947 ; *e*) *sententia in scriptis*, ut eruitur ex cc. 1873-1877, qui statuunt regulas absque exceptionibus. Diximus *ex* regula generali, quia in *casibus exceptis* de quibus fit sermo in can. 1990 super re matrimoniali praetermitti possunt omnes actus et sollemnitates praeter *sententiam* et *citationem* partium et defensorio vinculi *ad sententiam ;* in casibus vero de quibus in c. 646, sufficit ut, absque ullo actu iudiciali, nec quidem sententia, **Superior maior cum suo Capitulo vel Consilio ad normam Constitutionum** (prout hae in rebus gravibus requirant suffragium Capituli vel Consilii) **emittat declarationem facti.**

2) Quod facta indicata in n. 2° indigeant pronuntiatione sententiae, ceterisque actibus iudicialibus nemo est qui dubitet.

3) Facta indicata in n. 3°, iure veteri, in contentiosis non indigebant sententia, eo quod confessio iudicialis scripsit Reiff. « habeat vim sententiae et rei iudicatae. Ita communis ; et patet ex l. 1, ff. *De confessis*, ubi dicitur : Confessus pro iudicato est quia quodammodo sua sententia damnatur . . . » (1) sed « in criminalibus (id., *ibid.*...) non habetur pro iudicato, sed insuper requiritur sententia iudicis . . . l. *si confessus un.* ff. *De custodia* et *exhibit. reorum* ». Iure autem Codicis nullibi tribuitur confessioni effectus sententiae, neque in contentiosis, unde ius vetus vim suam amisisse dicendum est (c. 6, 6°). Cum autem aliunde reducantur ad facta notoria, quia ex confessione iudiciali habetur notorium, servetur quod dictum est n. 1).

Can. 1748. — *De onere et effectu probationis.*

Q. I. *Probationis* 1) *subiectum;* 2) *effectus quoad reum in genere.* 446.

R. 1. ex § 1. **Onus probandi incumbit ei qui asserit.**

. . . **ei qui asserit**: qui *ordinario* est actor; sed onus incumbit etiam reo si excipiat. Nec fit huic regulae exceptio, passim a Doctoribus tradita, pro casibus in quibus asserenti faveat praesumptio iuris; nam haec est vera probatio, et ideo si stat pro asserente eximitur hic a probando, quia iam probavit allegando praesumptionem. Alia quae desiderari possunt vide in Exposit. rubricae Tituli IV, *De partibus in causa.*

R. II. ex § 2. **Actore non probante, reus absolvitur.**

. . . **absolvitur**: et quidem *etsi ipse nihil praestiterit*, ut dicitur c. 3, X, *De cau. poss. et propr.* II, 12. Et ratio est quia, ut diximus in Expos. rubr. Tit. IV, ad reum qua talem pertinet *passive* se habere, non autem *active*, probando aliquid, nec quidem suam innocentiam in criminalibus. Effectus igitur probationis inefficacis ex parte actoris est absolutio rei, etiam in criminalibus, ut infra videbitur; quisnam vero est effectus probationis efficacis seu plenae? Certe condemnatio rei ad praestationem aut omissionem ab actore petitam; vel, aliis verbis, actore probante, res ei cedit pro sua petitione in contentiosis, prout iustitia exigat in criminalibus et causis criminalibus et boni publici. Dixi *probationis plenae*, quia in casu probationis *semiplenae tantum*, actor non dicitur probasse, vel melius, dicendus est non probasse.

(1) *I. C. U.*, L. II, Tit. XVIII, nn. 64, 65.

447. Q. II. *Utrum in criminalibus teneatur aliquando reus suam innocentiam purgare seu probare: veteris purgationis canonicae notio et historica evolutio.*

R. I. Non tenetur reus se purgare, quia Codex nullam facit mentionem *de veteri instituto iuridico purgationis canonicae.*

R. II. Quod *institutum*, in hoc erat ut si accusator *ex officio*, seu promotor fiscalis probabat semiplene, accusatus cogi poterat ad se purgandum ab omni suspicione criminis, praestito iuramento, et interdum adhibitis quoque compurgatoribus qui super eius innocentia iuramentum credulitatis emitterent, ita ut clericus qui non iuraret vel compurgatores non adinveniret, efficeretur vehementer suspectus de crimine, et aliquando haberetur pro confesso (1).

Porro ad *historiam* quod attinet, *purgatio canonica per iuramentum*, de qua exstabat in Decretalibus appositus Titulus, et quae diversa erat a *purgatione vulgari* quae iure germanico fiebat *per aquam ferventem* aut *frigidam*, aut *per ferrum candens*, et alia similia, appellata *iudicia Dei*, et a iure canonico reprobata, *a*) inducta fuit primis Ecclesiae temporibus, occasione processus inquisitivi seu accusatorii *ex officio*, tanquam *remedium extraiudiciale*, ad abstergendum e cordibus fidelium quodcunque dubium de illo contra quem institutus fuisset processus inquisitivus cum effectu absolutorio ob defectum probationum ad condemnandum: *b*) decursu temporis moribus deflexit a suo instituto, et devenit *probatio iudicialis subsidiaria*, praestanda a reo; *c*) tandem e curiis ecclesiasticis exulavit, relicto dumtaxat vestigio in iuramento coniugum in causis de impotentia et de inconsummatione matrimonii, confirmando per testimonium dictum *septimae manus* (2).

448. **Can. 1749.** — Q. *Utrum et quando iudici liceat reiicere probationes legales.*

R. ex h. c. **Probationes quae ad moras iudicio nectendas postulari videntur, ceu examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi non potest, iudex ne admittat, nisi hae probationes necessariae videantur quia ceterae deficiant aut satis non sint.**

(1) Cc. 12, 13, X, *De sim.*, V, 3, et 8, X, *De cohabit. cleric.*, III, 2.
(2) Cfr. Lega, *De Iudic.*, Vol. IV, n. 112, sq.

CAPUT I.

De confessione partium.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis: utrum confessio sit species probationis.* **449.**

R. I. Cum scopus probationum sit iudicem edocere de facto controverso, hoc autem nulli magis notum sit quam partibus, unde vulgatum axioma, *propria* confessio *est optima probationum*, ideo legislator exorditur a *probatione per confessionem.*

R. II. Ex quo satis innuit confessionem esse speciem probationis, contra hoc quod Reiff. et alii docuerunt, videlicet non esse veram probationem praecise quia alteram partem relevat ab onere probandi. Sed contra, si probatio est ostensio veritatis, et hanc una pars obtinet ex confessione alterius, quid est in hoc casu confessio nisi vera probatio?

Q. II. *Confessionis* 1) *notio et qualitates;* 2) *divisio.* **450.**

R. I. *Confessio* in genere est *alicuius facti asseveratio.* In re processuali definiri solet: *De illo* (facto) *quod ab adversario intenditur in iudicio vel extra facta asseveratio.* Proprium ipsius est 1) docere factum, non ius; 2) exprimere factum, profitenti contrarium, adversario favorabile; 3) fieri *a*) ex certa scientia, *b*) sponte ac libere. Alias nullam habet vim.

R. II. Potest esse *iudicialis* aut *extraiudicialis; expressa* aut *tacita* ut si quis exhibeat pro se aliquod instrumentum, cuius aliqua pars favet adversario et ipse nullam reservationem faciat quoad illam partem, aut detur casus ut in c. 1800, § 4; facta *nomine proprio* vel *nomine alieno* ut ea quae fit a procuratore; *simplex* aut *qualificata* seu expressione aliquorum adiunctorum munita, veluti in c. 3, X, *De postul.* S. Pontifex refertur nuntiis Capituli Strigonen. respondisse quod super praeficiendo sibi Episcopo, *de gratia* (nota hoc adiunctum) *multoties Suffraganeorum fuerat requisitus assensus.*

Expositio textus.

Can. 1750. — Q. *Quaenam, seu in quibus adiunctis facta confessio dicitur iudicialis?* **451.**

R. **Assertio de aliquo facto, in scriptis aut oretenus ab una parte contra se et pro adversario coram iudice, sive**

sponte, sive iudice interrogante peracta, dicitur confessio iudicialis.

...**facto**: non iure, nisi forsitan particulari, seu statuto aut privilegio; et facto quidem *proprio* seu personali nisi mandatum speciale habeatur ut fiat confessio de facto alterius. — ... **contra se**: id est, ad se obligandum alteri in contentiosis, vel talis, in criminalibus, quae se ipsum reddat poenae obnoxium. Hinc non dicitur confessus fuisse ille qui asseruit alterum a se aliquid accepisse, aut socium suum exstitisse in aliquo crimine. — ...**et**: in sensu proprio seu copulativo, non disiunctivo ut aliquoties evenit. — ...**pro adversario**: nimirum, iuxta intentionem seu petitionem in iudicio propositam ab altero litigante, in contentiosis, vel a promotore iustitiae in criminalibus. Unde, ex. gr. assertio mariti dicentis dotem uxoris a se receptam fuisse, non est confessio quando non favet, imo praeiudicat creditoribus cum eo litigantibus (1).

Quid autem si confessio faveat partim adversario, partim confitenti? Adestne in hoc casu confessio, saltem in parte? Vel, ut quaeri assolet, confessio qualificata estne *scindibilis*, ita, videlicet, ut accipi possit aut forte debeat in ea parte qua contraria est confitenti, et faveat adversario, et in reliquis respui; aut, e converso, non est *scindibilis*, sed debeat vel tota acceptari vel tota respui? Videtur nobis quod confessio *vere qualificata*, id est, quae fiat circa « unum factum cum qualitatibus suis, vel circa plura connexa » (2) est *scindibilis in criminalibus*, *minime vero in contentiosis*. Quod, si textibus iuris canonici, aut veteris aut novi, non est expressum, iure romano erat praescriptum (cui plures civiles Codices hodierni concordant) et ab interpretibus iuris canonici admissum.

« In causis civilibus, ait Reiff. (3), ubi praesumptio iuris non stat contra qualitatem adiectam, tunc confessio qualificata debet vel tota recipi, vel tota respui; nisi recipiens partem talis confessionis pro se facientem, velit ac possit aliam partem, sive adiectam qualitatem per rationes impugnare et refutare. Ita Glossa magna communiter recepta in l. *siquidem* C. *De except.* Ratio prioris partis est quia, actore rem *pure et absolute* petente, si reus emittat confessionem qualificatam, haec magis est negativa quam affirmativa responsio... Atqui actore non probante reus absolvitur... Et per hoc patet responsio ad alteram

(1) Reiff., *I. C. U.*, L. II, Tit. XVIII, § 1, n. 23.
(2) Reiff., *l. c.* § 5, n. 118.
(3) *L. cit.*, § 5, 12, 120, sq.

partem datae conclusionis, videlicet, quod recipientes unam partem qualificatae confessionis, debeant alteram partem, seu adiectam qualitatem per rationes refutare... ».

« In criminalibus potest confessio qualificata dividi, eaque sine qualitate acceptari donec haec per allegantem legitime probetur. Ita Bartolus... qui testantur de communi... Solet haec conclusio exemplificari in eo, qui fatetur se occidisse hominem pro sua necessaria defensione; nam talis confessio acceptatur quoad partem, videlicet de facto homicidio, non vero quoad qualitatem necessariae defensionis, sed haec per allegantem est probanda. L. 1, C. *Ad leg. Cornel. de Sicariis*. Et idem dicendum, si quis confiteatur se vulnerasse proximum, aut aliud ei damnum intulisse solummodo per lusum c. 1, *De praesumpt.*; aut dixisse verba opprobriosa, non animo iniuriandi, l. *Si non convict.* C. *De Iudic.*, et huiusmodi... Accedit ratio: Quia in delictis, seu in his, quae sunt *de genere prohibitorum*, praesumitur dolus, et stat praesumptio contra delinquentem. Nam omne maleficum prave desumitur factum; ut cit. c. 1, iuncta Glossa fin. *De praesumpt...* ». Porro haec iuris praesumptio, iuri naturali innixa, retinetur expresse in Codice c. 2200, § 2.

Idipsum, quoad substantialia, docet Schmalzgrueber (1): « Quaeritur 4° an confessio qualificata noceat confitenti, ita ut ab adversario, vel iudice acceptari possit *quoad substantiam*, reiici *quoad qualitatem?* Resp. Distinguendo; vel enim qualitati annexae confessioni obstat aliqua praesumptio iuris, vel non. *Si prius*, confessio *quoad substantiam* admitti potest, *quoad qualitatem* reiici, ut si reus confiteatur se occidisse, sed ad defensionem propriam, vel si dicat se contumeliosa verba sparsisse in aliquem, sed non animo iniuriandi; nam huic, si qualitatem annexam non probet, non creditur, sed statur confessioni depositae quoad substantiam, reiecta qualitate, eo quod contra hanc militet praesumptio iuris, quae est ut quilibet occidens vel dicens verba contumeliosa, censeatur habere animum offendendi; l. *frater* 1. C. *ad leg. Cornel. De Sicar.* et 1. *si non convitii*, 5. C. *De iniuriis... Si posterius fiat*, et contra eiusmodi qualitatem confessioni annexam nulla sit praesumptio iuris, plurimum refert, an qualitas talis sit a negotio principali penitus separata, ac cum novo facto coniuncta, vel non. *Si hoc secundum*, ut si reus confiteatur se promisisse sub conditione,

(1) *I. E. U.*, L. II, P. III, Tit. XVIII, *De confess.*, n. 33.

vel se recepisse 100 quae sibi debebantur ex causa mutui, eo casu confessio debet acceptari tota, vel tota repudiari, quia qualitas et conditio non separabilis a negotio principali censetur esse pars eius. *Si primum*, ut si reus dicat: Verum est quod mutuos dedisti mihi centum, sed pactus es de non petendo: in eo casu confessio acceptari potest quoad debitum de mutuo, reiici quoad pactum de non petendo, quia secundum priorem partem potest vera esse, falsa secundum posteriorem : Abb. in c. 4, *De postul. prael.* ... Perez., Reiff. ».

Hanc doctrinam, et eodem modo quo eam exponit Schmalzgr. fere refert Codex Civilis Hispanus art. 1233. Codex Civilis Italus, art. 1360, idem praescribit, licet modo magis generali, et ideo reprehensioni obnoxio si sensus non intelligatur aliqualiter coarctatus. Hinc Mattirolo (1) textui articuli: *confessio sive iudicialis sive extraiudicialis nequit dividi in praeiudicium confitentis*, apponit ad verbum *nequit* verbum *gratuito*, id est sine causa. Simile praescriptum invenitur in Codice Gallico.

His igitur rationum momentis, tantarumque auctoritatum pondere perpensis, videtur nobis nimium tribuisse iudici clarissimum Lega, cum huiusmodi momentosae quaestioni satisfaciens, scripsit (2): « Sane res expedienda est per arbitrium iudicis ».

... **sponte**: quod verbum heic evidenter significat *ultro* unde eruitur confessionem *ultroneam* seu *spontaneam*, etiam iudicialem, non reiici a iure. « Imo in maximo pretio habere istam debet iudex... » (3). Attamen fatendum est confessionem interrogationibus alius non provocatam, reddi suspectam, maxime in criminalibus, et intra iudicium. « Qui enim in iudicio, sponte sua, prosiliit in confessionem sui criminis, fit suspectus de mendacio ne scilicet confitens aliquid commodum inde reportare intendat » (4).

452. **Can. 1751.** — Q. *Confessio iudicialis, in quibus negotiis et sub quibus conditionibus vim probandi habeat, et qualem.*

R. **Si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio iudicialis unius partis, dum modo libere et considerate facta, relevat alteram ab onere probandi.**

(1) *Istituzioni di Diritto Giudiziario*, n. 211.
(2) *De Iudic.*, L. II, Vol. IV, n. 221.
(3) Id., *ibid.*
(4) Cf. Lega, *De Iudic.*, L. II, Vol. IV, n. 221.

... **privato**: unde si agatur de negotio quod intersit boni publici, utputa, de causa criminali, id est, de crimine aut de poena infligenda aut declaranda, aut de causa matrimoniali, saltem circa valorem matrimonii, de restitutione in integrum minori concedenda aut deneganda, de causa beneficiali quoad titulum beneficii, etc. etc., confessio, licet valde utilis sit iudici ad comperiendam veritatem, non relevat eum ab onere exigendi et promotorem iustitiae ab onere praebendi probationes, quae seorsim a confessione sint sufficientes ad persuadendum iudicem et ad ferendam sententiam. — ... **in causa non sit**: id est, si causa vel negotium, ultra quod sint privata, non tangant ullo modo bonum publicum. Quandonam hoc eveniat vel secus, a iudice aestimandum est. — ... **unius partis**: stricte talis, non autem promotoris iustitiae (quamvis nomine partis aliquando veniat), nam illius confessio nequit unquam praeiudicium afferre bono publico.

... **libere**: quod quidem duo complectitur, nimirum, ut confessio fiat *a*) *ex certa scientia*, non *ex defectu cognitionis*; et *b*) *ex spontanea electione* non *ex defectu libertatis*, id est, ex violentia aut ex coactione. Iamvero, ut defectus cognitionis adfuisse dicatur, nihil refert utrum proveniat ex ignorantia, aut errore proprie tali, aut oblivione confitentis, an ex fallacia aut ambiguitate aut suggestione interrogantis. Violentia autem aut coactio habentur in hac re, illa quoties vis physica externa, ista quoties vis moralis pariter externa, sive sub forma metus sive sub forma blanditiei, v. g. promissionis impunitatis delicti, in confitentem adhibita fuerint. — ... **considerate**: quod duo pariter complecti putamus, videlicet, ut confessio fiat *a*) ex professo, non incidenter (1), et *b*) ex conscientia obligationis et ex proposito voluntatis fatendi veritatem, non ex impetu passionis v. g. calore iracundiae (2) aut ex vehementia desperationis, et ex scopo eandem passionem promendi.

... **relevat alteram ab onere probandi**: et proinde iudici non modo facultatem facit, sed obligationem imponit pronuntiandi sententiam conformem confessioni. Utrumque autem evenit eo quod *a*) iuxta vulgatum axioma: *propria confessio est optima probatio*; *b*) factum evenit **notorium notorietate iuris ... post confessionem ... in iudicio** (arg. c. 2197, 2°), et ideo ad sententiam non est opus ulteriore probatione (c. 1747).

(1) Cfr. Schmalz., *l. c.*
(2) *I. C. U.*, L. II, Tit. XXIII, § 3, n. 79.

Can. 1752. — *De impugnatione et effectibus confessionis iudicialis.*

453. Q. I. *Utrum, et quando pars impugnare seu revocare possit propriam confessionem iudicialem.*

R. **Pars, aliquid confessa in iudicio, non potest contra confessionem suam venire, nisi aut in continenti hoc faciat, aut probet confessionem ipsam vel carere conditionibus in can. 1750 expressis vel errori facti esse adscribendam.**

... **iudicio:** docet enim merito Card. Lega: « si iudex esset incompetens ratione obiecti aut gradus, qui incompetentiae defectus a parte sanari non potest, tunc iudicialis instantia cum non valeat, confessio non amplius haberetur iudicialis sed extraiudicialis; eiusque valor ab extrinsecis adiunctis esset desumendus ». Quam doctrinam videtur desumere a sensu contrario cap. 1 *De accusat.* in VI°; et, si quid opinor, extendere oportet, ob paritatem rationis, ad omnes casus iudicii invalidi. — ... **in continenti:** seu sine intervallo, id est, iuxta Glossam, antequam confessio redigatur in scriptis: « Aut certe hoc erit relinquendum arbitrio iudicis, qui, inspecta conditione personae, et quantitate intervalli, secundum qualitatem facti considerabit an adhuc in continenti censeatur confessio revocata » (1). — ... **faciat:** seu confessionem revocet aut corrigat simpliciter, id est, errorem allegando sed non demonstrando: quod patet ex sequentibus, et ex interpretibus iuris veteris (cf. Reiff., *ibid.*). — ... **aut:** id est, si revocatio non fiat in continenti. — ... **probet:** sive *a*) *exceptione* ante sententiam in eadem instantia, sive *b*) *appellatione* post sententiam definitivam, seu in ulteriore instantia, sive *c*) *petitione restitutionis in integrum* si agatur de minoribus — ... **conditionibus in can. 1750:** praeter ea quae continentur verbis **libere** et **considerate** in canone 1751 expressis et veluti substantialia confessionis referentibus. — ... **errori facti:** nec refert utrum sit adscribenda *errori iuris*, quia hic error non facit ad rem, nisi forte proveniat ex dolo interrogantis, qui hoc modo confitentem pertraxerit in confessionem non liberam, ut dictum est. Patet autem revocationem difficile admitti si factum sit recens, facilius vero si antiquum; item multo facilius admitti impugnationem si agatur de procuratoribus, quorum confessio, si facta fuit sine speciali mandato, declaranda est nulla, si vero huiusmodi

(1) Lega, *De Iudic.*, Vol. I, n. 447.

mandatum habeant, confessio valet tantum donec principalis vel ipse procurator demonstrent eam esse falsam aut limites mandati excessisse.

Q. II. *Utrum confessio impugnari valeat ob defectus processus.* **454.**

R. Distinguendo; *affirmative* si defectus est *insanabilis* voluntate partium, quales sunt illi qui recensentur in c. 1892; *negative* autem si defectus *possint sanari* a partibus, ut illi de quibus in c. 1894, necnon acta processus quibus uterque litigans renuntiare potest (c. 1740, § 1), et de facto rite renuntiavit (ibid., § 2). De his viget usque principium, *confessionem sanare omnes defectus processus.*

Can. 1753. — Q. *Confessio extraiudicialis, a) quandonam dicitur talis, et b) quamnam vim habet in iudicio?* **455.**

R. **Confessio sive scriptis, sive oretenus, ipsimet adversario aut aliis extra iudicium facta, dicitur extraiudicialis; eaque in iudicium deducta, iudicis est, perpensis omnibus rerum adiunctis, aestimare quanti facienda sit.**

. . . **extra iudicium**: forense, necnon sacramentale; nam sacramentalis confessio non potest in iudicio invocari ne poenitente quidem consentiente aut petente, ut decisum fuit a Rota Romana a. 1834-35 in celebri causa filiationis Ducis Sforza-Cesarini (1); in qua *ex licentia* matris infantis confessarius testatus est eam se accusasse de adulterio commisso; tribunal vero reiecit attestationem confessarii haustam ex confessione sacramentali, quam alienam a iudicio forensi pronuntiavit. Et merito, nam « alioquin suboriretur periculum aversionis et retractionis fidelium ab eodem tam salutari sacramento, contra Christi institutionem » (2). — . . . **adiunctis**: v. g. si fuit expressa, ex professo, geminata, iurata, in scriptis, cum adiectione causae (ut si quis dixerit, « debeo tantum Titio ex tali mutuo »), ab adversario praesente acceptata. *Plene* probat, iuxta Reiff. *l. c.*, si haec adiuncta simul concurrant, videlicet, ut fuerit *coram adversario, iurata, geminata, cum adiectione causae.*

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, Vol. 18, p. 56.
(2) Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XVIII, § VI, n. 136.

CAPUT II.

De testibus et attestationibus.

Expositio rubricae.

456. Q. I. *Ratio ordinis.*

R. Post confessionem partium *inspectio ocularis* seu *accessus iudicialis* est medium magis naturale licet non adeo ordinarium cognoscendi veritatem facti controversi; sed post hoc *attestationes* sunt medium magis naturale et simul magis ordinarium; quocirca legislator statim leges fert de hac specie probationis.

457. Q. II. *Huius probationis laudes et vices* 1) *pro temporum et legislatorum diversitate;* 2) *in Ecclesia.*

R. I. 1) Apud populos non multum excultos, *attestationes* sunt et fuerunt semper medium fere unicum probandi in iudicio vel extra, ut *de ordaliis* et aliis mediis illegitimis taceamus. — 2) Primaeva Romanorum epocha usus attestationum praevaluit, et nonnisi sequentibus saeculis comparata fuit probatio per instrumenta (1). — 3) Postea haec inolere cepit, nam ait Paulus (2): « Testes, nisi olim fidei tabularium adhibiti titubare dicantur, adversus scripturam interrogari non possunt ». — 4) Serius huic aequiparata fuit probatio per testes, aiente Contino (3) « in exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumentorum quam depositiones testium ». — 5) Medii aevi tempore quo litterarum studia neglecta fuerunt, probatio per testes iterum praevaluit, donec ius canonicum probationem per scripta debito honori et loco restituit. — 6) Sub initium aevi moderni circa medietatem saec. XV, schola Bononiensis probationem scriptam adeo extulit ut statuta condiderit proscribendo probationem per testes. — 7) In pluribus saltem Codicibus civilibus hodiernis probatio per testes habetur in magna suspicione.

R. II. Ecclesia Catholica mediam viam usque tenuit et in Codice quoque sequitur, admittens attestationes in omnibus

(1) Cf. Aul. Gel., XIV, 2.
(2) *Sent.* V., 15, § 4.
(3) In. l. 15, Cod. *De fide inst.*

controversiis, sed idoneas cautelas praescribens ne hoc medium probationis, suapte natura aptissimum veritati ostendendae, privetur sua efficacia. Huc pertinent sapientissima praescripta ut testis sit *a*) *iuratus*, *b*) *non* sit *unicus*, *c*) *non repetatur* super eodem articulo, *d*) possit cum aliis *confrontari*, *e*) a parte *videatur iurare*, *f*) tum persona ipsius tum attestationes *reprobari* valeant, etc.

Q. III. *Testium* (*et attestationum*) 1) *notio et qualitates;* 458.
2) *divisio.*

R. I. *Testis est persona quae ad fidem de aliquo facto perhibendam adhibetur.* Duae *qualitates* in eo requiruntur naturali iure, *scientia* et *probitas*, vel potius *veracitas*. *Attestationes* sunt *testium dicta coram eo prolata qui ad fidem faciendam vocavit illos.*

R. II. Testes sunt 1) vel *ad probationem actus* (de quibus heic sermo fit), vel *ad sollemnitatem actus;* et ex istis alii *testamentarii*, qui pro testamenti factione a lege requiruntur et subscribunt, alii *instrumentarii*, qui ad interessendum alicui actui vocantur et pro conficiendo relativo scripto, sive publico sive privato, adhibentur et subscribunt; 2) sive *publici*, seu *auctorizabiles*, si de actibus sui officii deponunt, sive *privati*, in ceteris casibus; 3) aut *contestes*, si duo vel plures concorditer deponunt de uno eodemque facto, aut *singulares*, si non concordant; 4) vel *inidonei*, si perfecta scientia carent, ut impuberes; vel *suspecti*, si timetur de defectu veracitatis; vel *incapaces* seu *inhabiles* si iure praesumuntur carere scientia, ut infantes, aut veracitate ut partes in causa, iuxta c. 1757, § 3, 1°; 5) vel *vocati*, vel e contra *ultronei* seu ad testimonium ferendum non invitati; 6) aut *directi* seu *de scientia propria*, aut *indirecti* seu *de scientia aliena;* 7) *de visu*, *de auditu*, etc., prout visu vel alio corporis sensu factum perceperint; 8) sive *de scientia*, qui deponunt de facto ope corporalis sensus percepto, sive *de credulitate*, qui deponunt de facto ope ratiocinii deducto aut coniecto; 9) *extraiudiciales*, vel *iudiciales;* de quibus postremis heic agitur.

Q. IV. *Capitis materia*, et *huius ordo.* 459.

R. Praemissis duobus canonibus circa usum probationis per testes in iure canonico, et circa testium obligationem respondendi, legislator septem articulis absolvit totidem quaestiones generales, videlicet; 1) *de iis qui possunt esse testes;* 2) *de iis qui possunt eos inducere aut excludere;* 3) *de eorum iuramento*, etc.

ARTICULUS PRAELIMINARIS (additicius).

De usu probationis per testes,
et de istorum obligatione respondendi.

460. **Can. 1754.** — Q. *In quibus causis, et sub quibus conditionibus admittitur probatio per testes?*

R. **Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur, sub iudicis tamen moderatione, secundum modum praefinitum in canonibus qui sequuntur.**

Can. 1755. — *De testium obligationibus quoad veritatem dicendam.*

461. Q. I. *An, et quando tenentur testes fateri veritatem?*

R. ex § 1. **Testes iudici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent.**

Testes: scilicet *omnes*, qui expresse non excipiuntur in paragrapho sequenti. — **...iudici:** vel eius auditori (cf. c. 1582) vel eius legitimo delegato (c. 1773). — **...legitime:** (interroganti) ratione tum subiecti, tum obiecti, tum modi, ut explicatum est in com. ad c. 1743. — ... **respondere:** et quidem modo disceptationi iudiciali magis congruo, videlicet *a*) *verbis* quoties hoc possibile sit; *b*) *scripto* si opus sit; *c*) *nutibus* vel signis si aliter impossibile sit. — ... **veritatem fateri:** quin sufficiat mendacium expressum evitare celando veritatem, ut aperte dicitur in § 3.

462. Q. II. *Quinam ab obligatione respondendi eximantur*, 1) *ratione ministerii aut officii*, et 2) *ratione damni.*

R. I. ex § 2. **Salvo praescripto can. 1757, § 3, n. 2, ab hac obligatione eximuntur:**

1° Parochi aliique sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia.

... **praescripto:** quod suo loco commentabimus. — ... **eximuntur:** in arbitratum ipsis relicto iudicare utrum possint, salva iustitia, aliquid prodere. — ... **sacri ministerii:** in genere, id

est, qua confessariis (1) aut qua parochis, aut vicariis generalibus, etc. — . . . **extra sacramentalem confessionem:** nam quoad ea quae intra cognoverunt non modo ab obligatione respondendi eximuntur, sed obligatione usque tacendi adstringuntur. — . . . **civitatum . . . notarii:** quia ratione officii tenentur ad secretum quoad ea quae sub secreto servari expedit, quamvis hoc ipsis non imponatur expresse. — . . . **aliique . . . tenentur:** id est, ceteri omnes qui similia munera exercent, aut qui, nullum officium exercentes, consilium ab eis requisitum praestiterunt; nam quae alicui manifestata sunt consilii exquirendi causa cadunt sub secreto ad instar officii.

R. II. ex § 2, 2°. **Qui ex testificatione sua sibi vel consanguineis vel affinibus in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis, infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.**

Sic, licet testis teneatur « respondere de omnibus illis quae reddunt eum inhabilem ad testificandum, simulque crimen seu turpitudinem ipsius non detegunt » (2), non tenetur respondere de iis quae concernunt ipsius vel suorum infamiam.

Q. III. *Poenae in testes mentientes aut verum occultantes,* 463.
et in eos ad hoc inducentes.

R. ex § 3. **Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniantur ad normam can. 1743, § 3; eademque poena mulctentur omnes, qui testem vel peritum donis, pollicitationibus aut alio quovis modo inducere praesumpserint ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam.**

. . . **legitime:** cf. Q. I. — . . . **scienter . . . occultantes:** quod tamen non praesumitur eos fecisse nisi probetur.

Art. I. — Qui testes esse possint.

Expositio textus.

Can. 1756. — Q. *Utrum omnes possint esse testes.* 464.

R. **Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.**

Omnes: sive viri, sive feminae, licet istae iure veteri

(1) Cfr. *Instructionem* S. R. U. Inquisit., 9 Iun. 1915.
(2) Reiff., L. II, tit. XX, n. 24.

(c. 10, X, *De verb. sign.* V, 40) excludebantur saltem in causis criminis. *Omnes*, iure tamen naturali *capaces:* sunt autem hoc iure incapaces quicunque ratione *infantiae*, *amentiae*, *furoris*, *ebrietatis*, etc. usu rationis carebant tempore quo factum perceperunt, vel carent tempore quo de facto deponunt (1). — ... **repellantur:** quod quidem non fit *eadem mensura* quoad omnes, ut statim innuit canon; nec *ob eandem rationem*, ut patet ex c. sequenti; nec *cum eodem effectu*, ut dicitur in can. 1758. — ... **vel in totum:** id est, in omnibus causis, v. g. impuberes, excommunicati, etc. — ... **vel ex parte:** seu in aliqua determinata causa, utputa, inimici in causis inimicorum, iudex aut advocatus in causis in quibus astiterunt, coniux in causa coniugis, etc.

Can. 1757. — Q. *Quinam a testimonio ferendo repelluntur* 1) *uti non idonei;* 2) *ut suspecti;* 3) *ut incapaces*, *quia a*) *partes in causa*, *b*) *extranei iudicio forensi*, *vel c*) *affecti erga partem.*

465. *R.* I. ex § 1. **Ut non idonei repelluntur a testimonio ferendo impuberes et mente debiles.**

... **non idonei:** ad plenam probationem, sed idonei solum ad probationis adminiculum (c. 1758). — ... **impuberes:** « quia impubes non videtur illius esse maturitatis, ut sufficienter iudicet de gravitate periurii, et ob animi levitatem facile corrumperetur » (2). Unde si impuberes facti sunt puberes « admitti ad testificandum possunt de iis quae viderunt in pupillari aetate, modo ea super quibus recipitur eorum testimonium, sint eius naturae, ut cadant sub sensum et intellectum impuberis, et facta sint tempore quo iam erat pubertati proximus » (3). — ... **mente debiles:** sive ob aegritudinem, ut imbecilles, sive ob aetatem veluti senes decrepiti.

466. *R.* II. ex § 2. **Ut suspecti:**

1° Excommunicati, periuri, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam;

2° Qui ita abiectis sunt moribus ut fide digni non habeantur;

3° Publici gravesque partis inimici.

... **suspecti:** de falsitate, et ideo eorum depositiones praebent indicia tantum. — **Excommunicati:** quandiu in excommunicatione manent. — ... **periuri:** « licet emendati sint et de

(1) Schmalzgrueber, *I. E. U.*, L. II, Tit. XX, nn. 3, 4.
(2) Schmalzg., *l. c.* n. 3 sq.
(3) Schmalzg., *l. c.* n. 24.

periurio poenitentiam egerint, et a testificando in omni causa repelluntur. Ita c. 54, X, *De testib. et attest.* II » (1). — . . . **infames:** donec infamia, si est *iuris* dispensata fuerit a S. Sede, si vero est *facti*, Ordinarius declaraverit eam cessasse (c. 2295). — . . . **post sententiam:** circa quod duo, tanquam magni momenti, notanda sunt: 1) quod non quilibet criminosus repellitur, ut iure veteri saltem iuxta interpretes, sed tantum periuri et illi qui suis criminibus occasionem dederunt excommunicationi aut infamiae; 2) quod etiam quoad istos requiritur quod praecesserit sententia condemnatoria vel declaratoria. — . . . **abiectis sunt moribus:** non praecise ob delicta nec propter officia quae exercent (ob quam causam repellebantur olim carnifices, lictores, etc.) sed ob vile genus vitae quod rerum moralium ignorantia aut bonorum temporalium penuria, aut utrumque comitatur, unde periculum corruptionis merito timetur. — . . . **inimici:** « quales censentur 1) illi inter quos lis mota fuit super crimine, dummodo aliqua labes infamiae ex ea lite aspergantur, ut in actione iniuriarum; 2) si de omnibus bonis vel maxima eorum parte, aut de statu, inter eos controversia sit; quia eiusmodi causae criminalibus aequiparantur; 3) si ortum habeat ex spoliatione famae aut fortunarum, ex detentione in vinculis etiam iusta praecedente, ex comminatione mortis vel alterius gravis damni » (2). Quod quidem intelligitur « etsi is ipse, qui contra testem inimicum excipit, dederit causam inimicitiae » (Id., *ibid.*).

467. *R.* III. Repelluntur ut *incapaces*, quia partes in causa, illi de quibus in § 3, 1°, scilicet:

Ut incapaces:

1° Qui partes sunt in causa, aut partium vice funguntur, veluti tutor in causa pupilli, Superior aut administrator in causa suae communitatis aut piae causae, cuius nomine in iudicio consistit, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt.

Ut incapaces: tales scilicet, qui nec audiri possint (argu. c. 1758). — . . . **partes:** nam iure naturali interdicitur ne quis sit pars et testis in eadem causa, tunc enim testimonium ferret non modo *in re sua*, quod omnia iura vetant (3) sed etiam *pro se*, quod maius et peius est. Hinc, iure quoque veteri (4), cle-

(1) Schmalzgr., *l. c.* n. 24.
(2) Schmalzgr., *l. c.* n. 43.
(3) L. 10 ff. *De testib.*
(4) C. 12, X, *De test. et attest.* II, 20.

ricorum alicuius ecclesiae *testimonium in quibus actores vel responsales sunt instituti, non debet admitti.* — . . . **Superior . . . consistit:** sive tanquam actor sive tanquam reus seu responsalis; haberetur enim absurdum, nunc nunc damnatum, nimirum, quod esset pars et testis in eadem causa. Hoc autem inconveniens aberit si administrator causae piae aut personae moralis non collegialis in iudicio consistat ut pars, rector vero, si adsit, vocetur ut testis (vel vice versa); et pariter si oeconomus aut alius ex communitate seu persona morali collegiali consistat ut pars, Superior autem ut testis (vel vice versa); unde neutrum prohibetur expresse, nec censemus implicite prohibitum hoc canone.

Quae sententia confirmatur, saltem quoad personas collegiales, dispositione iuris antiqui (1) sic alloquentis Priori et fratribus SS. Trinitatis: *Insuper statuimus ut liceat vobis in causis ecclesiae vestrae ferre testimonium: dummodo unus ex vobis vel duo ad agendum et respondendum instituantur, quorum testimonium in causis in quibus actores vel responsales sunt instituti, non debent admitti.* Item alius textus loquitur magis in genere: *Clerici non sunt a ferendo testimonio super negotio ecclesiae suae (nisi alia rationabilis causa impediat) repellendi.* Neque adversus nostram sententiam obiiciatur eam secumferre aliud inconveniens, videlicet, illos de quibus agitur fore testes in causa propria; respondetur enim causam propriam alicuius dici illam « cuius emolumentum vel damnum ad (eum) suo nomine pertinet » (2); atqui emolumentum vel damnum communitatis, et etiam, in casu a nobis proposito, causae piae, minime ad Superiorem aut rectorem pertinet nomine ipsorum. Huc faciunt saltem quoad communitatem seu personam collegialem sequentes textus: « Universitatis sunt, non singulorum, quae communia sunt civitatum » (3). « Si quid universitati debetur singulis non debetur » (4).

Quorum textuum et principiorum iuridicorum applicationi non obest generalis ratio quod emolumentum vel damnum communitatis, vel ecclesiae vel causae piae redundent in eos qui ad illas pertinent, nam ea non obstante viguerunt usque praescripta cc. 6 et 12 supra citata; sed requiritur rationabilis causa specialis, utputa quod illi actorem, vel reum, vel iudicem vel

(1) C. 6, X, *De test. et attest.* II, 20.
(2) L. 1. § *in propria* ff. *Quando appellandum sit.*
(3) L. *in tantum* ff. *De rer. divis.*
(4) L. 1. *Sicut* ff. *Quod univers. nom.*

advocatum agant in causa. Eritne rationabilis causa quod lis versetur circa mensam dioecesanam, aut massam bonorum communitatis, ecclesiae, fundationis aut causae piae, unde testis sustentatur? Opinor *testem*, sive praelatum sive alium quemlibet non esse in his casibus incapacem, quia si legislator hoc voluisset, certe expressisset in hoc canone, quemadmodum in c. 1572, § 2, episcopum declaravit *iudicem* incompetentem si **agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae.** Imo hoc silentio legislator reprobavit insuper, ni fallor, sententiam illorum qui, ut Reiff. (1) retinent ut incapacem beneficiatum si lis versetur circa praebendam separatam eidem propriam; quem proinde nos habilem reputamus, nisi agatur de fructibus quos iam fecerit suos, aut debeat agere vel respondere per se vel per alium (2).

R. IV. Utpote alieni a iudicio forensi repelluntur con- 468.
fessarii et alii, iuxta § 3, 2°, videlicet:

Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt.

Sacerdotes: veri, necnon illi qui se simulantes sacerdotes confessionem sacramentalem sacrilege exceperunt; nam quoad eos locum habet ratio legis, ne videlicet, confessio sacramentalis reddatur odiosa. — ... **omnia:** licet non subiecta sigillo sacramentali, nam canon non distinguit, nec ex sigillo petitur ratio huius legis. — ... **ex confessione:** et intra eandem, non quae extra confessionem quandoque ab aliquibus manifestari dicuntur tanquam in confessione, dummodo manifestatio non habuerit locum **occasione confessionis,** *peractae* aut *peragendae.* — ... **confessione sacramentali:** vera, non simulata, aut pravo fine facta, si tamen de hoc publice ac notorie constaret; nam aliter dicendum si simulatio sit occulta, et planum est. — ... **a quovis:** v. g. a Superiore a quo extra confessionem petita fuerit facultas absolvendi a casu reservato; ab interprete adhibito pro confessione; a theologo vel alio consulto a confessario; ab illo qui sive data opera sive fortuito confessionem alterius audiret; ab aliis qui ab ipso vel quomodocunque notitiam rei habuerint. — ... **recipi:** si, licet non interrogatus, deposuerit.

(1) *I. C. U.*, L. II, Tit. XX, § VII, n. 207.
(2) Cf. Schmalzgr., *I. E. U., De Iud.*, T. XX, n. 60.

469. *R.* V. *Utpote affecti erga partem* repelluntur ex § 3, 3°: **Coniux in causa sui coniugis, consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis, in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut religiosum personae spectant, cuius notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur.**

Coniux in causa sui coniugis: num etiam amasius in causa suae concubinae vel amasiae? Negative; nam causae *incapacitatis*, sunt, ni fallor, *taxative* recensitae a Codice. Sed potest repelli ut suspectus ob infamiam facti ad normam can. 2293, § 3. — ... **nisi... statum civilem aut religiosum:** utputa, utrum inter testem et coniugem sit aliquod impedimentum dirimens matrimonium, aut consanguineus testis sit celebs, vel sacris initiatus vel aliquam religionem professus; etenim in his causis a nemine melius quam a propinquis haberi potest *notitia* facti. Ast vero cum sint naturaliter *suspecti*, quia potest illorum interesse *veritatem* occultare aut *falsum* dicere, legislator eos admittit uti capaces quando dentur *simul* haec duo adiuncta: quod **notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur.** Porro bonum publicum exigit ut notitia habeatur quoties postulat ut sententia pronuntietur, utputa si controversia versetur circa impedimentum matrimonium dirimens iure divino.

470. **Can. 1758.** — Q. *Testes non idonei aut suspecti*, 1) *an, et quomodo vocari possint;* 2) *quomodo, et cum quo effectu audiri. Quid de incapacibus?*

R. **Non idonei et suspecti audiri poterunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaretur; sed eorum testimonium valebit tantummodo ut indicium et probationis adminiculum, et generatim iniurati audiantur.**

... **ex decreto:** quod nulla discussio praecedat nisi ad normam c. 1764, § 5. — ... **iniurati:** ad evitandum periculum periurii. — Quid de incapacibus? A sensu contrario huius canonis arguitur quod non possunt audiri, et ex c. praecedenti § 3, 2° deducitur quod eorum depositiones forte sponte factae ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt.

Art. II. — A quibus, quomodo, et quot testes induci et qui excludi possint.

Expositio rubricae.

Q. I. *Quid sit testium a) inductio, b) exclusio.* **471.**

R. a) Testes *inducere* est eos designare ad normam c. 1761, § 1. Differt ab illa generali indicatione probationum exhibendarum, facienda in libello (c. 1708, 2°). *b)* Testes *excludere* est eos vel repellere, vel reprobare seu contra eos obiicere ad normam c. 1764.

Expositio textus.

Can. 1759. — *Testium inductio a quo fiat, et an revocabiliter.* **472.**

Q. I. *Testes* 1) *a quo inducuntur generatim;* 2) *quandonam a promotore aut defensore;* 3) *utrum, et quando a iudice.*

R. I. ex § 1. **Testes a partibus inducuntur.**

Et planum est, quia earum interest probare et eisdem nota sunt probationis media.

R. II. ex § 2. **Possunt quoque induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id ad causam intersit.**

... a promotore: licet causa sit ex se privata, si tamen vere afficiat bonum publicum. — **... defensore:** in causis de vinculo matrimonii.

R. III. ex § 3. **Sed ipse iudex, quoties agatur de minoribus aliisve qui minoribus aequiparantur, et generatim quoties publicum bonum id exigat, potest testes ex officio inducere.**

... ipse iudex: quia iure canonico, quidquid sit de iure saeculari, ius promotoris aut defensoris non excludit iudicem, officium autem eorum non eximit eundem a curando bono publico, quoties aliquo modo sit in causa.

Q. II. *An et quomodo pars possit renuntiare examini testis a se inducti.* **473.**

R. IV. ex § 4. **Pars, quae testem induxit, potest eius examini renunciare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testis examini subiiciatur.**

... postulare potest: et proinde iudex concedere debet nisi specialis causa obstet.

474. **Can. 1760.** — Q. *Testem ultroneum quandonam iudex* 1) *admittere possit,* 2) *repellere debeat.*

R. I. ex § 1. **Si quis sponte compareat testimonii reddendi gratia, iudex poterit eius testimonium admittere vel repellere prout expedire censuerit.**

Equidem testis ultroneus non est hoc ipso suspectus a iure (cfr. c. 1757, § 2), nec quidem in causis privatorum, multo minus in eis quae respiciunt bonum publicum; attamen saepe adest sufficiens causa suspicionis; ideo res relinquitur prudentiae iudicis.

R. II. ex § 2. **Debet autem testem, qui se sponte obtulerit, repellere cum comparere sibi videatur moras iudicio nectendi causa vel iustitiae et veritati quoquo modo officiendi.**

Can. 1761. — *De forma inducendi testes.*

475. Q. I. *Quid exprimere debeat testium inductio, seu postulatio probationis per testes.*

R. I. ex § 1. **Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunali indicentur; praeterea exhibeantur positiones seu articuli argumentorum super quibus testes sint interrogandi.**

Cum ... postulatur: tempus autem postulationis incipit a litis contestatione, statim ac Iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis (c. 1731, 2°). — **... exhibeantur:** opportune, testibus iam admissis. — **... positiones seu articuli:** iuxta explicata in commentario ad c. 1745.

476. Q. II. *Quandonam cessat facultas seu tempus inducendi testes?*

R. II. ex § 2. **Si ne intra diem quidem peremptorium a iudice praestitutum, obtemperatum fuerit, postulatio deserta censetur.**

477. **Can. 1762.** — Q. *A quo, et qualiter moderandus sit inducendorum testium numerus.*

R. **Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi.**

... nimiam: pro qualitate et gravitate causae et suo prudenti arbitrio, absque appellatione.

Can. 1763. — Q. *Utrum, et in quo iudicii stadio debeant partes sibi invicem nota facere testium nomina.* **478.**

R. **Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testificationum publicationem.**

... **nomina**: etiam in causis criminalibus (exceptis quae ad commissionem S. Off. spectant iuxta c. 1555, § 1), quia canon non distinguit; tamen in his nomina non communicantur dum citatur reus ad comparendum (c. 1946, § 2, 3°) sed postquam promotor confecerit accusationis libellum ad normam c. 1956. — ... **publicationem**: cfr. c. 1782.

Can. 1764. — *De reprobatione et exclusione testium.*

Q. I. *Quandonam testes* 1) *excludi debeant a iudice ex officio;* 2) *reprobari seu excludi debeant ad instantiam partis;* 3) *reprobari possint a parte inducente.* **479.**

R. I. ex § 1. **Testes debent ex officio excludi, si iudici liquido constet eos a testimonio ferendo prohiberi, salvo praescripto can. 1758.**

... **liquido**: unde, si dubitet, tenetur eos admittere, tum quia testimonium ferre est, ut dicitur, *de genere permissorum* et proinde constituit ius testis quod absque istius iniuria coarctari nequit sine causa manifesta, tum quia exclusio alicuius testis potest inferre damnum parti, eiusque ius laedere. — ... **ex officio**: sed, ni fallor, apposito decreto, quo exprimat iustas causas, ob quas ipsi **liquido constet eos a testimonio ferendo prohiberi**; ut deducitur ex c. parallelo 1785, *v.* **procedat**... et ex c. 1840, § 3. — ... **prohiberi**: ut non idonei, vel ut suspecti vel ut incapaces (c. 1757). — ... **salvo** etc.: id est, salvo iure aut officio accipiendi eorum testimonium **ut indicium et probationis adminiculum,** eo certe levius quo dubium est gravius.

R. II. ex § 2. **Ast etiam, postulante adversario, testes excludendi sunt, si iusta exclusionis causa demonstretur, quae exclusio dicitur** *reprobatio personae testis.*

... **excludendi sunt**: apposito decreto ut praescribit c. 1785, *v.* **procedat**: et c. 1840, § 3. — ... **demonstretur**: offerendo iudici probationes dum postulatur reprobatio, licet iudex differat, ex h. c. § 5, **discussionem in finem litis** (idest, ni fallor, *post examen testium*, saepe enim contingit quod, cognitis a iudice attestationibus, clarius illi constet de iustitia aut iniustitia reprobationis, sed non *post testium evulgationem*, quia, hac facta,

cessat facultas reprobandi testis personam (c. 1783), de qua reprobatione hic agitur), et proinde differat quoque (nisi ex h. c. § 5 **stet praesumptio... nequeat**) decretum reiectionis, reprobationis (c. 1784) vel admissionis iudicii reprobationis (c. 1785).

R. III. *Negative*, generatim, ex § 3. **Pars nequit reprobare personam testis quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit, quamvis possit eius dicta reprobare.**

... **personam testis:** etsi revera non idonei aut suspecti ob causam antequam testis induceretur natam licet fortasse inducenti ignotam. — ... **nova ... supervenerit:** id est, quae post inductionem testis nata fuerit, non ea quae post inductionem innotuerit, hanc enim ultimam interpretationem excludit verbum **supervenerit,** praecipue si conferatur cum his quae praescribuntur in § sequenti. Accedit ratio, quod praesumitur partem non inducere testem nisi eius persona sit probe ipsi nota; quae praesumptio videtur devenire *iuris et de iure* vi huius canonis. — ... **dicta:** in se ipsis, vel quoad modum examinis ad normam c. 1783, 2°.

480. Q. II. *Quandonam reprobatio debet* 1) *proponi et probari;* 2) *discuti et definiri.*

R. I. ex § 4. **Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerunt, nec postea facta admittatur, nisi a parte demonstretur vel saltem iuramento affirmetur defectum testis antea sibi notum non fuisse.**

... **demonstretur:** etiam post testium evulgationem (c. 1783, 1°), et in quovis iudicii stadio et gradu, quandiu impugnatio sententiae admittitur.

R. II. ex § 5. **Iudex autem reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stet praesumptio iuris, aut defectus sit notorius vel statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat.**

... **discussionem:** coram iudice faciendam **ut in aliis incidentibus causis** (c. 1785), parti postulanti termino praestituto ad probandam reprobationem (c. 1785), adversae autem parti ad respondendum et animadvertendum contra probationes. — ... **in finem:** post attestationum cognitionem a iudice, minime vero post testimoniorum evulgationem ob rationes allatas in com. ad § 2. – ... **praesumptio iuris:** quando nimirum causa reprobationis testis ita est determinata a iure ut non indigeat alia determinatione facienda a iudice sed dumtaxat declaratione;

utputa si allegetur quod testis sit *inidoneus* quia impuber, aut *suspectus* quia excommunicatus, periurus aut infamis post sententiam, aut *incapax* quia est pars aut partis vice fungens in causa, aut coniux vel consanguineus vel affinis partis.

Can. 1765. — Q. *Citatio testium a quo, et quomodo facienda,* 481.
et qualiter intimanda?

R. **Citatio testium fit ministerio iudicis, decreto interveniente, et intimanda est testibus ad normam can. 1715-1723.**

Can. 1766. — Q. *Testis citati,* 1) *vadimonium,* 2) *poenae* 482.
ob inobedientiam.

R. I. ex § 1. **Testis rite citatus parere debet aut causam suae absentiae iudici notam facere.**

...debet: tum in contentiosis tum in criminalibus, nam canon non distinguit: « Siquidem, ait Lega (1) munus testis, quia est natura sua publicum, quippe in publicum bonum in iudiciis exercendum, etiam in civilibus (contentiosis) causis recusari a cive non potest. Expedit enim Reipublicae ut iudicia quoque civilia (contentiosa) congrue expediantur ».

R. II. ex § 2. **Testis inobediens, qui nempe sine legitima causa non comparuit, aut, etsi comparuit, renuit respondere vel iusiurandum praestare vel attestationi subscribere, a iudice potest congruis poenis coerceri et insuper mulctari pro rata damni quod ex eius inobedientia partibus obveniat.**

...sine legitima causa: ut puta quia aegrotus, aut alias exemptus ab obligatione testificandi in illa causa; quia pars in causa, aut consanguineus, affinis, etc.; iuxta c. 1757, § 3. — **...inobedientia:** quae quidem vocata est a pragmaticis contumacia *in non comparendo, in non respondendo,* etc.

Art. III. — De iureiurando testium.

Expositio rubricae.

Q. I. *Duplex iusiurandum testium.* 483.

R. Aliud est *ordinarium, promissorium,* et *necessarium,* seu *de veritate dicenda,* quod in omnibus causis generatim praestari debet, aliud *extraordinarium, assertorium* seu *de veritate dictorum,* quod in gravibus negotiis deferri potest a iudice. — Cfr. **n. 435,** ubi explicavimus triplex *iusiurandum iudiciale* ex veteri iure.

(1) *De Iudic.,* V. I, n. 489.

Expositio textus.

Can. 1767. — *De necessitate iurisiurandi et commonitionis testium.*

484. Q. I. *Iusiurandum ordinarium testium* 1) *an, quando, et de quo praestari debeat;* 2) *a quibus videri possit;* 3) *quando remitti valeat.*

R. I. ex § 1. **Testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare debet de tota ac sola veritate dicenda, salvo praescripto can. 1758.**

... **debet:** vi horum principiorum: *testis non iuratus non probat; testi non iurato non creditur.* Et merito, nam nisi testi incutiatur timor iustitiae tum divinae tum humanae, periurium puniturae, parum spei foret quod veritatem esset dicturus. Inde veteri iure etiam monachis imposita fuit obligatio iurandi. — ... **de tota ac sola veritate:** ad quod assequendum legislator ecclesiasticus, iure veteri, voluerat testes *iuramento firmantes, quod ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, amore, timore vel commodo non procedant* (1).

R. II. ex § 2. **Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt, salvo praescripto can. 1763.**

... **possunt:** et proinde, nisi taceantur nomina testium ob difficultatem de qua in c. 1763, debent partes commoneri seu invitari a iudice, non autem sub poena nullitatis, ut iure veteri, ita praescribente: *Ecce admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes veniat* (« audire eos iurantes », ut dicit Glossa); *quod quia hic omissum est, necesse est ut quod contra legem actum est, non habeat firmitatem.*

R. III. ex § 3. **Testibus, si de iure partium mere privato agatur, poterit iusiurandum, utraque parte consentiente, remitti.**

Ergo, a sensu contrario, iusiurandum non potest remitti si agatur de causis boni publici, uti de vinculo matrimonii, de restitutione in integrum quoad minores et de crimine aut si alterutra pars non consentiat.

(1) C. 47, X, *De test. et attestat.* II, 20.

Q. II. *Commonitio testi facienda.* 485.

R. ex § 4. **Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi.**

...testem: maxime si rudis sit, aut excultus quidem sed in officiis religionis non adeo instructus.

Can. 1768. — Q. *An, et quando possint testes adigi ad iusiurandum extraordinarium seu de veritate dictorum.* 486.

R. **Testes, tametsi iusiurandum praestiterint de veritate dicenda, poterunt nihilominus pro prudenti iudicis arbitrio, absoluto examine, adigi ad iusiurandum de** *veritate dictorum* **sive circa omnes positionum articulos sive circa aliquos tantum, quoties gravitas negotii et editae testificationis adiuncta id postulare videantur.**

... testificationis adiuncta: v. g. si testis fuit in aliquo titubans aut parum cohaerens.

Can. 1769. — Q. *Utrum testes adigi etiam iuramento possint ad secretum servandum, et circa quae et quandiu.* 487.

R. **Testes adigi etiam iureiurando possunt ad secretum servandum circa propositas interrogationes dataque interrogationibus responsa, usque dum acta et allegata publici iuris fiant; imo etiam perpetuo ad normam can. 1623, § 3.**

Art. IV. — De testium examine.

Can. 1770. — *De testibus vocandis vel non ad comparendum in sede et aula ordinaria tribunalis.*

Q. I. *Locus examinis testium ex regula generali.* 488.

R. ex § 1. **Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.**

... sede: id est, in *civitate* seu loco ubi tribunal residet, et *in aula* iudiciis celebrandis destinata, prout dictum est in comm. ad c. 1636.

Q. II. *Locus examinis per exceptionem,* 1) *pro Cardinalibus,* 489. *Episcopis et certis personis illustribus;* 2) *pro ceteris conditione vitae aliove impedimento irretitis;* 3) *pro degentibus extra dioecesim;* 4) *pro commorantibus in dissitis locis.*

R. I. ex § 2. **Ab hac generali regula excipiuntur:**

1° S. R. E. Cardinales, Episcopi et personae illustres

quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testificandi causa: ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo iudicem certiorem facere debent.

... **Episcopi**: etiam titulares. — ... **illustres**: quod iam veteri iure vigebat, romano quidem (1), sed canonizato, ut patet ex Glossa in c. 8, X, *De test. et att.* II, 20. — ... **civitatis iure**: id est, iure saeculari, sive scripto sive consuetudinario aut usuali. — ... **locum**: qui certe debet esse, iudicio citantis, *tutus, honestus, aptus*.

R. II. ex § 2, 2°. **Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut conditione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt.**

Qui ... impedimento: circa quod ita se habet ius vetus, certe non mutatum (2): *Si qui testium valetudinarii sunt, et senes, vel debilitate confecti, aut paupertate depressi, ita quod non possint ad vestram praesentiam adduci*: « ideo, ait Glossa, quoad hos pauperes, quia tales sunt quod non decet eos venire ad iudicem, forsitan quia nobiles, et ita verecundantur venire propter nimiam paupertatem ». — ... **conditione vitae**: quorum sensus verborum declaratur praescriptis iuris veteris (3): *Mulieres (quas vagare non convenit nec virorum coetibus immisceri) auctoritate litterarum Sedis Apostolicae vel Legatorum ipsius aut alia quacumque ad iudicium personaliter evocari vel invitas trahi, causa ferendi testimonium... prohibemus... Caeterum foeminae religiosae... extra suum Monasterium seu clausuram non vocentur ad iudicium vel trahantur ex quavis causa personaliter, etiamsi ad hoc voluntas accederet earundem.*

R. III. ex § 2, 3°. **Qui extra dioecesim degentes, in dioecesim reverti et ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt; ii audiendi sunt a tribunali loci in quo commorantur ad normam can. 1570, § 2, secundum interrogationes et instructiones a causae iudice transmissas.**

... **gravi incommodo**: aestimando a citante, vel, ni fallimur, etiam ab Ordinario, cuius est a lege communi, in casu dubii, dispensare, ex c. 15.

R. IV. ex § 2, 4°. **Qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ita dissitis a tribunalis sede, ut sine gra-**

(1) L. ff. *De iureiur. Ad egregias.*
(2) C. 8, X, *De test. et attest.*, II, 20.
(3) C. 2, *De Iudic.* in VI°.

vibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque a iudice adiri possint. Hoc in casu iudex debet propiorem aliquem sacerdotem dignum et idoneum deputare, ut cum assistentia alicuius, qui actuarii munere fungatur, examen horum testium perficiat, transmissis pariter eidem interrogationibus faciendis, datisque opportunis instructionibus.

...gravibus impensis: a citante vel Ordinario aestimandis. — **...alicuius:** notarii si adsit, vel alius quem pro ea causa Ordinarius, non ipse iudex, designet (c. 1585) ut **actuarii munere fungatur.**

Can. 1771. — Q. *Utrum examini testium queant partes assistere.* 490.

R. Negative ex regula generali, *affirmative* per exceptionem. Ita ex h. c. **Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittendas censuerit.**

...nequeunt: *ex regula generali* sive in criminalibus sive etiam in contentiosis, nam canon loquitur absque distinctione. Iure veteri vigebat in contentiosis regula omnino contraria. Imo « ipsa pars testes producens et pars adversa audientes testium responsiones expostulare possunt, scripsit Lega (1), ut aliae fiant interrogationes a iudice ». Quoad causas criminales servabatur hodierna regula; nam « concludimus, scripsit idem auctor, certam esse hodiernam praxim eandemque solidissimis rationibus innixam, quae iubet testes in supradictis causis audiendos esse regula generali remotis partibus aliisque testibus ». — **...nisi iudex** etc.: quae exceptio applicatur causis criminalibus; quia canon non distinguit. Et merito quidem, nam potest in utrisque adesse casus quo expediat testem productum sive ab adversario sive *ex officio* interrogare, praesente altera parte, vel etiam coram aliis testibus ut infra dicetur. Sed nemo non videt rem esse plenam periculi in criminalibus, neque omni difficultate vacare etiam in contentiosis, praecipue si agatur de testibus productis *ex officio*.

Can. 1772. — *De examinis ratione relate ad aliorum praesentiam.* 491.

Q. *Quoad examen testium*, 1) *utrum fieri debeat seorsim;* 2) *an, et cuius arbitrio, et qualis fieri possit aliquando confrontatio;* 3) *sub quibus conditionibus confrontatio facienda sit.*

(1) *De Iudic.*, I, n. 477.

R. I. ex § 1. **Testes seorsim singuli examinandi sunt.** Ex regula generali, ut patet ex sequentibus.

R. II. ex § 2. **Prudenti tamen iudicis arbitrio relinquitur post edita testimonia testes inter se aut cum parte conferre, seu, vulgo,** *confrontare*.

... relinquitur: non exclusis, ut patet, causis criminalibus: in his tamen maxima moderatio adhibenda est. — **... post edita testimonia:** ad normam c. 1782, sq.

R. III. ex § 3. **Id autem fieri poterit si haec omnia simul concurrant, scilicet:**

1° Si testes inter se aut cum parte in re gravi et causae substantiam attingente dissentiant;

2° Si nulla alia facilior ad veritatem detegendam suppetat via;

3° Si scandali vel dissidiorum periculum non sit ex collatione pertimescendum.

Can. 1773. — *De examinis ratione quoad auctorem et modum.*

492. Q. *Testium examen,* 1) *a quo, et coram quo sit faciendum; et* 2) *quomodo seu per quem.*

R. I. ex § 1. **Examen fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius.**

... delegato: clerico, nam examen testium est actus iurisdictionis. — **... auditore:** cuius **est testes citare et audire ... secundum tenorem mandati** (c. 1582). — **... assistat ... notarius:** cum examen testium sit actus essentialiter iudicialis et in actis ad litteram necessario referendus.

R. II. ex § 2. **In examine interrogationes non ab alio quam a iudice vel ab eo qui iudicis locum tenet, testibus deferendae sunt. Quapropter si partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi examini intersint et novas interrogationes testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponere debent, ut eas ipse defera t.**

493. **Can. 1774.** — Q. *Ordo et materia interrogationum seu examinis testis.*

R. Debet testis interrogari *primo* **de generalibus personae** (suae) **adiunctis,** et, quoad haec, de nomine, cognomine, etc. *secundo*, de ipsius connexione vel relatione cum litigantibus,

seu **quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo**; et, quoad hoc, de origine, obiecto, effectibus, vicibus et diuturnitate necessitudinis; *tertio*, de his, incipiendo a generalioribus, **quae causam ipsam respiciunt,** et, quoad haec, de fonte et modo **(unde et quomodo)** suae scientiae. Ita ex h. c.:

Testis primo interrogari debet non modo de generalibus personae adiunctis, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferendae sunt interrogationes quae causam ipsam respiciunt et sciscitandum unde et quomodo ea quae asserit, habeat cognita.

Can. 1775. — Q. *Interrogationum qualitates.* **494.**

R. **Interrogationes breves sunto, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.**

... **breves**: quo testis eas facile capiat et mente figat. — ... **non plura simul complectentes**: ne reus, mente confusus, applicet uni interrogationis parti responsionem quam reapse intendit alteri aptare. — ... **non captiosae**: id est, ambiguae, seu multiplicem sensum habentes, quae idcirco vitari debent ne iudex possit responsioni tribuere sensum quem testis non praestitit. — ... **non subdolae**: seu occulto artificio ita digestae ut eliciant responsionem ab interrogante quidem praevisam, a teste autem non praecognitam. — ... **non suggerentes responsionem**: seu istius materiam praebentes. Quod evenit si non incipiant *a generalibus* et deinde descendant ad specialia, sed statim *ab specialibus:* utputa si inquisitor statim « interrogaret de delicto et de eius circumstantiis et qualitatibus, ut ex illis instrui possit, (testis aut reus) ad respondendum. Et iste modus interrogandi dicitur proprie suggestio, quia suggerit quodammodo materiam ad respondendum iuxta interrogata, quod est omnino prohibitum » (1). Hinc iure romano (2) praescriptum erat: « qui quaestionem habiturus est non debet specialiter interrogare, quia hoc magis suggerentis quam requirentis videtur »: hoc autem intelligendum est si quis « non interrogaretur in genere; sed quando praecesserunt interrogatoria generalia, utique interrogari potest in specie » (3).

(1) Pellegrini, *Prax. Vicar. Practic. Crim.* Pars IV, Sect. XIV, n. 59.
(2) L. 1, § *Qui quaestion.* ff. *De quaest.*
(3) Pellegrini, *l. c.*

495. **Can. 1776.** — Q. *Utrum permittatur* 1) *praevia interrogationum communicatio cum testibus;* 2) *aliqua eorundem praemonitio.*

R. I. *Negative* ex § 1. **Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.**

... **antea**: non modo ante ingressum in aulam, sed quocumque tempore ante examen, etiam immediato. — ... **communicandae**: neque a iudice neque a partibus, sive directe sive indirecte, ut si testis, iam examinatus et linguosus, poneretur in communicatione cum alio qui interrogandus est super eodem articulo.

R. II. ex § 2. **Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri posse censeat.**

... **praemonere**: eo tempore quod immediate praecedit examen, et ita ut non suppetat ei occasio conferendi cum alio teste, vel cum parte adversa vel cum advocato. — ... **periculo**: praedictae collocutionis et consequentis inde collusionis.

496. **Can. 1777.** — Q. *Testificatio quomodo sit facienda: utrum semper oretenus, an aliquando ex lectione scripti.*

R. **Testes oretenus testimonium dicant, et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, poterunt consulere.**

... **scriptum ne legant**: etiam confectum in aula et post propositam interrogationem; nam spatium temporis quod pro scribenda responsione requiritur potest dare occasionem fabricandi eam non conformem veritati et tamen exemptam a sanctione periurii. — ... **nisi de calculo et rationibus agatur**: taxative, non de aliis. — ... **adnotationes**: quas tamen prudens quisque iudex vel auditor perspiciendas sibi requiret, ad fraudes cavendas.

497. **Can. 1778.** — Q. *Responsio quonam temporis momento in actis referenda, et utrum quoad substantiam, an quoad verba.*

R. **Responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario non solum quod attinet ad substantiam, sed etiam ad ipsa editi testimonii verba, nisi iudex, attenta causae exiguitate, satis habeat unam depositionis substantiam referri.**

Responsio: quaelibet, data interrogationibus a iudice factis, sive *ad instantiam* (quae verba heic significant perinde ac *iuxta-*

positiones illi exhibitas ante examen, ad normam c. 1761, § 1), sive *ex officio* (quae verba hic significant perinde ac *additas a iudice*, tum *ex officio* tum ad *instantiam*, inter examen peragendum): quaelibet, inquam, responsio **ex continenti,** ne e memoria excidat, **redigenda est scripto ab actuario,** etiam quoad **ipsa editi testimonii verba.** Diximus, *responsio*, nam quod attinet ad *interrogationes*, distinguendum est: illas quas diximus appellari heic *interrogationes ad instantiam* non opus est ut actuarius ex integro redigat; sed, cum in interrogatorio seu elencho articulorum vel positionum iudici exhibito (c. 1761, § 1) et actis adnectendo, exstent singulae numeratae ex ordine 1, 2, 3 etc., sufficit ut scribat: *Ad* 1, (*id est, ad primam interrogationem*) *respondit...* (et scribitur responsio); *Ad* 2 *respondit...* (et scribitur responsio), et ita porro. De illis vero quas diximus appellari heic *interrogationes ex officio* **mentionem faciat** prout dicetur in c. sequenti.

Can. 1779. — Q. *De quibus (praeter exscriptionem responsionum) debet actuarius facere mentionem in actis?* **498.**

R. **Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis et generatim de omnibus memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur.**

... mentionem faciat: qui loquendi modus, quod attinet ad interrogationes *ex officio* et relativas responsiones de quibus infra, innuit quod saltem quandoque sufficit eas scripto redigere quoad substantiam; puto autem servandam esse regulam in superiore canone traditam, videlicet, mentionem esse faciendam quoad **ipsa editi testimonii verba, nisi iudex, attenta causae exiguitate, satis habeat unam depositionis** vel interrogationis **substantiam referri.** Mentio autem fit sub hac formula: *Interrogatus* (testis) *ex officio* (hic ponitur interrogatio): *respondit...* (ponitur responsio). — **... de interrogationibus:** et relativis responsionibus, et planum est. — **... ex officio:** id est, (in praesenti casu) inter examen peragendum additis sive *ex officio* sive ad instantiam partis quae adest examini, sed a iudice.

Can. 1780. — Q. *Testificatio* 1) *quo temporis momento legenda sit testi, et cum qua facultate;* 2) *a quibus subscribenda.* **499.**

R. I. ex § 1. **Testi, antequam ab auditorio discedat, debent legi quae actuarius de iis quae ipse viva voce te-**

status est, scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.

...legi: non ostendi. — **...facultate ...variandi:** nec exprobrandum est ei de correctionibus aut variationibus; attamen earundem, ac additionum et suppressionum habenda est ratio in aestimando eius testimonio.

R. II. ex § 2. **Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.**

500. **Can. 1781.** — Q. *Quo modo, quo tempore, et quibus cautelis possunt repeti testes.*

R. **Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.**

...iam excussi: ergo hic agitur de productione eorundem testium super iisdem articulis; et ideo de productione novorum testium, et maxime super novis articulis non est hodie difficultas. Hodie, inquam, nam iure veteri (cc. 15, 33, 36, 55, X, *De test. et attest.* II, 20) permittebantur tres tantum productiones, quarta autem *cum sollemnitate*. — **...ex officio:** etiam in causis privatorum. Equidem in huiusmodi causis prohibetur iudex testes producere aut quaerere; sed eos semel a parte productos potest aut tenetur examini subiicere quoties ipsi visum fuerit necessarium ad veritatem ex ore eorum hauriendam. — **...antequam acta** etc.: ad normam c. 1782, sq. Et ratio est « quia, ut notat Ioan. Andreas d. c. *Fraternitatis* n. 24, et Abbas, ib. n. 3 h. t. ante publicationem attestationum non subest tantus timor subornationis testium quantus postea. Siquidem pars verisimiliter antea sperat se posse intentionem suam probare per testes, vel adversarium suum in probando succubiturum, sicque minus est sollicita de subornatione testium » (1). — **...denuo:** quoties? Iuxta prudens iudicis arbitrium. — **...necessarium vel utile:** ad formandum *internum sui animi motum* (2) in ordine ad ferendam sententiam. — **...collusionis:** seu pacti fraudulenti cum parte adversa. — **...corruptelae:** seu subornationis ex parte cuiuslibet ex litigantibus.

(1) Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XX, § 13, n. 461 sq.
(2) C. 6, X, *De renunt.* I, 9.

Art. V. — De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione.

Expositio rubricae.

Q. I. *Testimoniorum evulgatio* 1) *undenam proveniat, quid* **501.** *sit, quandonam opportuna; et* 2) *in quibus causis viguerit ante Codicem.*

R. I. Licet depositiones testium, quemadmodum cetera argumenta, veritatem facti ostendant *iudici*, nihilominus eaedem, longe potius quam aliae probationes, debent tandem aliquando innotescere et proinde denuntiari *parti adversae* ut ista se defendat; iamvero haec denuntiatio vocatur *testimoniorum evulgatio*. *Tempus* evulgationi opportunum regulariter advenisse dicendum est ubi primum testes ab utraque parte designati tempore inductionis (cf. c. 1761) excussi fuerint; tunc enim antequam deveniatur ad alias probationes, v. g. per instrumenta quae exhiberi non urget, expedit testes inventos inutiles aut contrarios substituere, attestationes obscuras aut nimis generales roborare aut magis determinare, et testimonia contraria reprobare.

R. II. In causis contentiosis privatorum, utpote in quibus partes examini testium aderant, ut dictum est **(n. 490)**, non erat locus evulgationi. In criminalibus et in aliis causis boni publici in quibus testes interrogabantur remotis partibus, « si pars ad quam spectat, scripsit Lega (1), instat pro cognoscendo examine, hoc publicari debet (cf. *Inst. Austr.* cit. §§ 184, 226, 230); quam publicationem si deneget iudex, ab eiusmodi sententia appellare potest pars cuius petitio reiecta fuit, arg. cap. 22, X, *De sent. et re iudic.* II, 27 ». Aliae regulae habentur iure Codicis, ut infra patebit.

Q. II. *Reprobatio testimoniorum quid est, et ex quotuplici* **502.** *capite petitur?*

R. Reprobare testimonia, *in genere*, dicitur proponere iudici defectus ob quos non debent admitti et petuntur reiici *testes* aut eorum *depositiones*. Ipsa reiectio seu exclusio testis facta a iudice dicitur *reprobatio testis* (c. 1764, § 2).

In specie, reprobatio petitur ex triplici capite: videlicet: ratione *personae* testis, et tunc est proprie *reprobatio testis;* ra-

(1) *De Iudic.*, I, 483.

tione ipsius *testificationis*, et tunc est stricto sensu *reprobatio testimoniorum;* ratione *modi* examinis, sed haec potius est *reprobatio inquisitionis* seu interrogationum.

Expositio textus.

503. **Can. 1782.** — Q. *In quibus casibus et causis evulgatio testimoniorum* 1) *fiat post examen, vel* 2) *differatur usque ad publicationem totius processus.*

R. ex § 1. **Cum partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, testimonia statim post absolutum omnium testium examen poterunt, decreto iudicis, evulgari.**

... poterunt: iuxta prudens iudicis arbitrium, et tam in criminalibus quam in contentiosis: unde nec in illis adest absoluta obligatio, ut ex veteri iure, nec in istis prohibitio. — **... decreto:** edito ex professo, quia multum interest ut nullum dubium sit circa evulgationem, quippe ex qua oritur ius reprobandi attestationes.

R. II. ex § 2. **Sed poterit iudex differre testimoniorum evulgationem in tempus quo cetera probationum capitula fuerint absoluta, si id e re existimet.**

... cetera: cf. c. 1858, sq.

504. **Can. 1783.** — Q. *Evulgationis effectus quoad reprobationem* 1) *personae;* et 2) *examinis et testificationis.*

R. I. ex h. c. 1° **Post testificationum evulgationem:**

1° Cessat facultas reprobandi testis personam, excepto casu de quo in can. 1764, § 4.

... personam testis: quod sit *inidoneus* aut *suspectus* aut *incapax* seu inhabilis (cf. c. 1757). — **... excepto casu** etc.: id est, **nisi a parte demonstretur, vel saltem iuramento affirmetur defectum testis antea sibi notum non fuisse.**

R. II. ex h. c. 2° **Sed est ius reprobandi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum scilicet obiiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum nempe testimonia impugnantur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.**

... modum examinis ... neglectae: v. g. quod interrogationes fuerint captiosae, subdolae aut suggestivae; quod factae fuerint a persona incompetente; quod omissa fuit confrontatio

necessaria, aut e contra facta fuerit temere et imprudenter, et cum damno veritatis. —**... testificationes ipsas ... similibus:** quas amplius exponere non est opus.

Can. 1784. — Q. *Reprobatio testis quomodo et quando reiicienda?* 505.

R. **Reprobationem iudex decreto suo reiiciat, si eam futili inniti fundamento aut ad retardandum iudicium factam animadvertat.**

... decreto: inappellabili, (c. 1880, 6°). — **... animadvertat:** *indubitanter;* in casu dubii admittat iudicium reprobationis.

Can. 1785. — Q. *Modus procedendi in iudicio reprobationis testium.* 506.

R. **Si iudicium reprobationis admittatur, iudex brevem terminum parti postulanti praestituat ad probandam reprobationem, et deinde procedat uti in aliis incidentibus causis.**

Cfr. c. 1837-1841.

Can. 1786. — Q. *Ex qua ratione pro diversitate causarum, quibus cautelis, quibus requisitis, et qua forma admitti possint super iisdem articulis testes iam auditi, aut novi, post evulgatas testificationes.* 507.

R. **Post evulgatas testificationes, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi caute et ex gravi ratione in causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam; ex gravissima ratione in ceteris; et in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita, et requisito voto promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, si hi iudicio intersint; quae omnia iudex decreto suo definiat.**

... evulgatas: sive in hoc iudicii stadio sive occasione publicationis processus (c. 1858, sq.). — **... ne ... admittantur:** neque in gradu appellationis neque in alia instantia coram eodem iudice ob querelam nullitatis: *cum non minus in appellationibus quam in principali causa subornatio sit timenda* (1). — **... caute:** v. g. providendo ne ex repetitione testium oriantur scandala ob nimiam contrarietatem partis adversae. — **... ex gravi ratione:** adest enim grave periculum ne litigans, qui

(1) C. 2, *De test. et attest.* II, 8 in Clem.

attestationes iam didicit non sibi faventes, testes subornet ac instruat (1) « ubi videt se succubiturum nisi aliter deposuerint » (2). — ... **in rem iudicatam**: cf. c. 1902, sq. — ... **omni ... periculo remoto**: mediis iuxta prudentiam iudicis opportunis pro varietate casuum. — ... **parte audita**: nam regulariter grave damnum illi imminet ex repetitione. — ... **decreto suo**: etenim agitur de actu gravi, cui probabiliter alludetur in appellatione, et proinde oportet ut de eo constet expresse et formaliter in actis. Quod dico, in *appellatione*, intellige *a sententia definitiva*, quia decretum ipsum, seorsim a sententia definitiva, est inappellabile, ex c. 1880, 6°.

Art. VI. — De indemnitate testium.

508. **Can. 1787.** — Q. *Compensatio et indemnitas* 1) *an, et ad quae competant testi; et* 2) *a quo taxandae sint.*

R. I. ex § 1. **Testis ius habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis.**

...**ius**: nemo enim suis expensis militare tenetur, etiam in bonum publicum. Cuius iuris securitati ut provideret legislator, facultatem facit iudici, c. 1909, § 2, exigendi a litigantibus depositum pecuniae pro indemnitate testium. — ...**ratione**... **operis**: his verbis exprimuntur *tria* ad quae ius habet testis.

R. II. ex § 2. **Iudicis est, auditis parte ac teste, et, si opus sit, etiam peritis, taxare indemnitatem et impensas testi solvendas.**

509. **Can. 1788.** — Q. *Quando, et sub qua sanctione deponenda est pecunia pro indemnitate?*

R. **Si intra peremptorium terminum a iudice praestitutum congrua pecuniae quantitas de qua in can. 1909, § 2, ab eo qui testes inducere vult deposita non sit, is testium examini renuntiasse censeatur.**

...**inducere vult**: ergo pecunia deponenda est ante inductionem testium et quidem **intra peremptorium terminum a iudice praestitutum.** — ...**examini**: id est, probationi per

(1) *Ibid.*
(2) Reiff. *l. c.* n. 461.

testes a se postulatae. — ... **renuntiasse**: ad normam c. 1740, § 1. — ... **censeatur**: non obstante praescripto eiusdem c. § 2, quo, ex regula generali, **renuntiatio, ut valeat, peragenda est in scriptis,** et, proinde, expresse.

Art. VII. — De testimoniorum fide.

Can. 1789. — Q. *Quatuor, in genere, quae in testimoniis* **510.** *aestimandis debet iudex prae oculis habere, videlicet, ex parte personae* 1) *quoad probitatem et* 2) *quoad scientiam; ex parte vero testificationis,* 3) *consideratae in se ipsa, et* 4) *consideratae respectu testificationum aliorum.*

R. I. ex h. c. **In aestimandis testimoniis iudex prae oculis habeat:**

1° Quae conditio sit personae, quaeve honestas et an aliqua dignitate testis praefulgeat.

... **conditio**: prout sit vir aut foemina, nobilis aut plebeius, clericus aut laicus, maiorennis aut minorennis, excultus aut rudis, dives aut pauper. — ... **honestas**: utrum sit communis, sine qua non censeretur probus et admittendus, an specialis. — ... **dignitate**: sive ecclesiastica sive civili; et in utroque casu utrum deponat de rebus *ex officio*, an secus. Cf. c. 1791, § 1.

R. II. ex h. c., n. 2°. **Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de credulitate, de fama, aut de auditu ab aliis.**

... **scientia**: id est, cognitione seu notitia *immediata* aliquo sensu corporeo habita. — ... **propria**: nimirum hausta ex perceptione propriorum sensuum. — ... **praesertim de visu et auditu**: quia hi sensus sunt fontes uberiores et tutiores scientiae pro attestatione iudiciali necessariae, sed non excluduntur alii sensus corporei. — ... **de credulitate**: seu cognitione *mediata*, id est deducta per ratiocinium vel per coniecturas, ut si ille qui videt hominem praecipitem e domo exeuntem testatur se *credere* quod ille sit auctor homicidii in eadem domo tunc temporis perpetrati. — ... **de fama**: id est, testificatur non de facto controverso, sed de pervulgata populi opinione circa factum et eius auctores, et circumstantias. — ... **de auditu ab aliis**: quod nimirum audierit alios narrantes factum proprio ipsorum visu, auditu, etc. perceptum: si vero audierit alios referentes factum ipsis ab aliis narratum, solet vocari testis *de auditu auditus*.

R. III. ex n. 3°. **Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus, vel vacillans.**

... **constans**: id est, testificationem proferens firma certitudine assertam. — ... **firmiter sibi cohaereat**: testimonia reddens non discrepantia inter se. — ... **varius**: testificationes proferens de eodem facto vel facti adiuncto inter se non cohaerentes. Porro huiusmodi discrepatio seu diversitas potest esse « in praedicamento *substantiae*, ut si unus testis deponat Titium furto abstulisse equum, alter asserat eum abstulisse vaccam, aut huiusmodi; in praedicamento *quantitatis*, quando unus deponit de centum alter de quinque; in praedicamento *qualitatis*, quando unus testificatur actum pure factum, alter sub conditione, vel equum alteri venditum exstitisse sanum, alio dicente ipsum fuisse claudum; in praedicamento *ubi* et *quando* si unus dicat furtum commissum esse tali die, loco, alter alio tempore vel loco » (1). — ... **incertus**: testimonium reddens cum dubio vel non omnino certus, ut si diceret *non bene reminiscor*, *videtur mihi*, etc. — ... **vacillans**: seu non audens se inclinare in unam partem potius quam in aliam.

R. IV. ex n. 4°. **Denique utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis.**

... **contestes**: quorum nempe attestationes perfecte colliment cum attestatione illius. — ... **singularis**: cuius, videlicet, attestatio cum nulla alterius attestatione collimet, seu a ceteris discrepet.

511. **Can. 1790.** — Q. *Quid perpendendum est iudici si testes discrepent?*

R. **Si testes inter se discrepent, iudex perpendat utrum edita ab eis testimonia sibi invicem adversentur, an sint dumtaxat diversa vel adminiculativa.**

... **invicem adversentur**: quia « de uno actu non iterabili, vel saltem non iterato, varia, et quoad circumstantias, v. g. temporis et loci inter se pugnantia, deponunt, quales erant duo illi senes Susannae accusatores (Dan. XIII, 54-58), quorum unus adulterii crimen ab ea commissum dicebat sub pruno, alter sub schino » (2). — ... **diversa**: si, nempe, « deponunt de factis sibi invicem non contrariis; sed diversis et nihil se invicem adiuvantibus, sicut factum est in casu cap. 16, X, *De test. et*

(1) Reiff., L. II, T. X, § 9, n 284.
(2) Schmalzgr., *I. E. U., De Iudic.* Pars III, Tit. XX, n. 105.

attest. II, 20, ubi duo deposuerant de excommunicationis sententia, unus quidem dicebat illam latam fuisse *ante*, alter *post* appellationem; idem accidit cum unus testificatur *de Caii*, alter *de Sempronii* caede a Titio facta; unus de mutuo dato *Augustae*, alter de dato *Francofurti*, etc. » (1). — . . . **adminiculativa** : si « de actibus quidem diversis, sed ad eundem finem tendentibus seque mutuo adiuvantibus deponunt: ut si unus testis actum alicuius *auditum* asserat, alter *visum;* si unus asserat Sempronium *citasse* partes, alter dicat eundem *dedisse sententiam*, tertius ipsum istam *exsecutioni mandasse;* si unus fundi possessionem Titio asserat quod viderit illum ab eo *coli*, alter quod conspexerit eum *collegisse messem*, etc. » (2).

Can. 1791. — Q. *Depositio*, 1) *utrum plenam fidem ali-* 512.
quando faciat, si sit unius testis; et 2) *quando, et sub quibus conditionibus sit sufficiens probatio si fiat a pluribus testibus.*

R. I. ex § 1. **Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis.**

Unius: vel plurium quidem sed *singularium*, non singularitate *cumulativa*, sed singularitate vel *adversativa* vel *diversificativa*. De isto teste unico vel singulari, et de isto quidem, quacunque dignitate praefulgeat, intelligendus est hic canon, ex regula generali, quia ita interpretabantur doctores ius vetus quod in eo refertur et sic se habet cap. 23, X, *De test. et attest.* II, 20: *Mandamus quatenus... non minus quam duorum vel trium virorum qui sunt probatae vitae et fidelis conversationis testimonium admittatis: iuxta illud Dominicum: in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: Quia licet quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa quae unius testimonio (quatenus legitimo) terminetur.* Glossa addit: « in praeiudicium alterius »: quod tamen in re iudiciali vix aut ne vix quidem unquam abest. Item, ibid. capite 47, *ibid.* dicitur: *Statuimus..... non utique ab uno, cum non sufficiat... cum secundum ordinem solitum iudiciorum non sufficiat unius testis assertio, etiamsi praesidiali refulgeat dignitate.* Capite autem 23 dicitur: *Et canonica et civilia iura sequentes, districtius inhibemus, ne unius iudicis, quantaecumque fuerit auctoritatis, verbo credatur in causis; sive super te-*

(1) Schmalzgr., *l. c.*
(2) Schmalzgr., *I. C. U.*, L. II, Tit. XX, § VIII, n. 271.

stamentis sive quibuslibet aliis contractibus quaestio agitetur. Nec scriptum eorum (nisi testium adminiculo sortiatur) eam obtinet firmitatem, quin ei possint et debeant duorum vel trium testium bonorum testimonia praevalere: salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate. « Et ita videtur, ait Glossa, quod non requiritur subscriptio in litteris Domini Papae ». Ab hac igitur regula generali ius canonicum vetus, legem naturae interpretans et applicans, excipiebat unum S. Pontificem; Codex excipit quoque partim Em.mos S. R. E. Cardinales, qui vi c. 239, 17° gaudent privilegio **fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes**: secus de aliis, nisi sint qualificati.

. . . **qualificatus**: id est, ut patet ex verbis *ex officio*, constitutus in aliquo officio, non tamen quocunque, sed publico et iurato: quae duplex conditio est fundamentum praesumptionis iuris ob quam lex praecipit ut ei credatur. Etenim, ut ait Reiff. (1) « creditur dicto Officialis iurati in his quae pertinent ad suum officium... tum ratione publici officii quod gerit, tum ratione iuramenti, cum iuratus sit officium suum fideliter exsequi; ac proinde hoc praestare praesumatur, nisi contrarium probetur ». Quod consonat capiti 13, X, *De praescript.* II, 26, ubi dicitur *nec credentes ipsum scrinarium (cum iuratus sit officium suum fideliter exsequi) aliud scripsisse, quam a testibus diceretur.* Intellige, insuper *a*) si nulla contra eum moveatur exceptio, ob quam, videatur esse testis incapax aut suspectus aut non idoneus, secundum dicta in com. ad c. 1757, unde, ex. gr., vi praedicti c. § 3, Superior qui vult iudicem agere contra aliquem ob monitionem contemptam, non est testis qualificatus, nec quidem simplex testis de monitione ab ipso tanquam Superiore facta, nam testimonium fert in causa propria, imo pro se (2); *b*) si deponat *de scientia*, non *de credulitate*, seu *ut testis*, non ut *peritus;* unde, ex iure novo circa peritos (c. 1804) non faciunt quae Reiff. (3) dicit de medico, chirurgo, etc. — . . . **ex officio gestis**: id est, peractis sui muneris adimplendi gratia.

R. II. ex § 2. **Si sub iuramenti fide duae vel tres personae omni exceptione maiores, sibi firmiter cohaerentes, de aliqua re vel facto in iudicio testificentur de scientia propria, sufficiens probatio habetur; nisi in aliqua causa iudex ob maximam negotii gravitatem, vel ob indicia quae aliquod**

(1) *I. C. U.*, L. II, Tit. XX, § VIII, n. 271.
(2) Cf. citatum cap. 23, X, II, 20, et Lega, *De Iud. crim.*, IV, n. 286.
(3) *Ibid.*, n. 274.

dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem.

. . . **sub iuramenti fide**: si iusiurandum non fuit a partibus legitime remissum ad normam c. 1767, § 3, et, ni fallor, etiam in hoc casu, iudex illud non exigit. — . . . **omni exceptione maiores**: id est, quorum fides non percellatur aut labefactetur aliqua exceptione in eos obiecta ex quolibet triplicis capitis in c. 1757 recensiti, scilicet, *inidoneitatis*, aut *suspicionis*, aut *incapacitatis*. — . . . **cohaerentes**: seu facta sibi invicem iuvantia asserentes; non *contradictoria*, non *contraria*, nec quidem *varia* vel simpliciter *diversa*. — . . . **de aliqua re**: id est, de natura vel exsistentia, vel qualitate, vel quantitate, vel situ aliave relatione cuiuslibet rei quae sensu corporeo et ope rationis cognosci possint absque auxilio alicuius specialis scientiae vel artis. — . . . **facto**: sive *a*) *humano* et *simplici*, quod proprie dicitur *actus*, v. g. iniuria ab uno illata alteri aut verbo aut opere; sive *b*) *humano* et *complexo*, ut contractus, electio, etc., quod etiam dicitur *actus* vel *factum;* sive *c*) *naturali*, quod proprie dicitur *eventus*, ad quod reducuntur circumstantiae loci, temporis, etc.

. . . **de scientia**: quae hic est cognitio seu notitia. — . . . **propria**: vel ope proprii sensus habita, et proinde non computantur *a*) testes *de credulitate*, qui ope coniecturae rationalis rem aut factum aut facti adiunctum cognoscunt si quid cognoscunt; *b*) testes *de fama*, qui non cognoscunt rem aut factum, sed opinionem vulgatam de facto; *c*) testes *de auditu ab aliis*, qui rem non cognoscunt proprio sensu. — . . . **sufficiens probatio**: id est, quae iudici non modo facultatem tribuit, verum obligationem imponit pronuntiandi sententiam conformiter ad illam probationem. — . . . **ob maximam negotii gravitatem**: non igitur *quamcunque* gravitatem, nec quidem *notabilem*, sed *maximam*. Equidem iudicis est aestimare utrum gravitas sit maxima, aut notabilis aut simplex; sed, posito quod reputet negotium non esse maximae gravitatis, non est in eius arbitrio nec potest absque gravi conscientiae offensione abstinere a sententia pronuntianda iuxta probata coram se, nisi in casu qui statim a legislatore exprimitur.

. . . **ob indicia**: non talia quae sint sibi soli privatim nota, sed quae innotescant et indigitari possint in actis; etenim iudex tum certitudinem tum dubium seu defectum certitudinis **haurire debet ex actis et probatis** (can. 1869, § 2), et eius sententia debet **continere rationes seu « motiva » quae dicuntur,**

tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur (c. 1873, § 1, 3°). — . . . **aliquod dubium**: tale, nimirum, cum quo consistere nequeat illa quae, etiam in negotiis ordinariis, **requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam** (c. 1869, § 1), sed descendat ad gradum merae probabilitatis. Quod si, in casu appellationis, indicium a iudice inferiore in actis coram se repertum, et in sententia indigitatum, nullum iudici superiori superingerat dubium de veritate rei, probatione assertae, ille tamen omnem reatum effugit et quamlibet reprehensionem, nisi indicium sit valoris manifeste non aestimabilis, et proinde adductum ad praetextum iniquae voluntatis dimittendi reum. — . . . **pleniorem probationem**: quo autem gradu pleniorem? Certe iudicis erit aestimare pro gravitate causae.

CAPUT III.

De peritis.

Expositio rubricae.

513. Q. I. *Peritorum notio.*

R. Periti, in subiecta materia, sunt *testes, aliquam scientiam vel artem callentes, qui primum de facto sensibus obiecto deponunt, deinde, ope ratiocinationis et subsidio suae artis, de eius causis, natura et effectibus, seu ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam* (c. 1792). Sunt igitur *testes*, non autem simpliciter, sed *periti. Qua testes* deponunt non, ut testes communes, de facto quod iudex directe intendit cognoscere, sed de alio quod cum illo habet vel habere potest relationem, quae tamen nequit perspici simplici inspectione aut sensibili perceptione. *Qua periti* ex perceptione sensibili facti noti, et ex eiusdem intima scientifica scrutatione propriam sententiam seu opinionem proferunt circa ipsius causas aut effectus, id est, circa factum ignotum quod iudicis interest agnoscere.

514. Q. II. *Notae historicae.*

R. Plures praescriptiones circa peritos habebantur iam iure romano (1), potiores autem iure canonico etiam a tempore

(1) L. 1, 8, ff. *Fin. reg.* et 3 et 9 ff. *Qui satisdare cogant.*

Decretalium. Sunt peculiari mentione digna cc. 4 et 14, X, *De probat.*, II, 19; 3, 6, 7, X, *De frigid. et malef.*, IV, 15, in quibus praecipitur ut exquiratur examen et testimonium matronis probis et *expertis opere nuptiarum;* necnon *Instructio* S. C. Concil. a. 1840, et altera, sine data, S. C. S. Officii. Iure romano periti adhibebantur potius ut arbitri; neque huiusmodi usus alienus fuit a iure canonico. Institutum iuridicum peritorum stricte talium maxime excoluit Tribunal S. R. Rotae (1).

Expositio textus.

Can. 1792. — Q. *Quandonam peritorum opera utendum est?* **515.**

R. **Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.**

Peritorum: in sensu proprio, non in acceptione arbitrorum. — **... iuris**: v. g. in can. 1976, pro causis impotentiae aut inconsummationis matrimonii; in c. 2036, § 1, quoad documenta historica servorum Dei; in c. 2088, § 3, quoad examen testium super miraculis; c. 2093, § 2; c. 2118. — **... vel iudicis**: v. g. in casibus accessus iudicialis ad normam c. 1808, § 1. Quod facere potest etiam in causis mere privatis, quia canon non distinguit; et merito, nam iudex non potest quidem facta seu argumenta probatoria quaerere in his causis, sed tenetur eadem facta ipsi exhibita perpendere adhibitis mediis suo iudicio necessariis ad veritatem detegendam (2). — **... ad factum aliquod comprobandum**: v. g. utrum matrimonium fuerit consummatum. — **... ad ... rei naturam dignoscendam**: v. g. utrum impotentia ad matrimonium sit perpetua, vel quoddam scriptum sit genuinum certi auctoris, vel curatio alicuius aegritudinis excedat vires naturae, etc.

Can. 1793. — Q. *Electio peritorum* 1) *cuiusnam sit;* 2) *quorum rogatu, vel consensu, vel consilio facienda;* 3) *quo numero complenda.* **516.**

R. I. ex § 1. **Iudicis est peritos eligere vel designare.**

... eligere: in causis boni publici. — **... designare**: in causis mere privatis.

(1) Lega, *De Iudic.*, V. I, n. 494.
(2 Cf. Lega, *De Iudic.*, I, n. 499.

R. II. ex § 2. **Hanc designationem in causis mere privatis iudex facere potest rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito promotore iustitiae aut vinculi defensore.**

...**potest**: ergo non tenetur facere rogatu tantum partis, sed, diximus, potest facere quoque ex officio vel sua sponte: at in hoc casu periti ab eo electi possunt recusari a partibus, c. 1796 (Lega, *ib.*, n. 498). — ...**audito promotore** etc.: invitatis a iudice ut animadversiones faciant, si velint, in peritos ab eo electos.

R. III. ex § 3. **Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.**

...**pluresve**: quos expedit esse in numero dispari ne desit maioritas votorum, et non ultra quinque, ne fiat confusio. — ...**lex ipsa**: ut c. 1979, qui pro inspectione corporali in causis matrimonialibus designat duos.

517. **Can. 1794.** — Q. *Peritorum electorum obligationes et eorundem, si deliquerint, poenae.*

R. **Peritorum est peritiam suam ad veritatis et iustitiae leges exigere, neque falsum affirmando neque verum occultando; in quo si deliquerint, puniantur ad normam c. 1743, § 3.**

518. **Can. 1795.** — Q. *Quinam ad periti munus* 1) *deligi debeant;* 2) *assumi nequeant.*

R. I. ex § 1. **Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur, qui competentis magistratus auctoritate idonei fuerint comprobati.**

...**ceteris paribus**: videlicet, quoad amorem veritatis et iustitiae. — ...**magistratus auctoritate**: id est, publica seu officiali approbatione; et quidem vel scripta vel etiam non scripta; et in hoc casu sive expresse sive tacite; nam non semper inveniri possunt qui titulum peritiae seu approbationem officialem exhibeant. — ...**competentis**: utputa, si agatur de designando perito medico aut chirurgo deligantur qui sint approbati auctoritate magistratus ex ordine medicorum, et ita porro.

R. II. ex § 2. **Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 1757, ne ad peritorum quidem officium assumi possunt.**

Etenim in hac materia, periti sunt, ante omnia, testes.

Can. 1796. — Q. *Peritorum recusatio* 1) *ob quas causas* 519.
fieri possit; 2) *a quo, et quomodo definiri debeat.*

R. I. ex § 1. **Easdem ob causas quibus testes, possunt et periti recusari.**

Easdem: proportione servata, utputa, quod sint inidonei, quia mente debiles, scientia vel arte necessaria insufficientes, etc., ut videre est in c. 1757.

R. II. ex § 2. **Iudex suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio, necne, et recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat.**

... suo decreto: cui praemittet, et planum est, aliquam cognitionem de causis vel rationibus recusationis, non autem cognitionem formalem in contradictorio seu iudicium recusationis ad modum causarum incidentium; nam legislator hoc non praescribit, sicut pro reprobatione testium praescripsit c. 1785. Ratio differentiae, ni fallor, est, quia depositio seu sententia peritorum influunt quidem in animum iudicis, non autem in sententiam adeo efficaciter ut depositiones testium, cum iudex conclusiones peritorum, etsi concordes, non teneatur amplecti (c. 1804).

Can. 1797. — Q. *Muneris periti,* 1) *quandonam censeatur* 520.
facta esse susceptio; 2) *utrum coram partibus facienda sit exsecutio.*

R. I. ex § 1. **Periti demandatum munus suscipere censentur praestatione iurisiurandi de munere fideliter implendo.** — Ergo hoc iusiurandum tenentur periti praestare ante omnia.

R. II. ex § 2. **Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi, sed etiam exsecutioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuat.**

... nisi ... iudex etc.: quae exceptio vel limitatio non intelligitur de facultate interveniendi praestationi iurisiurandi.

Can. 1798. — Q. *Intra quod tempus, et sub qua sanctione* 521.
teneantur periti parere mandato.

R. **Post iusiurandum praestitum, si periti intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa exsecutionem defugiant, tenentur damnorum.** — Cf. com. can. 1625.

522. **Can. 1799.** — Q. *A quo*, 1) *definiri debeat obiectum peritiae, et quibus attentis ac explicatis;* 2) *praefiniri possit tempus examinis et voti proferendi.*

R. I. ex § 1. **Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.**

R. II. ex § 2. **Tempus intra quod examen perficiendum est et votum proferendum, si necessarium vel opportunum iudici videatur, potest ab ipso iudice praefiniri et etiam, auditis partibus, prorogari.**

... si necessarium vel opportunum: nam saepe tempus non modo voti proferendi sed etiam examinis perficiendi non potest omnino competenter determinari, nisi ab ipsis peritis.

Can. 1800. — *De peritia pro examine et recognitione scripturarum.*

523. Q. I. *Quid ante omnia faciendum pro recognitione alicuius scripti auctoris dubii?*

R. ex h. c., § 1. **Si dubitetur quis scriptum aliquod exaraverit, iudex praeter scripturam quaestioni obnoxiam assignet peritis, proponentibus partibus, scripturas cum quibus illa comparari et conferri debeat.**

524. Q. II. *Quid, si de scripturis inter se comparandis partes dissentiant?*

R. ex § 2. **Si de scripturis, quae sint inter se comparandae, partes dissentiant, iudex seligat, comparationis gratia, eas, quas pars ipsa alias recognovit, aut quas qui accusatur auctor scripturae controversae, scripsit ut persona publica et in archivis aut alio publico tabulario custodiuntur; aut eius subscriptiones quas ex fide notarii vel personae publice constet coram ipsis fuisse exaratas.**

525. Q. III. *Quid si scripturae comparatae non sufficiant investigàtioni?*

R. ex § 3. **Quod si scripturae a partibus et a iudice pro comparatione designatae, peritorum iudicio, investigationi non sufficiant, et is cui scriptura controversa tribuitur, in vivis sit, iudex ad instantiam partis aut etiam ex officio eum citet, ut manu propria coram iudice vel eius delegato scribat quidquid periti, iudex ipse, eiusve delegatus dictaturi sint.**

Q. IV. *Utrum, et quando recusatio scribendi habeatur ut confessio genuinitatis.* 526.

R. ex h. c., § 4. **Recusatio scribendi, non probata legitima recusationis causa, habetur ut confessio genuinitatis scripturae controversae in praeiudicium recusantis.**

Can. 1801. — Q. *Periti,* 1) *quomodo votum proferre valeant;* 2) *an personaliter accersiri possint;* 3) *quaenam indicare debeant.* 527.

R. I. ex § 1. **Periti votum suum vel in scriptis proferre possunt, vel oretenus coram iudice; sed si ore proferatur, statim in scriptis redigi debet a notario et a peritis subscribi.**

R. II. ex § 2. **Peritus autem, praesertim si sententiam suam in scriptis protulerit, accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.**

R. III. ex § 3. **Periti debent indicare perspicue qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur.**

... qua via: v. g. utrum visu, aut tactu, aliove sensu usi fuerint. — **... et ratione:** id est, quo ordine actus investigationis posuerint, utrum et quaenam instrumenta adhibuerint, etc. — **... argumentis:** id est, tum *factis*, v. g. status, qualitates, et conditiones rei vel personae tempore examinis, tum *rationibus*, quae ex principiis scientiae vel artis, et attentis status conditionibus examine compertis ducunt ad conclusiones a perito deductas.

Can. 1802. — Q. *Utrum singuli periti singulas relationes conficere debeant, an omnes unam subscribere possint.* 528.

R. **Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiant, nisi, lege non contradicente, iudex unam a singulis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur.**

... non contradicente: ut contradicit, v. g. c. 1980, § 2.

Can. 1803. — Q. *Quid si periti,* 1) *inter se discrepent;* 529.
aut 2) *suspecti vel non idonei devenerint?*

R. I. ex § 1. **Si periti inter se discrepent, licet iudici aut peritioris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere.**

... licet: sed non tenetur, etiamsi partes petant.

R. II. ex § 2. **Eadem facultas iudici est quoties periti post electionem in suspicionem inciderint vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint.**

...facultas: exclusa appellatione.

530. **Can. 1804.** — Q. *Utrum iudex teneatur*, 1) *conclusiones peritorum aliquando admittere;* 2) *exprimere rationes admittendi aut reiiciendi.*

R. I. ex § 1. **Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.**

Ergo non tenetur eas admittere et sequi, sed illas quae ex depositionibus testium, ex instrumentis et ceteris omnibus in discussione allatis deducantur tanquam sufficienter probatae: vel aliis verbis, sententia peritorum, etsi concors, non est probatio legalis. Quam praescriptionem iam referebant Instructiones S. Sedis ante promulgationem Codicis datae et supra citatae pro causis matrimonialibus; dum *Instructio Austriaca* vim plenae probationis legalis tribuebat sententiae peritorum concordi (Lega, *De Iudic.*, I, n. 496).

R. II. ex § 2. **Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.**

Cum reddit: id est, tempore quo exsecutioni mandat praescriptum c. 1873, § 1, 3°. — **...argumentis:** non solum quae consistunt *in factis*, sed potissimum quae consistunt *in rationibus* ob quas, ex factis peritia illustratis conclusiones admiserit, vel, e contra, factis et rationibus peritorum non obstantibus, conclusiones eorum reiecerit.

531. **Can. 1805.** — Q. *Peritorum expensae et honoraria a quo et quando taxanda?*

R. **Peritorum expensas et honoraria iudex, receptam uniuscuiusque loci consuetudinem prae oculis habens, ex bono et aequo taxare debet, salvo iure recursus ad normam can. 1913, § 1.**

...iure recursus etc.: id est, faciendi oppositionem taxationi coram iudice qui taxavit: appellatio autem non datur (ibid.) nisi appelletur a causa principali (ibid., § 2).

CAPUT IV.

De accessu et recognitione iudiciali.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio inscriptionis.* 532.

R. Haec species probationis, quia frequentius per inspectionem rerum, personarum aut locorum perficitur, dicta fuit *inspectio ocularis;* sed, quia alii sensus non raro adhibentur, congruentius appellatur a Codice vocabulo generaliori, *recognitio iudicialis;* cum tandem haec naturaliter accessum personalem requirat, ideo inscriptio convenienter sonat: *De accessu et recognitione iudiciali.*

Q. II. *Ratio ordinis.* 533.

R. Accessus et *recognitio* factum reddunt in nonnullis casibus evidens iudici, unde haec probatio dicta fuit quoque *per evidentiam facti,* et, quoad illos casus, *regina probationum:* et ideo non omnino immerito principem locum sibi vindicavit, saltem post probationem per confessionem iudicialem. Sed quia effectus evidentiae raro obtinetur, et aliunde accessus iudicialis frequenter associatur probationi per peritos, vel viceversa, propterea legislator de utroque successive regulas praescribit.

Q. III. *Huius probationis indoles.* 534.

R. Videtur esse *subsidiaria* et veluti *extraordinaria,* tum ex voluntate legislatoris, tum quadantenus ex se ipsa. Et legislator quidem c. 1810 innuit accessum iudicialem tunc decerni debere cum sit necessarius **ad pleniorem probationem aut ad removenda dubia.** Ipsa autem huius probationis natura, qua fit ut iudex deserat solitam aulam iuri dicendo destinatam, et se immisceat multitudini testium, peritorum, partium et advocatorum una simul convenientium, suadet ut nonnisi in casu necessitatis adhibeatur.

Expositio textus.

Can. 1806. — Q. *Accessus et recognitio iudicialis, a) quando,* 535. *b) quomodo, et c) quibusnam descriptis praestitui possit.*

R. **Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet,**

decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

Igitur, accessus praestitui debet *a*) *quando* iudex necessarium existimet; *b*) adhibito decreto; *c*) ita ut prius iudex **ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.**

536. **Can. 1807.** — Q. *Quisnam facere debeat recognitionem; an semper iudex per se.*

R. **Iudex recognitionem peragere potest vel ipse per se vel per auditorem aut iudicem delegatum.**

... per auditorem: seu iudicem instructorem (c. 1582) quia ad illius munus pertinet processum instruere seu probationes excipere. — ... **iudicem delegatum:** nempe instructorem, seu delegatum ad exsequendam hanc probationem.

537. **Can. 1808.** — Q. *Peritorum opera in recognitione* 1) *an permitti possit;* 2) *qualiter adhiberi debeat.*

R. I. ex § 1. **Iudex, rem vel locum recognoscens, peritos adhibere potest, si ipsorum opera necessaria vel utilis videatur.**

R. II. ex § 2. **Si periti adhibeantur, serventur, quantum fieri potest, quae praescripta sunt can. 1793-1805.**

538. **Can. 1809.** — Q. *Utrum, et quando partes vel advocati* 1) *ab accessu iudiciali prohiberi possint;* 2) *eidem interesse valeant.*

R. I. ex verbis canonis. **Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videatur, poterit ipse prohibere ne partes vel earum advocati iudiciali recognitioni intersint.**

R. II. Ergo, a sensu canonis contrario, nisi praedictum periculum iuste pertimescat iudex, partes habent ius interveniendi.

539. **Can. 1810.** — Q. *Utrum, et quinam testes, et quando subiici possint examini in ipso iudiciali accessu.*

R. **Iudex testes, vel ex officio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos, potest in ipso iudiciali accessu examini subiicere, si id expedire videatur ad pleniorem probationem aut ad removenda dubia ob quae recognitio decerni debuit.**

... **rite productos**: etiam iam excussos, modo antequam acta seu testificationes publici iuris fiant (c. 1781). — ... **accessu**: id est, in loco recognitionis, extra aulam solitam. — ... **videatur**: cuinam? Certe non alii praeter iudicem. — ... **ad pleniorem... debuit**: quae verba innuunt, ut diximus, hanc speciem probationis esse subsidiariam pro casibus per eadem verba indicatis et in ultimo commate c. 1791, § 2 recensitis.

Can. 1811. — Q. *Actus recognitionis*, 1) *an redigendus, et quaenam continere debeat; et* 2) *a quibus subscribendus.* 540.

R. I. ex § 1. **Notarius diligenter curet ut constet ex actis qua die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint.**

R. II. ex § 2. **Peractae recognitionis instrumenta tum iudex tum notarius subscribant.**

CAPUT V.

De probatione per instrumenta.

Expositio rubricae.

Q. I. *Instrumenti notio et divisio.* 541.

R. I. *Instrumentum* dicitur *ab instruendo*, et aliquando in fontibus (1) appellatur, lato quidem sensu, omne illud quod ad causam instruendam inservit, id est, omnis probatio; at sensu proprio ac stricto vocatur *quaevis scriptura ex qua factum comprobari possit.* Instrumenta dicuntur quoque *documenta*, quasi *doceant mentem.* Dum ceterae probationes in iudicio *constituuntur*, instrumenta iudicio *praeconstituuntur*, unde a veteribus canonistis vocantur *probatio probata.* De eorum valore relate ad alias probationes iam diximus **n. 441.**

R. II. Instrumentum dividitur:

1) Ratione *auctoris* et *effectus*, in *publicum* et *privatum.* « Instrumentum *publicum* generatim dicitur omne illud quod publicam habet auctoritatem » (2): et proinde illud quod a publica persona rite confectum est. Quae postrema notio, desumpta ex

(1) C. 4, X, *De test. cog.*, II, 21.
(2) Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XXII, § 1.

parte auctoris exhibetur a Reiffenstuel, Schmalzgrueber ceterisque praecipuis interpretibus iuris veteris, nec a Codice contradicitur. Duo igitur requiruntur, *persona publica*, et *ritus debitus*. *Persona publica*, stricte talis, est notarius, seu qui habet officium ad hoc publica auctoritate societatis perfectae constitutum, ut officialis fidem publicam faciat, id est, quam duo testes merentur: sed lato sensu sunt auctores actuum de quibus agitur in can. 1813, necnon, ni fallor, quaelibet persona *moralis ecclesiastica* cum agit *collegialiter*, et persona physica quae praeposita sit alicui publico muneri in sensu exposito in com. ad c. 1791, § 1, et amplius declarando in com. ad can. 1813, § 1. *Ritus debitus* consistere videtur in complexu sollemnitatum, v. g. *subscriptionis per officialem*, *appositionis sigilli*, *subscriptionis per testes*, etc., quae iure vel consuetudine (1) requiruntur ut instrumento ab illa persona confecto fides publica tribuatur. Instrumentum *privatum* est quod a *persona privata* confectum est; vel a persona quidem publica, sed absque sollemnitatibus a iure praescriptis. Huiusmodi sunt litterae, contractus, testamenta, syngrapha, apochae, etc. (cf. c. 1813, § 3).

Instrumentum publicum subdividitur in *ecclesiasticum* et *civile* (cf. c. 1814) prout a persona ecclesiastica vel a persona civili fuerit confectum.

2) Ratione *formae* instrumentum, sive publicum sive privatum, dividitur in *originale*, quod videlicet, exhibetur in forma ab auctore ipsi indita, et *exemplare*, seu quod ex originali transcriptum sit; et hoc quidem dicitur *authenticum* seu *in forma authentica*, si muniatur personae publicae attestatione de transcripti conformitate cum originali; alias dicitur non authenticum. Iuvat tamen animadvertere quod apud veteres canonistas instrumentum publicum et authenticum accipiebantur pro synonymis, ita tamen ut priore vocabulo designaretur quod a notario exaratum est, altero autem illud quod « ex se fidem facit, sive ex appositione sigilli authentici, puta Episcopi, vel Principis saecularis, cui creditur de consuetudine, sive alio modo, ita ut ad sui validitatem non requiratur aliud adminiculum » (2).

3) Ratione *sinceritatis*, *integritatis* et *validitatis*, quodlibet instrumentum dicitur *genuinum* si revera illum habet auctorem cui tribuitur; *integrum*, si immutatum; *legitimum*, si rite con-

(1) Cf. Schmalzgr., *I. E. U.*, *De Iudic.*, P. III, T. XXII, n. 43.
(2) Reiff., *l. c.*, n. 14.

fectum; *apocryphum* vero si non genuinum; *vitiatum*, si abrasum, correctum aut interpolatum, etc.; *illegitimum*, si confectum a persona inhabili, aut circa obiectum prohibitum aut absque sollemnitatibus ad validitatem requisitis.

Q. II. *Quinam sit instrumentorum scopus iure canonico, quisnam autem iure civili.* 542.

R. « Revera iure canonico, ait Lega (1), in actibus conficiendis scriptura est quaedam sollemnitas ad *probationem actus*, non ad eius *substantiam;* scilicet actus vi sua pollet, deficiente quoque instrumento, dummodo alias probari valeat ». Quae doctrina manet vera post Codicem vi c. 1680, § 1, quem commentati sumus. « Contrarium passim invaluit codicibus hodiernis, quibus exigitur ad ipsam actus substantiam » (2).

Q. III. *Materia et divisio capitis.* 543.

R. Caput dividitur in duos articulos; quorum primus edicit *a*) quaenam sit instrumentorum *natura*, id est, quaenam voluntate legislatoris ecclesiastici sint *publica*, quaenam *privata:* quaenam *ecclesiastica*, quaenam *civilia; b*) quamnam fidem nanciscantur vel quem valorem probandi habeant diversae instrumentorum species. Alter articulus praescribit *quanam forma* exhiberi debeant instrumenta, et quinam habeant *actionem* seu ius exigendi eorum exhibitionem.

Art. I. — De natura et fide instrumentorum.

Expositio textus.

Can. 1812. — Q. *Utrum in omni iudicio admittatur probatio per instrumenta.* 544.

R. Affirmative ex h. c. **In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.**

Can. 1813. — Q. *Quaenam sint* 1) *praecipua documenta publica ecclesiastica;* 2) *documenta publica civilia;* 3) *documenta privata.*

R. I. ex § 1. **Praecipua documenta publica ecclesiastica haec sunt:** 545.

1° Acta Summi Pontificis et Curiae Romanae et Ordina-

(1) *De Iudic.*, Vol. I, n. 507.
(2) Lega, *l. c.*, n. 507.

riorum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, itemque attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel eorum notariis;

2° Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta;

3° Acta iudicialia ecclesiastica;

4° Inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis Curiae vel paroeciae, vel religionis, et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis, vel Ordinariis, vel notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica.

Praecipua: ergo non sola: ergo praeter quatuor genera quae subinde recensentur sunt alia. Quaenam sunt? Ni fallimur sunt, ut diximus (in Exp. rubr., **n. 541**) omnia illa quae conficiuntur a *publica persona*, et *rite*. *A publica persona*, id est, praeter cursores (c. 1599), a persona collegiali recognita saltem ab Ordinario et agente collegialiter (utputa in electionibus, quae fiunt a Capitulis Cathedralibus vel Religiosorum, et hoc licet non omnes et singuli gaudeant iure suffragii), non per Rectorem aut administros (v. g. in libris rationum exscribendis), vel a persona physica alicui officio ecclesiastico praeposita ab Ordinario vel iudice. *Rite*, seu cum illis sollemnitatibus, v. g. subscriptionis, sigilli, etc., quibus si muniantur, publica reputantur iure aut consuetudine aut probatorum interpretum iuris veteris auctoritate. — ... **Acta Summi Pontificis**: statim ab acceptatione suae electionis (c. 219). — ... **Curiae Romanae**: id est, singularum Congregationum, Tribunalium ac Officiorum eius de quibus in c. 242, sq. — ... **Ordinariorum**: sive loci sive aliorum (c. 198). In cap. 7, X, *De prob.*, II, 19 legitur: *Cum igitur per litteras iudicis Ordinarii* (*quibus standum est donec probetur contrarium*) *Nobis constiterit...*

... **in exercitio suorum munerum**: quod quidem quandonam eveniet apparebit, *a*) ex natura negotii circa quod documentum versatur, et cuius expeditio ad eos pertinet non ratione personae sed officii; vel *b*) ex adiectione subscriptionis alicuius officialis Curiae; vel *c*) ex expressa Ordinarii declaratione documento apposita. — ... **authentica forma exarata**: videlicet, si exhibeantur, vel ipsa *acta originalia* (c. 1819), et tunc iis munita characteribus quae iure vel consuetudine authenticitatem significent, qualia sunt saltem *subscriptio* personae, et generatim, insuper, *sigillum* officii; vel acta *transcripta* in aliquo libello vel folio officiali promulgationis vel intimationis ipsorum. —

... **attestationes authenticae**: id est, acta exemplaria munita authentica attestatione de conformitate exemplarium cum originalibus. — ... **datae ab illis**: per litteras subscriptas ab eisdem vel a notariis; et quidem notariis Ap.cis, vel Curiae Romanae, cum agatur de istius vel R. Pontificis actibus, notariis vero Ordinariorum, si de istorum actibus (tribunalium inferiorum S. Sedi); quorum actuum praecipuae sollemnitates habentur in c. 1643, §§ 1, 2. — ... **Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta**: cum sollemnitatibus adhiberi solitis: — ... **Inscriptiones... in regestis**: non ergo si alibi asserventur, quia tunc non roborantur auctoritate Ordinarii. — ... **a parochis** etc. **confectae**: non ergo a notariis civilibus. — ... **exemplaria authentica**: quae talia redduntur attestatione notarii etiam civilis rite scripta, nam heic canon non distinguit.

R. II. ex § 2. **Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.** 546.

R. III. ex § 3. **Litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, privatorum documentorum numero habentur.** 547.

... **a privatis**: vel a personis publicis, sed non in exercitio suorum munerum. — Item, documentum publicum, quod evaserit qua tale nullum ob defectum ex parte personae publicae vel ex parte formae, habet vim documenti privati, si sit subscriptum a partibus (1).

Can. 1814. — Q. *Quandonam documenta publica censentur genuina?* 548.

R. **Documenta publica sive ecclesiastica sive civilia genuina praesumuntur, donec contrarium evidentibus argumentis evincatur.**

... **publica**: *certo* talia, ut sunt ea quae pertinent ad quodlibet ex quatuor generibus in can. praecedenti enumeratis, et, vi c. 1593, acta confecta a cursoribus vel apparitoribus: quoad alia tenet praescriptum huius canonis quando constiterit ea esse publica. — ... **genuina**: id est, confecta ab eo cui attribuuntur tanquam auctori. — ... **praesumuntur**: ergo genuina censentur vi praesumptionis iuris hoc canone inductae; quae tamen, utpote iuris tantum, impugnari potest contrariis argumentis. — ... **evidentibus**: quae, nimirum, talem moralem certitudinem ingerant, ut excludant omne dubium.

(1) Cf. *Cod. C. It.*, art. 1316.

549. **Can. 1815.** — Q. *Quotupliciter recognitio scripturae proponi possit, et cum qua differentia?*

R. **Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad instar causae principalis.**

. . . **impugnatio:** quae quidem fieri potest « iuxta omnia quatuor genera causarum ». Ex parte quidem *causae efficientis*, quando est factum (documentum publicum) ab eo qui non erat habilis, utputa, quia non erat Notarius publicus, vel fuerat excommunicatus, etc. Ex parte *causae materialis*, opponendo, videlicet, quod sit factum super re illicita vel a iure non permissa. Ex parte *causae formalis*, quando non sunt observatae sollemnitates a iure requisitae... « (aut si desit aliqua subscriptio, vel sigillum sit fractum, vel scriptum appareat abrasum, correctum, interpolatum etc.). Ex parte *causae finalis*, si opponatur instrumentum vel privilegium esse obreptione vel subreptione obtentum... » (1). — . . . **incidenter:** et tunc non datur appellatio a sententia nisi habeat vim definitivae (c. 1880, 6°). — . . . **principalis:** tunc datur appellatio.

550. **Can. 1816.** — Q. *Documenta publica quamnam fidem faciunt, et de quibus?*

R. **Documenta publica fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur.**

. . . **fidem:** ut sic, id est, *plenam*, qualis iuxta c. 1869, § 1 *requiritur*, voluntate autem legislatoris in praesenti canone manifestata *sufficit*, ad pronuntiandam sententiam; ita ut iudici non maneat arbitrium quaerendi probationem pleniorem, quod ei in duplici casu conceditur canone 1791, § 1 quoad probationem per testes; propterea probatio per instrumenta dicitur *probatio probata*. — . . . **faciunt:** adversus omnes. — . . . **de iis quae directe:** et tanquam *dispositive*, utpote ea *ad quae* memoriae mandanda ordinatur instrumentum; non autem de iis quae affirmantur *indirecte*, id est, *enuntiative*, *narrative*, nisi tamen enuntiatio vel narratio ordinentur necessario ad partem documenti dispositivam (2). — . . . **et principaliter:** id est, quae per se et primo auctor documenti intendit memoriae mandare, et proinde sunt ratio et causa sufficiens documenti, non autem ea quae affirmantur *incidenter* et *per accidens*. — . . . **affirmantur:** id est, inseruntur etiamsi negentur.

(1) Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XXII, n. 256.
(2) Cf. *Cod. C. Ital.*, art. 1318.

Can. 1817. — Q. *Sub quibus conditionibus, adversus quos, et quantum probet instrumentum privatum.* 551.

R. **Documentum privatum, sive agnitum a parte sive recognitum a iudice, probat adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab eis habentes, perinde ac confessio extra iudicium facta; sed per se non habet vim probandi adversus extraneos.**

. . . **recognitum**: v. g. per peritos caligraphos aut per testes contra auctorem negantem genuinitatem. — . . . **auctorem**: id est qui scripsit documentum, licet non subscripserit. — . . . **subscriptorem**: etsi documentum non exaraverit; idem enim est documentum privatum subscribere ac totum illud scribere (1). — . . . **causam ab eis habentes**: scilicet heredes, aut successores rei vel iuris quae documento comprobantur non pertinere ad antecessorem; qui tamen habent ius declarandi se non recognoscere scripturam aut subscriptionem documenti, et tunc locus est recognitioni *ex officio*. — . . . **perinde ac confessio extra iudicium**: id est, vel *plene*, vel *semiplene* vel *nihil*, prout iudex aestimaverit, **perpensis omnibus rerum adiunctis** (c. 1753). — . . . **per se non habet**: ergo *potest* vim habere *per accidens*, utputa si appositione sigilli personae publicae deveniat aequiparatum documento publico.

Can. 1818. — Q. *An, et quaenam fides adhiberi possit documentis abrasis, correctis, interpolatis, aliove vitio infectis.* 552.

R. **Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, iudicis est aestimare an et quanti huiusmodi documenta facienda sint.**

. . . **iudicis**: qui certe prae oculis habere debet penes quem instrumentum erat ante ipsius productionem, utrum vitium inveniatur in parte substantiali an in parte accidentali (quod quidem determinandum iudici quoque relinquitur iuxta Schmalzgr.), et alia huiusmodi.

(1) L. *Si quis argent.* ff. *De edendo.*

Art. II. — De productione documentorum et actione ad exhibendum.

553. **Can. 1819.** — Q. *In qua forma exhiberi, et penes quem deponi debent documenta ut vim probandi habeant?*

R. **Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.**

. . . **originalia**: id est, prout fuerunt ab auctoribus scripta aut subscripta tempore quo ea condiderunt. — . . . **exemplari authentico**: nimirum munito attestatione authentica data *a*) a notario civili si agatur de instrumento publico civili; *b*) si agatur de documentis privatis, a notario ecclesiastico, aut etiam a notario civili quoties materia instrumenti non sit subducta a civili auctoritate; etenim quilibet notarius instrumenta conficit tantum intra territorium illius qui eum creavit, et circa materiam creatori subiectam (c. 374, § 2); *c*) a notariis ecclesiasticis Ordinariorum, si agatur de documentis confectis ab Ordinariis (c. 1813, § 1, 1°), a notariis ecclesiasticis (ibid., 2°), aut a iudicibus ecclesiasticis inferioribus (ibid., 3°); vel *d*) a notariis R. Pontificis vel relativi Dicasterii Curiae Romanae si de eorum documentis agatur (ibid., 1°). — . . . **penes tribunalis cancellariam**: id est, penes notarium tribunalis, sive ordinarii sive delegati.

554. **Can. 1820.** — Q. *Utrum, et in qua forma debeant documenta exhiberi iudici et parti.*

R. **Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in iudicio deponenda, ut a iudice et ab adversario examinari possint.**

. . . **authentica**: sive originali sive exemplari, iuxta declarata in c. praecedenti. — . . . **in iudicio deponenda**: id est, tradenda iudici et partibus (utpote ex quibus iudicium coalescit), sive in aula iudicio celebrando destinata sive alibi (generatim in ipsa cancellaria), ita **ut a iudice et ab adversario examinari possint.**

555. **Can. 1821.** — Q. *In dubio de fidelitate documenti exemplaris, quid faciendum si originale aut exemplar* 1) *haberi nequit absque magna difficultate?* 2) *in alio casu?*

R. I. ex § 1. **Si dubium excitetur utrum fideliter exscriptum sit exemplar, an non, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio decernere potest, ut ipsum documentum exhibeatur, unde exemplar est desumptum.**

... **ipsum documentum**: id est, originale.

R. II. ex § 2. **Si id fieri aut minime aut valde difficulter possit, iudex potest auditorem delegare aut loci Ordinarium rogare pro examine et collatione documenti, praescribens quibus de articulis et quemadmodum fieri debeat collatio; collationi vero utraque pars assistere potest.**

... **valde difficulter**: quod iudicis est aestimare quandonam locum habeat. — ... **rogare**: ad normam c. 1570, § 2. — ... **pars assistere potest**: ergo commoneri debet de die et hora.

Can. 1822. — Q. *Quinam ex litigantibus gaudeat iure postulandi exhibitionem documentorum: et quorum, et a quo.* 556.

R. **Documenta communia quaeve de communi agunt negotio, ut testamenta et instrumenta quae respiciunt successiones, bonorum partitiones, contractus aliaque huiusmodi de quibus lis est inter partes, quilibet ex litigantibus potest postulare ut in iure exhibeantur ab ea parte quae illa possidere dicitur.**

... **communia... negotio**: Huiusmodi autem possunt esse tripliciter: vel *ratione proprietatis*, quia sumptibus communibus confecta, aut consimili modo utrique parti acquisita, v. g. hereditate, legato, donatione; vel *ratione materiae* quam continent, cuiusmodi sunt contractus inter contrahentes; testamenta inter heredes aut legatarios; rationes tutorum inter hos et pupillos; vel *ratione negotii*, qualia sunt confecta ab exercente aliquod officium publicum vel erga omnes, utputa a mercatore. — ... **lis est inter partes**: id est, in causis mere privatis. — ... **quilibet ex litigantibus**: quia quod commune duorum est, amborum proprium est quoad usum necessarium.

Reus autem potest insuper postulare ab actore documenta etiam non communia; et non modo ea in quibus actor fundat intentionem suam, et planum est, sed illa in quibus reus fundat suam exceptionem, quin obstet quod reus excipiendo fit actor, nam est actor necessarius (1). E contra actor non gaudet *actione ad exhibendum* quoad instrumenta rei propria, nisi iis reus usus fuerit ad probandam suam exceptionem; « neque enim

(1) Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XXII, § VIII.

iuris aut aequitatis ratio permittit ut quis invitus arma quibus impugnetur, adversario suo tradere, eumque contra se adiuvare cogatur » (1): quod de reo stricte verum est, nam *actore non probante, qui convenitur, etsi nihil praestiterit, obtinebit.* Excipe, ut innuit Lega (2) causas in quibus aliquo modo versatur bonum publicum, etenim indubium est illud debere praevalere bono privato ; et, aliunde, merito dici potest instrumentum in hoc casu agere, etsi possessum a reo, de communi negotio. Quod tamen, vi c. 1823, § 1, ad causas criminales non est extendendum ordinarie, id est, nisi cum agatur de bono communi Religionis. — ... **dicitur:** quod si pars neget, vide c. 1824, § 3.

557. **Can. 1823.** — Q. *In casu periculi damni,* 1) *utrum, et ob quod periculum eximitur quis ab exhibitione documenti, etsi communis;* 2) *an tunc teneatur saltem particulam exhibere?*

R. ex § 1. **Nemo tamen exhibere tenetur documenta, etsi communia, quae communicari nequeunt sine periculo damni ad normam can. 1755, § 2, n. 2 aut sine periculo violationis secreti servandi.**

... **secreti:** non modo illius quod dicitur **secretum officii** (c. 1755, § 2, 1°), sed etiam secreti commissi aut alias obligatorii. Qui autem ab exhibendo documento abstinet, etiam iuste, non potest exigere ut ei credatur in his quae sola fide instrumenti asserit. Hinc si quis se dixerit exemptum ab aliquo iudice, tenetur vel privilegium ostendere, vel iudici vocanti parere.

R. II. ex § 2. **Attamen si qua saltem documenti particula, quam produci intersit, describi possit, et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem exhibeatur.**

558. **Can. 1824.** — Q. *Si pars,* 1) *documentum exhibere detrectet, utrum et quomodo iudex interloqui teneatur;* 2) *si parere recuset, quanti hoc faciendum est;* 3) *si documentum habere neget, quid faciendum?*

R. I. ex § 1. **Si pars exhibere recuset documentum de iure producendum, quod ipsa fertur possidere, iudex, altera parte postulante, auditoque, si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia statuat, an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit.**

(1) Id., *Ibid.*
(2) *De Iudic.*, Vol. I, n. 518.

. . . **fertur:** ex testimonio saltem unius fide digni, vel fama ex personis honestis orta, vel ex indiciis rationabilibus. — . . . **altera parte postulante:** non autem ex officio, nisi causa spectet bonum publicum. — . . . **auditoque si opus sit promotore:** quando, nempe, recusatio non est temeraria seu manifeste iniusta, et probabile periculum damni immineat ex exhibitione; promotoris enim est iustitiam cuiusque tueri. — . . . **vinculi defensore:** in causa matrimoniali. — . . . **interlocutoria:** servato processu pro causis incidentibus ex c. 1837, sq.

R. II. ex § 2. **Parte parere recusante, iudicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit.**

. . . **iudicis est:** ergo recusatio etiam post sententiam interlocutoriam non est *ex se* confessio *implicita* de iure adversarii; sed potest a iudice declarari confessio *praesumpta* ab eodem, si indicia sunt gravia, id est, si recusatio apparet manifeste iniusta vel temeraria.

R. III. ex § 3. **Quod si pars documentum apud se esse neget, iudex poterit eam examini subiicere et ad iusiurandum de ea re praestandum adigere.**

. . . **iusiurandum:** quo nimirum protestetur se documentum non habere.

CAPUT VI.

De praesumptionibus.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio inscriptionis, et natura probationis.* 559.

R. I. Caput inscribitur sub numero plurali, quia probatio de qua hic agitur non desumitur regulariter ex uno facto sed ex pluribus factis vel factorum adiunctis et qualitatibus, quae legislatori vel iudici sunt nota, et eisdem indicant alia facta ignota quibuscum habent nexum, et quorum dicuntur et sunt *indicia*.

R. II. *Praesumptio*, igitur, est *probatio impropria*, cum non ostendat *directe* factum controversum, sed alia facta quae ex se sunt controversiae extranea, et ex quibus, discurrendo a causa ad effectum aut vice versa, coniicit veritatem facti controversi. Ideo praesumptio dicta est a vocabulis *prae* et *sumptio*, quia ante probationes aliquid sumit uti legitime probatum et verum, attentis indiciis.

560. Q. II. *Discrimen inter praesumptiones et fictiones iuris: harum requisita et effectus.*

R. « *Fingimus*, ait Cuiacius (1) ea quae non esse scimus : *praesumimus* ea quae vera esse arbitramur, ducti probabilibus argumentis ». Utputa iure canonico *fingitur* unam eandemque esse personam iuridicam defuncti et heredis : filium legitimatum esse natum ex iustis nuptiis, esse praesentes in choro Capitulares, et alios de quibus in c. 420, § 1, 1°, 7°, 11°, 13°. Idcirco *fictiones iuris* nunquam admittunt probationem in contrarium. At fictio *a*) debet esse expressa in iure ; *b*) non operatur plus quam veritas, etc. (Cf. D'Annib., I, 208).

Expositio textus.

561. **Can. 1825.** — Q. *Quaenam sit* 1) *notio et divisio praesumptionis in genere ;* 2) *subdivisio praesumptionis iuris?*

R. I. ex § 1. **Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura ; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur ; alia hominis, quae a iudice coniicitur.**

. . . **rei incertae** : id est, dubiae vel omnino ignotae. — . . . **probabilis** (coniectura) : seu quae innititur gravibus indiciis et rationabilibus argumentis. — . . . **coniectura** : id est logica deductio ope ratiocinationis seu discursus a causa ad effectum vel viceversa. — . . . **ab ipsa lege** : positiva.

R. II. ex § 2. **Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.**

. . . **iuris simpliciter** : positivi, utputa praesumptiones de quibus in cc. 88, § 3, 1014, 1015, § 2, 1070, § 2, 1082, § 2, 2200, § 2. — . . . **iuris et de iure** : quales sunt praesumptiones de quibus in cc. 175, 1972, 1904, § 2. — Prior sustinetur donec probetur contrarium, altera donec destruatur eius fundamentum.

562. **Can. 1826.** — Q. *An, et qualis probatio admittatur contra praesumptionem a) iuris simpliciter, b) iuris et de iure.*

R. **Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta ; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.**

. . . **directa tum indirecta** : quia quoad hanc praesumptionem habet plenam vim seu applicationem in utroque foro illud

(1) Apud Lega, Vol. I, n. 527.

axioma: *praesumptio debet cedere veritati.* — . . . **tantum indirecta**: non autem *directa*, siquidem super huiusmodi praesumptionem « lex firmum sancivit ius, eamque pro veritate habet. Quod tamen intelligendum est in foro contentioso et iudiciali dumtaxat, non autem coram Deo et in foro animae; in hoc enim non habet locum praesumptio sed ipsa veritas » (1). — . . . **praesumptionis fundamentum**: demonstrando, ex. gr. fuisse nullum contractum vi cuius fuit aliquis ad solvendum condemnatus per sententiam quae transierit in rem iudicatam.

Can. 1827. — Q. *Effectus probatorius praesumptionis quoad eum cui favet et quoad partem adversam.* 563.

R. **Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam; qua non probante, sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio.**

. . . **liberatur**: non vi privilegii, sed causa aequitatis et iustitiae: quia iam probavit allegando praesumptionem quae est vera probatio. — . . . **pro qua stat praesumptio**: licet sit actor.

Can. 1828. — Q. *An, et qualiter iudex possit praesumptiones coniicere.* 564.

R. **Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat.**

. . . **certo**: seu non dubio. — . . . **determinato**: id est, individuo, concreto, non generali et veluti abstracto, consistente in aliqua qualitate naturali sive physica sive morali, v. g. in amore parentum erga filios; talis enim praesumptio potius fundaretur in *natura* quam in *facto*. — . . . **directe**: non enim licet unam coniecturam fundare in alia coniectura.

CAPUT VII.

De iureiurando partium.

Expositio rubricae.

Q. I. *Iurisiurandi notio et divisio.* 565.

R. I. *Iusiurandum* dicitur *a iure*, quia ad instar iuris servandum. Alio nomine vocatur *sacramentum*, ut in cap. 1, X,

(1) **Reiff.**, *I. C. U.*, L. II, Tit. 23, § 1, n. 24.

De fer., II... Attamen Gonzalez in c. 26 *De iureiur.*, n. 27, cum aliis, docet iusiurandum differre a sacramento quia hoc denotat asseverationem religiosam praestitam super re sacra, v. g. libro Evangeliorum, altari, etc. *Iuramentum* definiri solet in re iudiciali: *Invocatio divini nominis, ut fidem faciat dicto vel promissioni invocantis.*

R. II. Dividitur in *assertorium* et *promissorium; necessarium* et *voluntarium: delatum* et *relatum; de calumnia, de veritate dicenda* et *de malitia* (de quibus iam locuti sumus); *suppletorium, aestimatorium* et *decisorium* (quae maxime huc pertinent): *simplex* (iusiurandum) et *solemne* (sacramentum): *orale* et *scriptum; veritatis* et *credulitatis* (ut iuramentum septimae manus in causis matrimonialibus); *purgatorium*, a reo inquisito praestandum olim in protestationem suae innocentiae et *compurgatorium*, olim quoque personis reo inquisito notis delatum de *credulitate* innocentiae ipsius. Notiones singulorum habentur in suis locis, vel facile deducuntur ex expositione textus.

566. Q. II. *Origo et vicissitudines.*

R. Modus aptior et expeditior ad ostendendam iudici veritatem rei controversae est ex se asseveratio litigantium; sed stante hominum malitia, qua facile asserunt falsum si ex hoc aliquod commodum sentiant et nullum damnum pertimescant, simplex asseveratio litigantium habita est semper suspecta, et ex hoc, 1) Iam inde ab initio humani consortii invaluit usus exigendi a litigante iusiurandum, quo poenarum, saltem divinarum timore, moraliter compelleretur ad veritatem dicendam. Quem usum refert Apostolus, *Hebraeor.* VI, 16, aiens: *Omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum.* — 2) De eodem more testatur Gaius, L. 2, ff. *De iureiur.* « Maximum remedium expediendarum litium in usum venit iurisiurandi religio ». — 3) Ecclesia, ob ea verba evangelica, « sit sermo vester, *est, est, non, non*, » parum aut nihil adhibuit iuramentum uti medium probationis in primaeva aetate; attamen, attenta hominis proclivitate ad mendacia sibi utilia, paulatim induxit iusiurandum in suo foro, sed uti medium probatorium subsidiarium suapte natura, quia asseveratio in re propria est periculosa mendacii, iuramentum vero, ob reverentiam divini nominis, nonnisi caute adhibendum est. Hunc conceptum et usum iurisiurandi retinet Codex, ut patet, vel eo quod, nonnisi post omnes probationes, leges de eo tradit, necnon ex textu quoad iuramentum suppletorium et contextu canonum quoad alia.

Expositio textus.

Can. 1829. — Q. *In quo consistit, seu quandonam dicitur praestari iuramentum suppletorium?* 567.

R. **Si habeatur semiplena tantum probatio nec alia probationis adiumenta iam supersint et iudex aut iubeat aut admittat iusiurandum ad probationes supplendas, hoc iusiurandum dicitur** *suppletorium.*

Si habeatur (semiplena probatio): nam « cum iuramentum tantum semiplene probet » (1) et non sufficiat ad sententiam, inutile, et proinde nefas est illud iubere aut admittere, si ille a quo praestandum est non attulit aliam semiplenam probationem, v. g., testem omni exceptione maiorem (2). — . . . **semiplena tantum probatio:** nam, quod exigatur iuramentum si unus ex litigantibus probaverit plene, vel, ut dicitur in c. 2, X, *De probat.*, II, 19, *cum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis aut testibus, ei sacramentum nihilominus deferatur..... talem consuetudinem reprobamus*, ait S. Pontifex. Et revera iusiurandum esset innecessarium et proinde illicitum. — . . . **nec alia... supersint:** quae verba ostendunt iusiurandum suppletorium esse probationem subsidiariam, adhibendam tantum in casu necessitatis, cum, nempe, nulla **alia probationis adiumenta iam supersint.** — . . . **supplendas:** id est, adiuvandas seu roborandas, non ad eas substituendas, cum illud semiplene tantum probet. — . . . **suppletorium:** quod hucusque dictum est quoque *necessarium*, seu obligatorium, saltem conditionate.

Can. 1830. — Q. *Iusiurandum suppletorium* 1) *quando vel maxime adhibendum;* 2) *quando non adhibendum;* 3) *utrum ad instantiam, an ex officio deferendum;* 4) *cuinam deferri debet;* 5) *a cuius arbitrio pendet quoad delationem?* 568.

R. I. ex § 1. **Huic iuriiurando vel maxime locus est cum adiuncta, quae civilem vel religiosum personae statum respiciunt, aliter comperiri nequeunt.**

. . . **vel maxime locus est:** quia saepe haec adiuncta sunt scitu omnino necessaria, et non raro damna ex periurio unum periurantem respiciunt. — . . . **civilem:** utputa utrum persona sit coelebs, an et cum quo coniugata, ex quo genere progenita,

(1) Schmalz. et alii passim h. t.
(2) Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XXIV, § VI, n. 173.

ubi et quandiu commorata, cum quibus sanguine aut affinitate coniuncta, cuinam arti vel officio dedita. — . . . **religiosum**: v. g. utrum sacris ordinibus initiata, an aliquam Religionem professa, an aliquod munus ecclesiasticum assecuta, etc. — . . . **aliter comperiri nequeunt**: quia ob periculum periurii iusiurandum est etiam in his causis probatio subsidiaria.

R. II. ex § 2. **Sed eodem abstineat iudex tum in causis criminalibus, tum in contentiosis, si de iure vel re magni pretii agatur aut de facto nimii momenti, aut si ius, res, factum non sit proprium personae cui iusiurandum esset deferendum.**

. . . **in causis criminalibus**: quia, qualescunque sint, habent specialem gravitatem, cum personam ipsam afficiant in suo honore; et proinde imminet grave periculum periurii. — . . . **magni pretii... nimii momenti**: in utroque enim casu magnitudo boni obtinendi aut mali evitandi possunt inducere in tentationem peierandi. — . . . **proprium**: excepto tamen si persona **speciale mandatum habuerit** (c. 1662), et iuret iuxta formulam a mandante redactam: quae cum saepe non semper possit in antecessum perfecte aptari adiunctis super quibus iusiurandum deferre expedit, ideo heic praecipitur ut iudex abstineat, intellige, si formula non sit perfecte apta. Hoc pacto conciliatur hic c. cum c. 1662.

R. III. ex § 3. **Deferri autem hoc iusiurandum potest sive ex officio, sive ad instantiam alterius partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, si iudicio intersint.**

. . . **deferri**: a iudice seu per iudicem, etsi delatio postuletur a parte. — . . . **sive ex officio**: (potest) quia deferre litiganti iusiurandum dictum suppletorium non est eius probationes supplere in sensu prohibito per c. 1619, § 1, cum iudex non afferat eas quas litigans non attulit, sed tantum, necessitate cogente, perficiat iuramento quas ille attulit.

R. IV. ex § 4. **Regulariter deferatur ei qui pleniores habet probationes.**

Regulariter: a qua quidem regula fit exceptio cum ille qui maiores (sed non plenas) probationes habet est persona minus honesta, aut causa adversarii est *favorabilis* in sensu iuris (1). — . . . **ei**: id est, sive actori sive reo. Quo praescripto mutatur ius vetus quod decernebat (2): *Praesumptione vero* (quae, certe,

(1) Cf. Lega, *De Iudic.*, I, 461.
(2) C. 36, X, *De iureiur.*, II, 24.

ibi accipitur pro semiplena probatione) *faciente pro illo* (actore) *reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam iuramentum, nisi iudex (inspectis personarum et causae circumstantiis) illud actori videat deferendum.* Ergo iure veteri iusiurandum deferebatur *regulariter* reo, dum iure Codicis deferendum est *regulariter* ei qui pleniores habet probationes. — ... **pleniores:** id est, potiores seu meliores probationibus alterius partis, non autem pleniores in se, prout probatio *plenior* opponitur *plenae.* Et hoc est indubium, nam, ut dictum est, exhibita probatione plena, non est locus iuriiurando.

R. V. ex § 5. **Iudicis tamen est decreto definire an et quando adiuncta concurrant, cur iusiurandum suppletorium deferri debeat.**

Id est, utrum, *a*) non agatur **de iure magni pretii,** nec **de facto magni momenti;** *b*) utrum et quaenam pars melius probaverit, quin tamen probaverit plene.

Can. 1831. — Q. *Utrum iusiurandum suppletorium* 1) *delatum possit recusari;* 2) *recusatum aequiparetur confessioni;* 3) *praestitum impugnari possit.* 569.

R. I. ex § 1. **Pars cui iusiurandum suppletorium defertur in rebus quae ad eius statum civilem vel religiosum non pertinent, potest ex iusta causa illud recusare vel in adversarium referre.**

... **iusta causa:** utputa, quod pars plene probaverit, vel pars deferens non probaverit semiplene, vel non deferatur super facto proprio, vel deferatur quidem super facto proprio sed nimis antiquo, vel deferatur super facto criminali, vel contentioso quidem sed nimii momenti, vel deferatur a procuratore sine mandato speciali, vel procuratori sine mandato speciali. De quarum causarum veritate et sufficientia iudicis est aestimare. — ... **referre:** id est, exigere ut ab adversario praestetur: adversarius nequit *referre*, sed tenetur iurare, nisi habeat iustam causam recusationis.

R. II. ex § 2. **Quanti autem haec recusatio facienda sit, utrum iusta sit, an potius confessioni aequiparanda, iudicis est aestimare.**

Iure veteri vigebat dispositio valde diversa, videlicet « manifestae turpitudinis est, et confessionis, nolle iurare nec iuramentum referre » (1).

(1) L. *Manifestae* ff. *De iureiur.*

R. III. ex § 3. **Iusiurandum suppletorium, ab una parte praestitum, potest ab altera impugnari.**

. . . **ab altera**: non ab ipsamet quae iuravit: in quo differt iusiurandum a confessione iudiciali quae revocari potest.

570. **Can. 1832.** — Q. *Quid sit, seu quando deferatur iusiurandum aestimatorium.*

R. **Si de iure ad damni reparationem constet, sed quantitas damni aestimari certe non possit, iudex potest parti quae damnum passa est, iusiurandum deferre, quod** *aestimatorium* **dicitur.**

. . . **quantitas damni**: seu « quanti res est, et quanti revera... interest rem in iudicium deductam facto adversarii non exstare, vel exstinctam esse » (1) non *quantitas affectionis*, vel quantum re afficiatur qui iurare debet. — . . . **aestimatorium dicitur**: quod quidem est iuramentum *veritatis*, et *necessarium* quoque seu obligatorium, diversum, ut patet, a iuramento *affectionis*, de quo veteres canonistae loquuntur, deinceps vero nulla ratio habenda est.

571. **Can. 1833.** — Q. *Modus procedendi in deferendo iureiurando aestimatorio.*

R. **In deferendo iureiurando aestimatorio:**

1° Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat;

2° Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia iudicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur.

. . . **probabilem**: id est, rationabilibus argumentis innixam. — . . . **aestimationem** ... pretii et valoris obiective veri, non affectionem.

572. **Can. 1834.** — Q. *Iusiurandum voluntarium quoad compositionem controversiarum* 1) *utrum aliquando deferri possit; in quo controversiae statu; quomodo ante iudicium; quomodo vero et qua conditione intra iudicium;* 2) *quo nomine vocetur.*

R. I. ex § 1. **Non solum ante initam litem partes convenire possunt ut controversia per iusiurandum ab alterutra**

(1) Cf. Reiff., *I. C. U.*, L. II, Tit. XXIV, n. 19.

praestandum transigendo dirimatur, sed pendente quoque lite et in quolibet eius momento et statu, altera pars potest, iudice probante, alteri iusiurandum deferre, ea conditione ut quaestio, sive principalis sive incidens, secundum iusiurandum decisa habeatur.

. . . **ante initam litem**: etiam antequam cogitatum fuerit de ineunda lite. — . . . **partes**: absque ullo interventu non modo iudicis, sed nec publici officialis, nisi forte hoc requiratur a lege civili loci (c. 1529). — . . . **transigendo**: nam transactio, id est, aliqualis renuntiatio iuris ab utraque parte, est de essentia istius iurisiurandi. — . . . **in quolibet . . . statu**: ergo etiam post sententiam definitivam, sed priusquam haec transeat in rem iudicatam, nam toto hoc tempore lis pendere dicitur. — . . . **altera pars**: per iudicem quidem, legentem formulam, sed nunquam iudex *ex officio*, nam agitur de renuntiatione iuris quam iudex nequit unquam imponere. — . . . **iudice probante**: iurisiurandi delationem et formulam (cf. c. 1836 § 2). — . . . **decisa**: omni appellatione exclusa, iuxta c. 1880, 5°.

R. II. ex § 2. **Iusiurandum huiusmodi dicitur** *decisorium.*

Can. 1835. — Q. *Iusiurandum decisorium*, 1) *de qua re seu* **573.** *in qua causa;* 2) *a quo;* 3) *cui; et* 4) *de quo facto deferri potest?*

R. **Decisorium iusiurandum deferri nequit, nisi:**

1° **De re, in qua cessio et transactio admittitur, et quae pro litigantium personis non sit nimii momenti seu pretii;**

2° **Ab eo qui cedere aut transigere potest;**

3° **Ei, qui cedere vel transigere valet, quique pariter pro se non habeat plenam probationem;**

4° **De mera notitia facti aut de facto, quod proprium sit illius, cui iusiurandum defertur.**

. . . **cessio**: seu donatio, licet non omnino gratuita; nam renuntiatio particularis iuris est de essentia istius iurisiurandi. — . . . **transactio**: quae constituit naturam istius iurisiurandi eo ipso quod includit partialem renuntiationem et partialem acquisitionem. — . . . **admittitur**: iuxta leges non modo divinas et ecclesiasticas, sed etiam civiles loci, ut praescribitur c. 1926. — . . . **nimii momenti seu pretii**: iuxta praedictas leges, si iusiurandum emittitur ante initam litem; iuxta easdem, et, in earum defectu, iuxta iudicium iudicis, si emittitur intra iudicium. — . . . **Ab eo**, etc.: iuxta praefatas leges. — . . . **Ei, qui . . . valet**: ad normam earundem legum. — . . . **non habeat plenam probationem**: nam transactio est suapte natura de re dubia; res autem

plene probata non est amplius dubia, et transactio de ea in hoc casu mutaretur in contractum donationis gratuitae. — . . . **quod proprium sit,** etc.: intellige, nisi ille, qui defert aut qui acceptat iusiurandum, speciale mandatum habeat (c. 1662) ut supra dictum est.

574. **Can. 1836.** — Q. *Iusiurandum decisoriium* 1) *an possit a deferente revocari, et debeat ab adversario praestari;* 2) *quid efficiat si praestetur;* 3) *quid si recusetur nec referatur;* 4) *quid si referatur;* 5) *quandonam referri valeat.*

R. I. ex § 1. **Hoc iusiurandum potest a parte, a qua delatum est, revocari quousque praestitum non fuerit, et ab altera parte acceptari et praestari, vel minus, aut referri in adversarium.**

. . . **quousque praestitum non fuerit**: etenim usque tunc temporis approbatio iudicis non est definitiva seu irrevocabilis. — . . . **acceptari**: et, ni fallor, ante praestationem revocari, ob eandem rationem. — . . . **praestari, vel minus**: quia modus dirimendi lites per transactionem est quidem nonnullis et in pluribus rebus permissus, sed nemini imponi potest, quippe importat partialem iuris renuntiationem. — . . . **referri in adversarium**: huic enim displicere non debet ius quod ipse alteri applicat.

R. II. ex § 2. **Praestito iureiurando, quaestio secundum iuratam formulam finita est, perinde ac si cessio aut transactio iudicialis intercessisset.**

. . . **finita est:** nam « dato iureiurando, ait Ulpianus, non aliud quaeritur quam an iuratum sit, remissa quaestione an debeatur: quasi satis probatum sit iureiurando » (1). — . . . **cessio**: huius enim indolem habet hoc iusiurandum ante initam litem. — . . . **transactio iudicialis**: cui aequivalet hoc iusiurandum factum intra iudicium.

R. III. ex § 3. **Si iusiurandum recusetur nec referatur in adversarium, iudicis est aestimare quanti facienda sit recusatio, utrum iustis innitatur causis an potius confessioni sit aequiparanda.**

. . . **confessioni sit aequiparanda**: quod quidem videtur a iudice faciendum vi h. paragraphi si causae non recusandi nec referendi non sint sua sententia iustae.

R. IV. ex § 4. **Si in adversarium referatur, hic debet illud praestare, secus causa cadit.**

(1) In l. 5 ff. *De iureiur.*

... **praestare**: si eveniant quae in paragr. sequenti indicantur. — ... **cadit**: ad rem enim apprime pertinet illud: « manifestae turpitudinis est, et *confessionis*, nolle nec iurare nec iusiurandum referre » (1).

R. V. ex § 5. **Ut iusiurandum in adversarium referri possit, eaedem illae concurrant conditiones necesse est, quae ad illud deferendum requiruntur, atque idem intercedat iudicis ministerium.**

... **requiruntur**: et in c. 1835 exprimuntur.

TITULUS XI.

De causis incidentibus.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis.* 575.

R. Cum saepe saepius inter cognoscendum de causa seu quaestione principali, quae, videlicet, in libello litis introductorio *expresse* et ex *professo* proposita est utpote obiectum *directum* iudicii, nonnullae quaestiones *incidant* vel excitentur, quae etsi non contineantur expresse in libello, attamen ad causam principalem pertinent *indirecte* quia plerumque eas expedit prius definire, ut recte procedi possit ad definitionem causae principalis, quaeque *incidentes* vocantur, ideo legislator, interrupta *tela iudiciaria*, vel ordine actuum principalium, interponit Titulum *de causis incidentibus*, in quo regulas cognitionis earum tradit, primo *in genere*, a c. 1837 ad c. 1841, deinde *in specie*, in tribus capitibus, in quibus agit de totidem quaestionibus incidentibus quae praecipue excitari solent, scilicet, *de contumacia*, *de interventu tertii in causa*, et *de attentatis lite pendente*.

Q. II. *Causarum incidentium notio et praecipuae species.* 576.

R. Vocabulum *causae incidentis* heic large sumitur prout ipso significatur *quaelibet controversia*, *principali accessoria*, *quae excitetur sive initio*, *sive in medio sive in fine iudicii*, praetermissa distinctione inter quaestiones *incidentes* et *emergentes*, de quibus veteres interpretes (2).

(1) L. 38, ff. *De iureiur.*
(2) Reiff., *I. C. U.*, L. II, Tit. X, n. 21.

Initio exoriri solent quaestiones de *iudicis competentia*, de eiusdem *suspicione*, de *defectu personae legitimae*, de *contumacia* in parte, de *defectu mandati* in procuratore, etc.; quarum tamen aliquae serius nascuntur. *In medio* aut *in fine* possunt, inter alias, oriri quaestiones de *cautione praestanda*, de *sequestranda re litigiosa*, de *interventu tertii*, de *admittenda* aut *respuenda aliqua probatione*, de *attentato* commisso lite pendente, etc. Quoad *ordinem cognitionis* causarum incidentium, cf. c. 1627, sq.: ad *modum* autem procedendi pertinet v. g. c. 1840.

CAPUT PRAELIMINARE (addititium).

De causis incidentibus in genere.

Expositio textus.

577. **Can. 1837.** — Q. *Quandonam dicitur haberi causa incidens, et a quo proponi potest?*

R. **Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.**

... per citationem: ergo reiectio libelli (can. 1709, § 3) et omissio admittendi aut reiiciendi illum intra mensem (c. 1710) et declaratio incompetentiae a iudice facta ante citationem (can. 1610, § 3) non sunt materia causae incidentis. — **... ab una ex partibus:** sive quae ab initio iudicii contendit, sive quae post iudicium inceptum saltem citatione, libellum iudici exhibuerit postulans interventum in causa, nam ex tunc iam est vere pars. — **... a promotore iustitiae:** si bonum publicum sit in causa: quo in casu ipse iudex per se valet quaestionem incidentem excitare, attamen expedit ut hoc faciat per promotorem. — **... plerumque:** unde eruitur quod si iudici certo videatur quaestionem non esse ex illis quae saltem plerumque resolvi debent ante quaestionem principalem, non tenetur admittere nec excitare quaestionem incidentem; sed, si dubitat, tenetur, ne forte quaestionem incidentem praetermittens, iniuriam inferat parti.

Can. 1838. — Q. *Duplex forma propositionis causarum incidentium: quid necessario exprimendum? regulae servandae.* 578.

R. **Causa incidens proponitur vel oretenus vel per libellum, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, et servatis, quoad eius fieri poterit, regulis can. 1706-1725 statutis.**

... **indicato nexu:** sive oretenus sive in scriptis. — ... **regulis can. 1706-1725:** unde, inter alia, si propositio fit oretenus, statim ab actuario redigatur in actis.

Can. 1839. — Q. *Duo a iudice ante admissionem causae incidentis deliberanda; et quomodo.* 579.

R. Quoad *substantiam*, deliberet 1) num quaestio sit futilis; et si secus sit, 2) num ante principalem solvi indigeat. Quoad *modum*, deliberet 1) secum, 2) auditis partibus, et 3), si opus sit, promotore et defensore vinculi. Ita ex h. canone, videlicet:

Iudex, libello vel petitione verbali receptis, auditis partibus, et, si opus sit, promotore iustitiae, vel vinculi defensore, secum deliberet num proposita incidens quaestio futilis sit et ad retardandum principale iudicium unice excitata; itemque num causa incidens talis sit naturae et tali nexu cum causa principali cohaereat, ut ante eam resolvi debeat. Si ita se res habeat, libellum vel instantiam admittat; aliter decreto suo eam reiiciat.

Iudex: vel proprie talis, vel auditor, vel iudex delegatus ad instruendum processum, vel praeses si agatur de tribunali collegiali. — ... **auditis:** servando regulas naturalis prudentiae, si quaestio definienda sit mero decreto (c. 1840, § 1), vel, regulas **quae ordinariis iudiciis obtinent** casu quo **sit iudicialiter definienda** (c. 1840, § 2). — ... **si opus sit:** eo quod respiciat bonum publicum. — ... **vinculi defensore:** si agatur de causa matrimoniali. — ... **secum:** quin opus sit ut auditor rem conferat cum iudice, bene vero praeses tribunalis cum aliis iudicibus. — ... **cohaereat:** cf. quae diximus ad cap. *de ordine cognitionum*, can. 1627, sq. — ... **Si ita res se habeat:** id est, si quaestio incidens 1) non sit futilis, et 2) ante principalem **resolvi debeat.** — ... **admittat:** et admissionem redigere faciat in actis. — ... **decreto:** non sententia, et proinde remota appellatione vi can. 1880, 6° ubi dicitur: **Non est locus appellationi ... a iudicis decreto:** videlicet, quocunque, nisi aliter caveatur, ut fit v. g. in c. 1610, § 3.

Can. 1840. — *De duplici forma, vel iudiciali vel extraiudiciali, definiendi quaestiones incidentes.*

580. Q. I. *Quisnam, et quibus attentis determinat formam servandam?*

R. ex § 1. **Utrum incidens quae excitetur quaestio, definienda sit iudicii forma servata, an mero decreto, iudex, attenta rei qualitate et gravitate, aestimet.**

581. Q. II. *Regulae servandae si definitio fiat iudicialiter.*

R. ex § 2. **Si causa incidens sit iudicialiter definienda, regulae, quoad eius fieri poterit, servandae sunt, quae in ordinariis iudiciis obtinent; curet tamen iudex ut dilationum termini sint quam maxime breves.**

582. Q. III. *An in casu definitionis extraiudicialis, decretum, vel reiiciens vel definiens, exprimere debeat rationes.*

R. Affirmative ex § 3. **Iudex in decreto quo, non servata iudicii forma, vel reiicit vel definit quaestionem incidentem, rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat.**

583. **Can. 1841.** — Q. *Utrum, in quo iudicii stadio, quando, quomodo et quibus auditis possit iudex sententiam interlocutoriam corrigere aut revocare.*

R. **Antequam finiatur causa principalis, iudex interlocutoriam sententiam potest, iusta intercedente causa, corrigere aut revocare sive ex se, auditis partibus, sive ad instantiam unius partis audita altera parte, et requisito semper voto promotoris iustitiae aut defensoris vinculi, si adsint.**

...finiatur: vel sententia definitiva, vel aliis modis, v. g. iureiurando decisorio. — **...interlocutoriam sententiam:** ergo a fortiori, decretum, si quaestionem iudex definivit extraiudicialiter. — **...iusta ...causa:** a se aestimanda.

CAPUT I.

De contumacia.

Expositio rubricae.

584. Q. I. *Duplex notio contumaciae, et duplex systema iuridicum contumaciale.*

R. Contumacia vel potius *omissio comparendi in iudicio* post citationem sive initio sive in decursu iudicii factam potest

considerari sub duplici aspectu, scilicet, vel *inobedientiae* erga citantem aut permittentem citationem, vel *renuntiationis* tuitioni iudiciali iuris. Omissio, si a publica alicuius societatis auctoritate consideratur sub priori aspectu, est violatio legis iuris publici, et constituit *delictum*, cuius consectaria iuridica sunt poenae proprie tales infligendae contumaci; si autem consideretur sub altero aspectu, est actus legitimus, cuius consectaria, contumaci noxia, non sunt vere poenae.

Q. II. *Notae historicae.* **585.**

R. Ius romanum contumaciam consideravit primo modo, et eam proscripsit tanquam delictum iuris publici (1). Ius canonicum vetus attendit in eadem praecipue qualitatem contemptus auctoritatis vadimonium praecipientis; cuius rei signum evidens sunt remedia poenalia in contumaces edita (2). Codices civiles hodierni passim considerant contumaciam sub aspectu iuris privati attendentes tantum qualitatem renuntiationis iuri, vel prosequendi litem, si contumax est actor, vel acceptandi aut prosequendi litem si sit reus (3). Nihilominus Codex Hispanus, ex ipso nomine huius instituti iuridici, innuit adhaerere conceptui iuris romani vel potius iuris canonici veteris, nam contumaciam vocat *resistentiam* (*rebeldía*), et iudicium contumaciale iudicium contra resistentes *juicio en rebeldía* (4).

Q. III. *Iuris veteris ac novi collatio quoad remedia contumacialia.* **586.**

R. Codex noster systema iuris veteris retinet quoad *substantiam* seu quod conceptum contumaciae, ut deducitur praecipue ex can. 1844, collato cum can. 1845; sed illud nonnihil immutat quoad *usum*, id est quoad remedia in contumaces maxime in reum; nam antiquitus *in res* potius quam *in personam* rei exercebantur, nunc vero *in personam* potius quam *in res*, cum conditiones temporum aliud facere vetent. Et quidem iure veteri remedia erant diversa quoad reum, prout contumacia declarata fuisset lite contestata vel secus. In priori casu actor admittebatur ad probationes, et poterat obtinere sententiam. In altero, id est si lis non erat contestata, non procedebatur ad sententiam definitivam; sed recurrebatur in primis ad remedium

(1) L. 11, ff. § 4, *De interrogat.* et l. 52 ff. § 1 *De re iudic.*
(2) Lega, *De Iudic.*, I, n. 565.
(3) *Cod. Gregor.*, 556, sq., *Cod. It.* art. 380, 381, 440, 441.
(4) *Ley de Enjuiciamiento Civil*, art. 762, sq.

immissionis actoris in possessionem bonorum rei, et, illo remedio non sufficiente, ad poenas, sive spirituales sive temporales, v. g. privationes, inhabilitates, multas, censuras.

Immissio autem erat duplex: una dicebatur *immissio ex primo decreto*, rei custodiendae causa, ad annum, prout decernebat Tit. 15, L. II, X, *De eo qui immittitur in possessionem causa rei servandae;* alia appellabatur *immissio ex secundo decreto.* Per priorem concedebatur actori *in actionibus realibus* possessio *materialis* et proinde assecuratio rei; per alteram possessio *civilis*, apta ad interdicta, et, quod pinguius erat, ad usucapionem. In actionibus vero *personalibus*, *vel mittendus est actor*, ait Inn. III, *in possessionem mobilium ipsius* (rei) *vel immobilium si forte mobilia non habeat, pro modo debiti; vel in contumacem est ecclesiastica sententia* (vel censura) *proferenda, ita videlicet, quod alterutra poena, quae magis timeri debeat, iudex a principio sit contentus; ad alterutram nihilominus processurus, si hoc meruerit protervitas contumacis.* Iure Codicis abolita est praefata remediorum differentia, ut statim videbimus.

Expositio textus.

587. **Can. 1842.** — Q. *De contumacia rei; quandonam hic dici possit contumax.*

R. **Reus citatus qui sine iusta causa nec ipse per se nec per procuratorem comparet, contumax declarari potest.**

... **citatus**: formaliter et legitime, non simpliciter invitatus aut quomodocunque vocatus. — ... **iusta causa**: a iudice aestimanda. — ... **potest**: et debet, si procedendum sit contra eum tanquam contumacem.

588. **Can. 1843.** — Q. *Ad declarandam contumaciam rei,* 1) *quaenam requirantur;* 2) *quomodo haec comprobari possint?*

R I. ex § 1. **Non potest tamen iudex reum contumacem declarare nisi prius constiterit:**

1° Citationem, legitime factam, tempore utili ad rei notitiam pervenisse aut saltem pervenire debuisse;

2° Reum absentiae excusationem afferre neglexisse aut non iustam attulisse.

... **constiterit**: mediis ad rem ostendendam legitimis aut aptis, utputa *a*) relatione cursoris; *b*) syngrapha receptionis subscripta a reo, vel, si hoc non fuit possibile, a publico tabellariorum officio; *c*) depositionibus aliquorum testium; *d*) exem-

plari ephemeridis, qua citatio forte edita fuit. — ... **pervenire debuisse**: quod tunc dumtaxat dicitur evenire quando per reum stetit quominus citatio ad eum non pervenerit, quia v. g. malitiose se occultavit, aut per se vel per alios impedivit quominus cursor, vel litterae ad eum pervenirent. — ... **neglexisse**: ut si nulla infirmitate detentus, nulla occupatione necessaria distractus, nullo facto publico, v. g. belli, pestis, etc., praepeditus, respondere omisit tempore utili.

R. II. ex § 2. **Haec comprobari possunt sive per novam citationem reo factam ut contumaciam suam, si possit, excuset, sive alio modo.**

... **comprobari**: seu confirmari, nam probatio fit per media supra recensita. — ... **possunt**: sed non indigent; unde iudici facultas conceditur, non imponitur obligatio iterandi citationem.

Can. 1844. — *De processu super contumacia rei et super causa principali.* 589.

Q. *Ad cuius petitionem declarari possit contumacia, et utrum et quousque procedi possit super causa principali.*

R. I. ex § 1. **Ad instantiam partis vel promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, si iudicio intersint, iudex rei contumaciam declarare potest, eaque declarata, procedere, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque exsecutionem.**

... **si iudicio intersint**: id est si agatur de bono publico aut causa matrimoniali. Ni fallor, promotor debet declarationem petere etiam in causis privatorum, quoties iudex, vi facultatis ipsi concessae in c. sequenti, velit comminari poenas ecclesiasticas. — ... **procedere**: in cognitione causae principalis, ut patet ex verbis: **sententiam definitivam.** — ... **servatis servandis**: scilicet, praeter ea quae praescribuntur in § sequenti et in can. 1846, 1847, illis omnibus quae natura uniuscuiusque causae postulaverit, utputa, quod **in iudicio criminali reus ... semper habere debet advocatum** (1655, § 1). — ... **eiusque exsecutionem**: ut timor huius damni frangat rei contumaciam.

R. II. ex § 2. **Si procedatur ad sententiam definitivam, lite non contestata, sententia respicere tantum debet petita in libello; si lite contestata, ipsum contestationis obiectum.**

... **respicere ... petita**: non autem concedere actori omnia petita sed quae iudici visa fuerint iusta. — ... **obiectum**: ita ut, ex. gr. in contentiosis, actori concedantur absque discussione

et limitatione ea quae reus recognoverit ad eum pertinere vel eidem praestari debere, cetera vero prout actor fidem de eis fecerit iudici.

590. **Can. 1845.** — Q. *Utrum reo contumaci* 1) *possit iudex infligere et comminari poenas ecclesiasticas; et* 2) *quomodo.*

R. I. ex § 1. **Sed potest quoque iudex ad frangendam rei contumaciam comminari ecclesiasticas poenas.**

... **potest**: id est, ius habet, imo officium (cuius vim obligatoriam ipse aestimat) si agatur de causa criminali aut boni publici, aut de causa quidem boni privati ex se, sed quam bonum animarum aut alias publicum postulet aliquomodo ut dirimatur, et per viam iudicialem finiatur; sed legislator adhibuit verbum **potest** ad significandum quod iudex, si poenas comminetur, hoc facit *ex officio* vel proprio motu, non constrictus instantia actoris, qui nequit poenas ecclesiasticas petere, cum actio poenalis reservata sit promotori iustitiae, vi canonis 1934. — ... **quoque**: ac si dicat: praeter naturalem sanctionem poenalem quam reus sustinet subeundo sententiam absens et indefensus, potest iudex ei comminari poenas ecclesiasticas. — ... **ad frangendam rei contumaciam**: et proinde debet eas tollere ubi primum contumacia cessaverit. — ... **comminari**: id est, decernere vel ferre, (et exinde exsequi vel applicare, ut planum est), non obstante quod c. 2220, § 1 **Qui pollent potestate ... iudiciali tantum, possunt solummodo poenas legitime statutas, ad normam iuris applicare**; cuius canonis est quaedam exceptio praescriptum huius paragraphi innixa rationibus indicatis in com. ad c. 1626, **n. 219.**

R. II. ex § 2. **Quod si facere velit, iteranda est rei citatio, cum comminatione poenarum; nec iam tunc licet aut contumaciam declarare aut, ea declarata, poenas irrogare, nisi probetur hanc quoque secundam citationem suo effectu caruisse.**

... **si facere velit**: aut forsitan teneatur, ut supra explicatum est. — ... **iteranda est**: est unica exceptio a regula generali statuta in c. 1714. — ... **comminatione**: quae si omittatur nihil actum est cum comminatio sit *obiectum* secundae citationis et proinde de substantia actus (c. 1680, § 1). — ... **nec ... licet**: quae verba, ob eorum nexum cum immediate praecedentibus, significant quod iudex non potest declarare, id est non habet potestatem declarandi contumaciam et irrogandi poenas, et, proinde, si facit, nihil facit, **nisi probetur** etc.

Can. 1846. — Q. *Utrum reus a contumacia recedens ante sententiam definitivam admittatur, et quibus cautelis.* 591.

R. **Rei a contumacia recedentis seque in iudicio sistentis ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur ; caveat autem iudex ne mala fide in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.**

... **ante causae definitionem :** id est, ante sententiam definitivam in prima instantia ; ergo etiam post conclusionem in causa. — ... **conclusiones :** videlicet, assertiones et petitiones. — ... **mala fide :** quae tamen non praesumitur ex facto contumaciae etiam non purgatae, sed desumenda est ex causis contumaciae et ex indole probationum quas reus affert.

Can. 1847. — Q. *An, et quodnam remedium reo contumaci maneat post sententiam definitivam ; a quo possit illud petere et intra quod tempus.* 592.

R. **Post latam vero sententiam, contumax beneficium restitutionis in integrum ad appellandum ab ipso iudice qui eam tulit, petere potest, non ultra tamen trimestre ab ipsius sententiae intimatione, nisi agatur de causis quae non transeunt in rem iudicatam.**

... **in integrum :** contra lapsum temporis concessi ad appellandum (c. 1881, 1883). — ... **ab ipso iudice qui eam tulit, petere potest,** restitutionem : et merito nam aequivalet petitioni annullationis sententiae, annullatio autem similis est declarationi nullitatis (sententiae), quae regulariter petitur ab ipso iudice qui sententiam tulit (c. 1895). — ... **nisi agatur** etc.: nam in huiusmodi causis manet perpetuo ius petendi restitutionem.

Can. 1848. — Q. *Regulae quoad reum factum contumacem progressu iudicii.* 593.

R. **Regulis superius traditis etiam tum locus est cum reus, etsi primae citationi obtemperaverit, fit tamen postea, progressu iudicii, contumax.**

Can. 1849. — Q. *Contumacia actoris, quando, et ad quorum instantias declarari potest, et iuxta quas regulas declarari debet ?* 594.

R. **Si die et hora, qua reus secundum citationis praescriptum coram iudice primum se sistit, actor non adsit, nullamque vel insufficientem absentiae excusationem attulerit, iudex eum ad instantiam rei conventi citet iterum ; et si actor novae citationi non paruerit vel postea iudicium inchoare vel inchoatum prosequi neglexerit, instante reo con-**

vento vel promotore iustitiae aut defensore vinculi, contumax a iudice declaretur, iisdem servatis regulis quae supra traditae sunt pro rei contumacia.

... **se sistit**: per se vel per procuratorem (cf. c. 1655). — ... **citet iterum**: legislator dicit *iterum*, quia pro prima citatione habetur notificatio actori facta iuxta c. 1712, § 3. — ... **inchoare**: contestando litem. — ... **prosequi**: probationes afferendo intra terminos eidem praefixos. — ... **instante reo**: in causis privatis. — ... **promotore**: in causis boni publici sive proprio motu, sive iudice suggerente ut promotor instet. — ... **defensore**: in causis matrimonialibus. — ... **iisdem servatis regulis**: non exclusa illa quae iudici praebet facultatem comminandi poenas ecclesiasticas.

595. **Can. 1850.** — Q. *Declarata actoris contumacia*, 1) *utrum et qualiter perimatur ius eius ad prosequendam instantiam;* 2) *an et quando promotor aut defensor possint instantiam facere suam;* 3) *quatuor iura seu remedia ex quibus reus eligere potest.*

R. I. ex § 1. **Actoris contumacia a iudice declarata perimit eiusdem actoris ius ad suam instantiam prosequendam.**

Quod ius ita perimitur ut maneat incolumis *actio*, id est, facultas persequendi ius suum iudicialiter, sed in alio iudicio, seu inchoando etiam instantiam per novam oblationem libelli postquam expensas prioris instantiae solverit et indemnitatem praestiterit ad normam c. 1851: iure veteri debebat praestare insuper *cautionem de iudici se sistendo*.

R. II. ex § 2. **Permittitur tamen promotori iustitiae vel vinculi defensori instantiam facere suam eamque prosequi, quoties publicum bonum id postulare videatur.**

R. III. ex § 3. **Reus autem exinde ius habet petendi ut vel libere possit a iudicio abire, vel nulla habeantur omnia eo usque gesta, vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris, vel iudicium, absente quoque actore, ad finem adducatur.**

... **libere possit a iudicio abire**: seu ut iudex effectum citationis rescindat, vel, uti solet dici, ut *circumducatur* aut *circumscribatur edictum*, nempe, citationis; unde reus non teneatur redire nisi vi novae citationis factae post solutas sibi expensas et indemnitatem ob priorem citationem. Quae petitio locum habet cum lis adhuc non contestata fuerit. — ... **nulla habeantur ... gesta**: vel, ut dici solet, ipse *absolvatur ab obser-*

tione iudicii. Hoc remedium, quod postulari potest post litem ntestatam, est pinguius alio *circumscriptionis*, nam continet ;um et amplius. — ... **absolvatur a petitione actoris:** per sen- ntiam qua edicatur, ex allatis et probatis, rem vel ius non per- iere ad actorem; unde si hic denuo velit iudicium instaurare, ssit repelli *exceptione rei iudicatae.* — ... **iudicium ... ad iem adducatur:** absolute, id est, non modo *quoad actorem* sed am *quoad omnes*, quod fiet per sententiam qua definiatur rem l ius pertinere ad reum, si iudex noverit negotium alios aeter actorem non attingere, vel eos prout de iure audiverit.

Can. 1851. — Q. *A quo solvendae sint expensae si decla-* 596.
tur contumax 1) *unus ex litigantibus;* 2) *uterque litigans.*

R. I. ex § 1. **Qui contumax declaratus contumaciam am non purgaverit, sive actor sit sive reus, condemnetur m ad litis expensas, quae ob suam contumaciam factae nt, tum etiam, si opus sit, ad indemnitatem alteri parti aestandam.**

... **non purgaverit:** afferendo et probando iustas causas ae absentiae vel sui discessus. — ... **ad litis expensas:** eas, nirum, quae *ab ipso* debebantur, et illas quae *ab adversario* utae sint aut deberentur Cancellariae Tribunalis pro actibus roductionis et prosequutionis litis, ad normam c. 1908, 1909. ... **ob suam contumaciam:** ergo expensae quae ante vel post ntumaciam factae sint solventur vel ab illo vel ab adversario xta normas can. 1910 sq. — ... **indemnitatem:** utputa si ob am contumaciam altera pars coacta fuit protrahere commo- ionem in sede tribunalis, aut nominare procuratorem, etc.

R. II. ex § 2. **Si tum actor tum reus sint contumaces, expensas litis tenentur in solidum.**

CAPUT II.

De interventu tertii in causa.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio seu necessitas huius capituli.* 597.

R. Quamvis regulariter *aliis non noceat res inter alios dicata* (1), interdum tamen nocet. Et hoc quidem contingere

(1) C. 25, X, *De sent. et re iud.*, II, 27.

potest in duplici casu generali, videlicet, *in causis connexis*, au *in re* vel *negotio pluribus communi*. Exemplum *causae connexa* habetur in iudicio contra indigne ordinatum, quod abs dubi afficit ordinatorem, cui certe nocere potest sententia quae pro feretur : exemplum vero *negotii communis* praebet causa servi tutis, si quis v. g. contra unum ex pluribus dominis alicuiu praedii praetendat ius servitutis in praedium, nam sententia quae pronuntiabitur, non modo ei, verum etiam sociis proderi aut nocebit. Cum igitur mensura actionis sit interesse, iustun est ut si ad iudicium admittatur unus ex pluribus interesse ha bentibus, recognoscatur aliis ius se addendi illi quocunque i stadio iudicii, etiam in gradu appellationis. En ratio legis *d interventu tertii in causa*.

598. Q. II. *Species interventus.*

R. Interventus dicitur et est *voluntarius*, cum ab inter veniente petitur ; *necessarius*, quando a iudice iubetur sive ex officio sive ad instantiam alicuius ex litigantibus. Interventu necessarius *ex primo capite* habetur quoties iudex « non tantum quia melius instruitur causa, sed magis quia uno iudicio finitu negotium, quod secus ulteriori instantia definiri deberet » « in civilibus quoque tertium vocaret in causam, quum eunden sciat, ob communitatem negotii iudicialis, sufficienter edoctum de facti controversi adiunctis ei competentibus in causa » (1) Casus interventus necessarii *ex altero capite* habetur, v. g. « i fideiussore, qui a creditore vocatur in causam iam inceptan contra debitorem principalem, ut sibi caveat de solutione, s iste *sit non solvendo* » ; et in *evictione*, id est « in emptore qu vocat in iudicium venditorem, ut respondeat tertio volenti rem emptam quasi suam vindicare, seu *evincere* » (2).

Expositio textus.

599. **Can. 1852.** — Q. *Tertius interveniens voluntarius* 1) *utrum et in qua instantia admitti possit ;* 2) *quid debeat exhibere ;* 3) *i quo stadio causae, et quo pacto.*

R. I. ex § 1. **Is cuius interest, admitti potest ad in tervenien dum in causa in qualibet litis instantia.**

... cuius interest: sive materialiter, sive moraliter (ut i

(1) Lega, *De Iudic.*, I, n. 559.
(2) Id., n. 558.

casu de ordinatione indigni, supra indicato), tum ad praesens tum pro futuro tempore. — **... in qualibet litis instantia:** interventus autem in gradu appellationis vocatur *oppositio tertii*, de qua agitur in c. 1698, sq.

R. II. ex § 2. **Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter declare interveniendi ipsum edoceat.**

... de iure interveniendi: quod quidem ei competit si instantia sit apta parare ipsi damnum immediatum vel periculum damni futuri, aut praebere eidem legitimum commodum, v. g. finire negotium quod secus ulteriori instantia definiri deberet, ut supra diximus cum Lega.

R. III. ex § 3. **Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.**

... in eo statu etc: et proinde si lis iam fuerit contestata, non iteratur hic actus iudicialis, et ita porro. — **... peremptorio:** id est, non prorogabili: quod quidem praescriptum constituit exceptionem a regula generali statuta in c. 1731, 2°, quae permittit prorogationem.

Can. 1853. — Q. *Interventus tertii, dictus necessarius, an et quomodo sit admittendus.* **600.**

R. **Si tertii interventus appareat necessarius, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio debet interventum in causa iubere.**

... necessarius: vel ad melius instruendam causam, vel ad evitandum futurum iudicium, vel ad consulendum iuri cuiusvis ex litigantibus, qui v. g. in causam vocat fideiussorem sui creditoris. — **... ad instantiam partis:** si istius dumtaxat intersit. — **... ex officio:** si iudiciorum brevitati aut diminutioni, aut alias bono publico prosit. — **... debet ... iubere:** non tantum *potest*, quia publice interest ut lites minuantur.

CAPUT III.

De attentatis lite pendente.

Expositio rubricae.

601. Q. I. *Ratio capitis.*

R. Ne litigans, qui rem litigiosam timet amittere sententi iudiciali, illam in deteriorem statum redigeret, inhibitae fuerun iam veteri iure tum cuilibet parti, tum ipsi iudici quaecunqu *innovationes* in re litigiosa in praeiudicium alterius partis. Illa innovationes vocatae sunt *attentata*, eo quod regulariter eran nullae, et semper saltem rescissioni obnoxiae. Codex hoc salu tare institutum et retinet et perficit, declarans quod **attentat sunt ipso iure nulla.** Cum igitur, si forte a quocunque, etian ab ipso iudice, committantur dum processus instruitur, hic vi tietur et inutiliter continuetur, frequentem praebent occasionen quaestionis incidentis, cuius resolutionis formam expedit ess notam : hinc caput *de attentatis lite pendente.*

Expositio textus.

602. **Can. 1854.** — Q. *Attentati iudicialis notio.*

R. **Attentatum est quidquid, lite pendente, aut altera pars adversus alteram aut ipse iudex adversus alterutran vel utramque partem innovat, parte dissentiente et in eiu praeiudicium; sive innovatio respiciat litis materiam, salv tamen praescripto can. 1672, 1673, sive respiciat termino partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certo actus iudiciales.**

... **lite pendente**: nimirum, **cum citatio legitime peracta fuerit** (c. 1725), *et ad partem citatam pervenit, vel per eam fa ctum fuit quominus ad eius notitiam non perveniret* (Clem., c. 2 *Ut lite pend.*), aut **partes sponte in iudicium venerint** (c. 1725) nam tunc **lis pendere incipit** (ibid., 5°). — ... **innovat** ... **i eius praeiudicium**: quia naturali iure viget illa regula : *no debet alteri per alterum iniqua conditio inferri* (1). — ... **liti materiam**: id est, *a) ius controversum* aut *rem litigiosam* quipp

(1) L. *Non debet* ff. *De Reg. iuris.*

quae sunt materia remota iudicii (Cf. n. 291, et Lega, I, n. 165); *b*) *actiones*, quia « obiectum proximum et formale sunt ipsae actiones seu instantiae iudiciales » (Lega, *ibid.*). Unde attentatum committeret: *a*) pars quae rem liti obnoxiam alienaret, quapropter hoc prohibitum fuit expresse c. 3, X, *Ut lite pend.*, II, 16; *b*) iudex qui partem privaret possessione rei vel facultate colligendi fructus, aut quasi-possessione iuris, v. g. si ab eo *coniugum alteruter*, *accusatus*, *iure quod habet in altero* privaretur (ibid. cap. 2); *c*) pars, sive reus sive actor, quae citatione intimata (etsi lite non contestata, ut videtur esse affirmandum contra Reiff., l. II, T. XVI, n. 31) actionem alienaverint; nam translatio actionis ad aliam personam, v. g. potentiorem, potest reddere magis difficile iudicium, et proinde defensionem, aut recuperationem rei litigiosae in deteriorem condicionem redigere. Iure veteri exstat Tit. XLII, L. I, *De alienatione, iudicii mutandi causa;* in quem ait Lega: « re quidem vera..... sub eadem rubrica actionis iudicialis compescitur alienatio et rei litigiosae ». Ad hanc tantum limitat Reiff. sensum Tituli. — **... salvo praescripto** etc.: quod potius quam exceptiones a regula in hoc canone data, constituit cautiones pro eius observantia. — **... terminos ... a iure**: id est, *fatalia legis*, et *terminos iudiciales* et *conventionales* de quibus in can. 1634. — **... certos actus iudiciales**: utputa ad appellandum (c. 1881), ad prosequendam appellationem (c. 1883), ad producendam aliquam probationem.

Can. 1855. — Q. *Attentata* 1) *qualiter sunt nulla;* 2) *cuinam* **603.** *et quamnam actionem pariunt;* 3) *coram quo iudice sunt cognoscenda?*

R. I. ex § 1. **Attentata sunt ipso iure nulla.**

... ipso iure: unde dirempta manet controversia inter Doctores utrum forent ex se irrita an per iudicem irritanda (1). — **... nulla**: adeo ut non modo actus attentatorius, v. g. alienatio rei litigiosae, non habeat firmitatem, sed neque omne illud quod sequitur ex eo, arg. cap. 2, X, *De testib.*, II ... (Reiff., *ibid.*): quod confirmatur c. 1680, § 2, a sensu contrario.

R. II. ex § 2. **Idcirco parti ex attentato laesae competit actio ad obtinendam declarationem nullitatis.** — Non actio rescissoria, ut planum est.

R. III. ex § 3. **Actio haec instituenda est coram ipso**

(1) Cf. Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XVI, n. 20.

iudice causae principalis; quod si ob attentatum pars laesa iudicem suspectum habeat, exceptionem suspicionis potest opponere, in qua procedendum est ad normam can. 1615.

... coram ipso iudice etc.: etiamsi attentatum commissum fuerit ab eodem. — **... suspectum**: vel quia ipse fuerit attentati auctor, vel quia sit erga auctorem bene affectus, etc.

604. **Can. 1856.** — Q. *Quaestio de attentato*, 1) *quando, id est, an prae causa principali pertractanda sit; et* 2) *qua forma.*

R. I. ex § 1. **Pendente quaestione de attentato, cursus causae principalis regulariter suspenditur, sed si iudici opportunius videatur, quaestio de attentato potest una cum causa principali pertractari et resolvi.**

... regulariter: quia si revera actus fuit attentatorius, et proinde nullus, frustra continuatur processus in causa principali qui devenit invalidus. Quod si ipse iudex posuerit vel iusserit actum qui dicitur *attentatum*, adest insuper alia ratio suspendendi, videlicet, quia arg. can. 1613, non debet prosequi in cognoscenda causa, in qua devenit suspectus. — **... opportunius:** eo quod, v. g. probationes attentati non sint adeo convincentes. — **... videatur:** iudici causae principalis, si non habitus fuerit suspectus.

R. II. ex § 2. **Quaestiones de attentatis expeditissime sunt pertractandae et decreto iudicis definiendae, auditis partibus et promotore iustitiae vel defensore vinculi, si hi iudicio intersint.**

... expeditissime: eo modo quem innuit c. 1852, § 3, videlicet: assignatis terminis probationis brevibus et peremptoriis, imo, qui in isto processu, utpote non iudiciali (ut verba sequentia innuunt) sunt ex se peremptorii. — **... et decreto:** non sententia interlocutoria, et proinde non in forma stricte iudiciali.

605. **Can. 1857.** — Q. *Auctor attentati utrum et quando cogi debeat* 1) *ad revocationem;* 2) *ad indemnitatem.*

R. I. ex § 1. **Demonstrato attentato, iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem.**

Demonstrato: argumentis vere evidentibus, nam secus praesumitur pro valore actus. — **... revocationem:** id est, omnium rerum restitutionem in eum statum quo erant ante attentatum. In hac parte attentatum est species spolii (1); et hoc adeo

(1) Lega, *De Iudic.*, I, n. 561.

verum est « ut antequam innovata revocentur, parte opponente impediatur processus ad ulteriora » (1).

R. II. ex § 2. **Quod si attentatum vi vel dolo patratum sit, qui illud commisit, tenetur etiam de damnis erga partem laesam.**

. . . **vi** : veluti si pars, contra voluntatem alterius, colligeret fructus fundi ab ista possessi. — . . . **dolo** : ut si litigans alienasset rem, nulla conservationis eiusdem cogente necessitate aut suadente utilitate, sed eo consilio ut deveniret in manus potentioris personae, utputa advocato, aut vendidisset vel donasset actionem personae, quae eam pertractatura est coram alio tribunali, v. g. tribunali laico, unde lis alteri parti durior aut difficilior fiat. — . . . **de damnis** : a iudice aestimandis.

TITULUS XII.

De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione.

Expositio rubricae.

Q. I. *Generalis expositio triplicis materiae huius Tituli, et eius connexio cum praecedentibus ac sequentibus.* 606.

R. Illud, quod in re iudiciaria appellatur *processus instructio*, seu *causae probatio* sensu lato, continet duo *stadia ;* unum *stricte probatorium* seu *offensivum*, aliud *discussorium* seu *defensivum*. Primum, seu *offensivum*, *aperitur* post litis contestationem mediante decreto vel actu quo **iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis** (c. 1731, 2°) ; *prosequitur* dum singulae probationes *successive* proponuntur et explentur ; et *clauditur* mediante *conclusione in causa*, id est, decreto quo **iudex declaret se satis instructam causam habere** (c. 1860, § 2). Alterum, seu *defensivum*, *incipit* cum **iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones . . . exhibendas** (c. 1862, § 1) ; *continuatur* mutua *defensionum scriptarum inter partes communicatione*, necnon *orali disceptatione ;* et *terminat* actu quo iudex *diem indicit* pro pronuntianda sententia. Sed sub

(1) Reiff., *I. C. U.*, L. II, T. XVI, n. 36.

finem stadii offensivi, seu post singularum probationum productionem, et ante decretum conclusionis in causa, usuvenit, maxime in criminalibus, omnes simul probationes ceteraque acta iudicialia communicare utrique litiganti , et hoc dicitur *processus publicatio.* Hinc triplex materia, quae indicatur inscriptione Tituli, scilicet, *De processus publicatione* etc. — Porro, quoad *connexionem materiae*, in aperto est quod processus *offensivus* necessario praemitti debuit processui *defensivo*, hic autem debet praemitti *sententiae*, de qua agetur in Titulo sequenti.

607. Q. II. *In quem scopum et quo iure inductae sint* 1) *processus publicatio,* 2) *conclusio in causa* 3) *et defensio scripta.*

R. I. *Processus publicatio* eo tendit ut quaelibet pars, habens simul prae oculis omnes et singulas probationes contra se adductas ab altera, valensque eas conferre cum probationibus a se allatis, possit sufficientem et absolutam sibi defensionem praeparare, petendo ante conclusionem in causa, addere alias, si ipsi opus sit et facultas, firmo tamen canone 1786. Ex hoc iam satis apparet publicationem quatenus est *simultanea probationum communicatio parti adversae*, esse quidem satis utilem, minime vero necessariam iure naturae.

R. II. « *Scopus conclusionis in causa* est auferre quamcumque dubietatem circa tempus utile ad probationes deducendas... necnon fraudibus occasionem amputare, impediendo quominus una pars in infinitum causam protrahat » (1). Habet igitur pro fine praecipuo utilitatem partis diligentioris, quae, proinde in causis non criminalibus aut boni publici potest iuri suo renuntiare. Iure veteri, praecipue postremis temporibus, *conclusio in causa* solebat fieri *tacite*, non *expresse* vel per decretum.

R. III. Equidem facultas impugnandi instrumenta eo tempore quo in iudicio producuntur, reprobandi testes tum ante tum post eorum examen, proponendi quascumque animadversiones in cetera probationum genera, v. g. in inspectionem ocularem, in ipsum accessum ad locum, etc., consulunt non parum defensioni partis adversus quam quaelibet probatio expleta est; sed ad eiusdem defensionem perfectam est necessarium perpendere simul omnes et singulas probationes ab altera parte propositas, conferre eas cum propriis probationibus, pensare

(1) Lega, *De Iudic.*, V. I, n. 530.

singula dicta testium tum favorabilium tum contrariorum, scrutare vim et valorem animadversionibus datum sive ab altera parte sive a iudice. Iam vero huic necessitati consulere est scopus *discussionis causae*, quae primum fit semper *per defensiones scriptas* quae mutuo inter partes communicantur, aliquando fit praeterea *disceptatione orali*, quae pressius dicitur *discussio causae*.

Expositio textus.

Can. 1858. — Q. *Utrum publicatio processus facienda sit, et integre.* 608.

R. Affirmative: **Ante causae discussionem et sententiam omnes probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt, sunt publicandae.**

Ante causae discussionem: id est, antequam partes scripto exhibeant aut oretenus proponant (ad normam c. 1866) suas defensiones. — **... omnes:** etiam quae in decursu iudicii fuerint iam ostensae. — **... secretae permanserunt:** quod contingit praecipue in causis criminalibus aut boni publici, in quibus promotor iustitiae, vel iussu iudicis vel cum approbatione eiusdem, potest exhibitionem alicuius probationis differre ad tempus publicationis processus. Et quidem in processu criminali *mixto* (cf. com. ad c. 1959) saltem nomina testium nunquam panduntur ante *publicationem* processus. Sed et in causis privatis revelatio argumentorum reprobationis testis potest ad hoc tempus reservari iuxta c. 1764, § 5.

Can. 1859. — Q. *In quo consistit, seu quando et quomodo intelligitur facta publicatio processus?* 609.

R. **Concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta publicatio processus.**

Can. 1860. — Q. *Conclusio in causa* 1) *utrum et quo tempore habenda sit;* 2) *in quo consistat seu quandonam facta esse dicatur;* 3) *quomodo constare debeat.* 610.

R. I. ex § 1. **Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent,** *ad conclusionem in causa* **deveniendum est.**

Expletis etc.: etiam inspectione actorum et ceteris in quibus consistit publicatio processus, nam hic actus pertinet ad probationes. — **... deveniendum est:** non tantum deveniri *potest*.

R. II. ex § 2. **Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.**

In tribus ergo consistere potest *conclusio in causa:* aut in declaratione seu renuntiatione facta a partibus, aut in lapsu temporis utilis, aut in declaratione facta a iudice.

R. III. ex § 3. **De peracta conclusione in causa, quocunque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.**

611. **Can. 1861.** — Q. *Post conclusionem in causa,* 1) *an et in quibus causis aut casibus admittantur novae probationes;* 2) *quâ forma admittantur.*

R. I. ex § 1. **Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi agatur de causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt.**

... inhibentur: utrum partibus tantum, an quoque iudici? Primum tenuerunt passim interpretes iuris veteris innixi cap. 10, X, *De fide inst.*, II, 22: *cum iudex (qui usque ad prolationem sententiae debet universa rimari) possit interrogare de facto quoties dubitationis aliquid occurrerit:* unde deductum est effatum: *iudici nunquam concluditur in causa.* Ast cum illud praescriptum, utcumque fuerit, non referat Codex, sed absolute edicat, **inhibentur,** opinamur, iudicem subiici huic inhibitioni in causis boni privati, utpote in quibus conclusio in causa, quocunque ex tribus modis supra dictis fiat, (c. praec.), aequivalet renuntiationi, vel praesumpto pacto, a litigantibus inito, acceptandi sententiam ferendam iuxta allata usque tunc, iudex autem non debet contra illud iustum pactum venire. Aliter res se habet in causis boni publici, quia in his non est locus renuntiationi aut pactioni praedictis. Et adhuc etiam in causis privatis, si per negligentiam iudicis steterit quod ante conclusionem in causa instrumentum aliquod non fuerit exhibitum, aut aliquis testis non fuerit productus, iudex tenetur iniustitiam a se commissam reparare efficiendo, ni fallor, ut omissa probatio proponatur post conclusionem in causa. — **... in rem iudicatam:** ut sunt causae **de statu personarum,** iuxta c. 1903, et aliae de quibus in com. ad dictum canonem. — **... nunc primum repertis:** si hoc rationabiliter ostenditur. — **... non potuerunt:**

et hoc similiter probatur, imo validioribus argumentis, cum periculum doli, v. g. subornationis sit gravius.

R. II. ex § 2. **Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, audita altera parte, cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit; aliter iudicium nullius est momenti.**

Can. 1862. — Q. *Termini pro defensionibus seu allegationibus*, 1) *quales;* 2) *an et quando prorogabiles, et an et quomodo coarctabiles.* 612.

R. I. ex § 1. **Facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas seu allegationes sive per se sive per advocatum exhibendas.**

R. II. ex § 2. **Hic terminus prorogari a iudice potest instante una parte, audita altera; vel etiam coarctari, utraque consentiente.**

Can. 1863. — Q. *Defensio*, 1) *qualiter in scriptis conficienda;* 2) *quibus, praeter iudices, tradenda;* 3) *an typis edenda; et, in casu*, 4) *quibus cautelis.* 613.

R. I. ex § 1. **Defensio in scriptis est conficienda, et regulariter tot exemplaribus conscribenda quot sunt iudices, ut singula singulis iudicibus possint exemplaria distribui.**

R. II. ex § 2. **Sed etiam promotori iustitiae et defensori vinculi, si iudicio intersint, debet exemplar tradi; praeterea partes inter se exemplaria commutare debent.**

R. III. ex § 3. **Tribunalis praeses, quoties pro suo prudenti arbitrio necessarium censeat, et sine nimio partium gravamine fieri animadvertat, mandare potest ut defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus in fasciculo coniungendis, qui actorum et documentorum summarium continet.**

R. IV. ex § 4. **Quo in casu iubeat ne quidquam imprimatur, nisi prius exhibito manuscripto et venia illud publicandi obtenta; praeterea sedulo caveat de secreto, si quod sit in causa servandum.**

Can. 1864. — Q. *A quo et qualiter est moderanda defensionum extensio?* 614.

R. **Iudicis et in tribunali collegiali praesidis est moderari, pro sua prudentia, nimiam defensionum extensionem, nisi de hoc peculiari tribunalis lege sit cautum.**

... **tribunalis lege**: utputa si ea praescriptum sit ut defensio determinatum numerum foliorum certae magnitudinis, et certi numeri linearum non excedat, responsio vero seu secunda defensio numerum duplo minorem non attingat.

615. **Can. 1865.** — Q. *Responsiones defensionibus* 1) *an liceat exhibere, et quandiu et sub quibus regulis;* 2) *an, quando et quo pacto liceat exhibere plus quam semel.*

R. I. ex § 1. **Communicatis vicissim inter partes defensionum scripturis, utrique parti responsiones exhibere liceat, intra breve tempus a iudice praestitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in can. 1863, 1864.**

R. II. ex § 2. **Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudici gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio, uni parti facta, alteri quoque data censeatur.**

616. **Can. 1866.** — Q. *In discussione orali,* 1) *utrum et quare prohibeantur perorationes privatae seu informationes, uti vocant, orales;* 2) *qualis et quando admittatur disputatio publica, seu coram iudice;* 3) *quid a partibus exprimendum in petitione, a iudice autem in concessione disputationis:* 4) *an et ad quid assistet disputationi notarius.*

R. I. ex § 1. *Informationes,* **uti vocant,** *orales,* **quibus videlicet advocati iudicem de adiunctis iuris et facti causam respicientibus instruere satagunt, prohibentur.**

... **orales**: quasi ore ad os factae, seu privatim. — ... **advocati**: singuli separatim. — ... **iudicem**: vel iudices singillatim. — ... **prohibentur**: quia speciem *seductionis* praeseferunt potius quam *perorationis*, et suspicionem *subornationis* possunt ingerere.

R. II. ex § 2. **Admittitur tamen moderata disputatio coram iudice pro tribunali sedente ad aliquid illustrandum, si, alterutra vel utraque parte postulante, iudex eam utilem censeat atque admittat.**

... **ad aliquid illustrandum**: non igitur ad perorandum totam causam, sed aliquam vel aliquas quaestiones principaliores, aut difficiliores.

R. III. ex § 3. **Ad disputationem obtinendam partes exhibere debent in scriptis quaestionum capita cum altera parte discutienda, paucis verbis expressa; iudicis autem est ea cum partibus hinc inde communicare, ac diem et horam disputationi assignare et disputationem ipsam moderari.**

Et quidem tum quoad *extensionem* tum quoad *numerum* responsionum seu replicationum; ita tamen ut iuxta ordinem logicum et aequitatis *primum* loquatur actor vel eius advocatus, *ultimo* advocatus rei. — **... ea ... communicare**: id est, capita exhibita ab actore iudex (non actor per se) communicat reo, et viceversa, ad hoc ut quaelibet pars praeparet responsiones dandas in die et momento disputationis.

R. IV. ex § 4. **Disputationi assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ad tramitem iuris ex continenti referre.**

... si iudex praecipiat etc.: ergo non semper aut necessario ex se. Attamen putamus quod si iudex praecipiat aut consentiat, relatio in actis est necessaria ad validitatem.

Can. 1867. — Q. *Utrum, et in quibus causis et casibus possit iudex sententiam pronuntiare, praetermissa defensione.* 617.

R. **In causis contentiosis, si partes parare sibi tempore utili defensionem negligant, aut se remittant iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare.**

... rem habeat plane perspectam: nam **ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo** et quidem hausta **ex actis et probatis** (c. 1869, § 1). Quod si rem non habeat **plane perspectam** pronuntiet iuxta canonem 1869, § 4.

TITULUS XIII.

De sententia.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis: diversi modi finiendi iudicium et causam.* 618.

R. I. Absoluta instructione processus vel probatione causae, ordinario sequatur necesse est causae definitio per sententiam, quia ad eam instructio seu probatio ordinatur. En ratio Tituli *De sententia.*

R. II. Diximus *ordinario*, quia iudicium, etiam ad finem usque probationum productum, potest terminare, simul cum causa, aliis modis praeter sententiam difinitivam, scilicet; *per*

transactionem (c. 1925, sq.), *per compromissum* in arbitros (c. 1929, sq.), *per iusiurandum decisorium* (c. 1834, sq.); antea vero potest iudicium insuper finiri *per peremptionem instantiae* (c. 1736, sq.), *per renuntiationem instantiae* (c. 1740, sq.), et *per absolutionem ab instantia vel iudicio* (c. 1850, § 3).

619. Q. II. *Sententiae notio* et *divisio.*

R. I. *Sententia* dicta est *a sentiendo*, seu *ab intimo animi motu* (ut loquitur cap. 6, X, *De sent.* I, 9), quo iudex ex parta per probationes morali certitudine, persentit se inclinatum ad unam controversiae partem potius quam in aliam. At cum huiusmodi motus seu animi sensus in iudice manifestari debeat exterius et exsecutioni mandari nomine publicae auctoritatis et in commune iustitiae bonum, non licet iudici illum sibi efformare *quovis modo* ille *potuerit* et, alias recte, *maluerit;* sed tenetur eundem acquirere *per probationes legitimas* et *in forma legitima expletas*, ipsumque *legali forma* manifestare et exsequi. Unde sententia dicitur: *pronuntiatio iudicis legitima super re a litigantibus proposita.*

R. II. Dividitur in *definitivam*, *quae pronuntiatur super causa seu quaestione principali*, et *interlocutoriam*, *quae fertur super quaestionibus incidentibus.* De ista dictum est aliquid in com. ad c. 1837-1857 *De causis incidentibus:* de illa, seu *definitiva*, traduntur hic praecipuae normae a legislatore, quae, prout materia fert, applicantur etiam sententiae interlocutoriae. Utraque autem debet esse vel *absolutoria* vel *condemnatoria*, prout vel reum dimittit, vel eundem adstringit ad dandam rem ab eo petitam. Tandem sententia dicitur *absolutoria ab observatione iudicii* si reum eximit ab agitanda lite in certo iudicio, v. g. coram certo iudice quia est incompetens, vel certo tempore quia terminus pro re reddenda nondum advenit; *absolutoria vero ab impetitione actoris* si reum liberat *ab actione* illius quia ipsum non tangit.

Expositio textus.

620. **Can. 1868.** — Q. *Notio* 1) *sententiae* (*huiusque divisio*); 2) *decretorum.*

R. I. ex § 1. **Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, sententia est: eaque** *interlocutoria* **dicitur, si dirimat incidentem causam;** *definitiva*, **si principalem.**

Legitima: quatenus pronuntianda a *iudice legitimo*, *ex le-*

gitimis probationibus et in *forma legitima.* — ... **iudiciali modo pertractatam:** id est, *in contradictorio* et *ad normas pro iudiciis praescripta;* en *forma* quae *sententias* discernit a *decretis*, etiam a iudice latis. — ... **definit:** id est, dirimit, sive definitive, sive interloçutorie. — ... **incidentem causam:** cuius absolutam notionem tradidit legislator in c. 1837, sq. — ... **principalem:** quae, videlicet, ab actore proposita est *primo* et *directe* in libello litis introductorio, ut innuit can. 1837.

R. II. ex § 2. **Ceterae iudicis pronuntiationes** *decreta* **vocantur.** — Unde, ut in suis locis adnotare solemus, quoties aliquis processus terminatur *decreto* non est iudicialis.

Can. 1869. — Q. *Requisita ad sententiam ex parte persuasionis iudicis* 1) *quoad gradum certitudinis;* 2) *quoad certitudinis fontem;* 3) *quoad aestimationem vis probationum;* 4) *quoad pronuntiationem in defectu certitudinis.*

R. I. ex § 1. **Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.** 621.

... **certitudo:** quae, iuxta omnes, est *firma mentis adhaesio alicui propositioni absque formidine errandi.* — ... **moralis:** quae excludit, nimirum, erroris *probabilitatem* non *possibilitatem*, et ea sola locum habere potest in hac re: non certitudo *physica*, quae excludit falsitatis possibilitatem secundum leges naturales; multo minus certitudo *metaphysica*, omnem erroris possibilitatem excludens, utpote innixa primis principiis cognoscendi aut immediatis conclusionibus ex iisdem. — Et quidem requiritur et sufficit certitudo moralis *lata* vel *imperfecta*, seu *probabilis;* nam, ut docet S. Thomas (1), « in actibus humanis ... sufficit probabilis certitudo quae in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat », et proinde tollat non *omnem* sed dumtaxat *prudentem* dubitationem seu *gravem erroris formidinem.* Non autem requiritur certitudo *moralis stricta*, vel *perfecta* seu *omnimoda* et *demonstrativa*, quae tollat *omnem errandi formidinem;* quia, ut idem S. Doctor dicit « materia moralis talis est quod non est ei conveniens perfecta certitudo... » (2); « materia moralis est varia, non habens omnimodam certitudinem » ... « non potest certitudo prudentiae tanta esse quod omnino sollicitudo tollatur » (3).

(1) II-II, q. LXX, a. 2, et I-II, q. XCVI a. 1, ad 3.
(2) In L. I. *Ethic.* lect. 3; I-II, q. XCI, a. 3, ad 3.
(3) II-II, q. XLVII, a. 9, ad 2.

...circa rem sententia definiendam: id est, *a*) non praecise *circa veritatem facti* quod allatum fuit uti fundamentum iuris subiectivi a litigante vindicati; nam potest contingere quod illud factum quod tanquam *certe verum* appareat *in publico*, id est, ex allatis et probatis in iudicio, appareat in *animo iudicis*, ut *certe falsum* ex argumentis indubitabilibus suae conscientiae vel practicae privatae scientiae notis et in iudicium nullatenus deductis; *b*) neque, per consequens, *circa ius quod litigans petit* tanquam sibi ortum ex facto; sed *c*) *circa iustitiam suae publicae* vel *iudicialis sententiae*, id est, circa suae definitionis conformitatem cum lege divina iustitiae, et cum lege ecclesiastica iusta, vel, potius, non evidenter iniusta. Quod amplius patebit ex § sequenti.

622. *R.* II. ex § 2. **Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.**

...ex actis: id est assertionibus et negationibus, petitionibus et denegationibus deductis in iudicium (sive contentiosum, sive criminale, canon non distinguit) seu coram iudice pro tribunali sedente, et relatis in actis; sive deductio facta fuerit a partibus, quemadmodum, et non aliter, fieri debet in causis privatis, sive a promotore iustitiae vel ab ipso iudice ut fieri potest aut debet in causis boni publici. — **...et probatis**: id est, iudici ostensis per instrumenta, per depositiones testium ceteraque argumenta ipsi exhibita *non tanquam personae privatae* sed *tanquam iudici* seu *personae publicae*, et ideo in iudicio producta et in actis relata. Ex illis autem quae non fuerunt *acta et probata* et *in actis relata* iudex nequit suam certitudinem haurire, id est, nullo modo potest iisdem uti ad formandam *suam conscientiam* vel procurandum *animi sui motum* vi cuius sententiam pronuntiabit, iuxta illud effatum, omnino verum tum in contentiosis tum in criminalibus, sive quoad absolvendum sive quoad condemnandum: *quod non est in actis non est in mundo*.

Rationem convincentem huius praescripti affert D. Thomas (1); quam ad litteram transcribimus, quia plura continet, iudici etiam practice utilia: « iudicare, inquit, pertinet ad iudicem secundum quod fungitur publica potestate; et ideo informari debet in iudicando non secundum id quod ipse novit tanquam privata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tanquam personae publicae. Hoc autem innotescit ei et in communi et

(1) II-II, q. LXVII, a. 2.

in particulari: in communi quidem per leges publicas, vel divinas vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: in particulari autem negotio aliquo per instrumenta et testes, et alia huiusmodi legitima documenta, quae debet sequi in iudicando magis quam id quod ipse novit tanquam privata persona. Ex quo tamen ad hoc adiuvari potest ut districtius discutiat probationes inductas, ut possit earum defectum investigare. Quod si eas non possit de iure repellere, debet, sicut dictum est hic supra, eas in iudicando sequi. »

Adde quod praescriptum aut praxis contraria turbarent ordinem publicum seu publicam tranquillitatem. Quis enim habebit fiduciam in iudice, si sciat eum posse impune iudicare iuxta id quod ipse asserat novisse tanquam privata persona, et nullo modo fuerit deductum in iudicium? Amissa autem spe vindicandi iura ope publicae auctoritatis, manet unus recursus necessarius sumendi vindictam propria auctoritate; unde quotidiani personales conflictus orirentur, et pax, quae est tranquillitas ordinis et radix temporalis beatitudinis, omnino periret. Quod amplius quoque patebit ex § sequenti.

R. III. ex § 3. **Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis.** 623.

Probationes... aestimare: id est, earum vim probatoriam determinare, seu practice decidere utrum earundem quaelibet *fidem plenam* iudici faciat, num *semiplenam* tantum, an forte *nullam fidem.* — **... ex sua conscientia:** videlicet, ex lumine suae rationis, quo inductus, in medio seu facto probatorio in iudicium deducto recognoscat, omnibus consideratis, vim ingerendi animo fidem plenam, aut semiplenam aut nullam. — **... expresse statuat:** ut revera statuit de plena efficacia *a*) instrumentorum publicorum non impugnatorum quae, ex c. 1816, fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur; *b*) duorum testium iuratorum et omni exceptione maiorum, in causis non maximae gravitatis, et casu quo nullum indicium exstet in actis quod dubium ingerat, ut dicitur in c. 1791, § 2; *c*) unius testis qualificati deponentis de rebus *ex officio* gestis (c. 1791, § 1); iurisiurandi decisorii tum delati (c. 1834, § 1) tum relati (c. 1836, § 4); *d*) praesumptionis iuris et de iure non impugnatae efficaciter (c. 1826).

R. IV. ex § 4. **Iudex qui eam certitudinem efformare sibi non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et reum dimittat, nisi agatur de causa favorabili, quo in** 624.

casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto can. 1697, § 2.

... **certitudinem**: non *de veritate facti*, sed *de iustitia suae iudicialis sententiae*, ut supra dictum est in § 2. — ... **non potuit**: ob defectum probationum habentium efficaciam persuadendi, aut *a*) realem internam seu subiectivam, aut *b*) legalem et obiectivam; non autem ob defectum tantum probationum prioris generis, nam, exstante aliqua probatione plena, id est efficaci alterius generis seu ex *lege*, de veritate facti, debet iuxta illam probationem pronuntiare, ut supra (c. 1869, § 2) dictum est cum D. Thoma. — ... **reum dimittat**: id est, absolvat, et quidem non *ab observatione iudicii* (cfr. **n. 619**) seu *ad tempus*, sed *ab impetitione actoris*, seu *definitive* vel *perpetuo*. — ... **de causa favorabili**: quales sunt causae matrimoniales super vinculo (c. 1014), causae minorum. — ... **et salvo praescripto** etc.: id est, nisi agatur de causa possessionis et haec post allatas probationes maneat dubia.

625. **Can. 1870.** — Q. *Utrum, vix disceptata causa, debeat ferri sententia.*

R. **Sententia ferri a iudice debet, expleta causae disceptatione; et si causa sit implicatior et contentionum vel documentorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum.**

626. **Can. 1871.** — Q. *Pro deliberatione in tribunali collegiali, 1) quis, et quomodo tempus et locum conventus constituat; 2) qualiter a iudicibus sint conclusiones afferendae; 2) quo ordine eaedem proferri et qua ratione discuti debeant; 4) utrum fas sit unicuique a pristina sua conclusione recedere; 5) quid si in prima discussione non deveniant ad sententiam.*

R. I. ex § 1. **In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses constituat; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.**

R. II. ex § 2. **Assignata conventui die, singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.**

... **scriptas afferent conclusiones ... venerint**: quo saluberrimo praescripto obtinetur ut singuli iudices causam ad tru-

tinam revocare cogantur ante diem conventus. — ... **actis causae adiungantur** etc.; hoc praescriptum addit efficaciam praescripto praecedenti, nam cogit singulos iudices ut suas conclusiones conficiant quam diligentissime, scientes eas esse servandas in actis. — ... **secreto**: ita ut nunquam communicentur partibus aut earum advocatis; bene vero, ni fallor, iudici superiori, eas, in casu appellationis, exquirenti.

R. III. ex § 3. **Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.**

... **praesertim ... in parte dispositiva**: nam quoad *partem narrativam*, seu *speciem facti* multum relinquitur iudicio Relatoris. Cf. c. 1873, § 2.

R. IV. ex § 4. **In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere.**

R. V. ex § 5. **Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam comperendinari non debet.**

... **aut nolint**: igitur integrum est iudicibus discussioni destinare vel unum vel duos conventus dummodo non ultra hebdomadam.

Can. 1872. — Q. *Cuiusnam est sententiam exarare in tribunali unipersonali, cuius vero in tribunali collegiali?* 627.

R. **Si unicus sit iudex, ipsius tantum est sententiam exarare; in tribunali vero collegiali servetur praescriptum can. 1584.**

Can. 1873. — *De materia seu effectu intrinseco sententiae.* 628.

Q. I. *Quidnam debeat sententia efficere, a) quoad controversiam; b) quoad partem damnatam; c) quoad fundamenta decisionis; d) quoad expensas.*

R. I. ex § 1. **Sententia debet:**

1° **Definire controversiam coram tribunali agitatam; hoc est reum absolvere vel condemnare quod attinet ad petitiones vel accusationes adversus eum prolatas, data singulis dubiis, seu controversiae articulis, congrua responsione;**

. . . **coram tribunali agitatam:** non vero aliam, licet cum ea connexam, si non fuit legitime agitata.

R. II. ex eodem §, n. 2°. **Determinare (saltem quatenus fas sit et materia patiatur), quid pars damnata dare, facere, praestare, aut pati debeat, aut a quo abstinere; itemque quo modo, loco vel tempore obligatio implenda sit.**

. . . **dare:** utputa rem venditam, aut pretium eius. — . . . **facere** etc.: v. g. demolire opus novum nunciatum aut reficere opus aliquod destructum. — . . . **praestare:** ex. gr. indemnem facere damnificatum, veniam petere ab iniuriato. — . . . **pati debeat:** id est, quam vel quas poenas luet. — . . **a quo abstinere:** v. g. a transitu per fundum alterius titulo servitutis, a suffragio emittendo in collegio alieno.

R. III. ex eod. §, n. 3°. **Continere rationes seu** *motiva* **quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur.**

. . . **rationes:** scribendo sub diversis numeris, aut congruentibus divisionibus singulas rationes primum **facti,** dein **iuris,** aut viceversa. — . . . **dispositiva sententiae pars:** ea nimirum in qua determinatur quid pars damnata dare, facere, etc., debeat: et quam praecedit *pars narrativa* in qua breviter refertur *species facti.* Exempla desumi possunt ex sententiis a S. R. Rota latis et in Com. off. S. Sedis promulgatis.

R. IV. ex eod. §, n. 4°. **Statuere de litis expensis.** — Et quidem ad normam c. 1910-1913.

629. Q. II. *Undenam motiva desumet extensor in tribunali collegiali?*

R. ex eod. c., § 2. **In tribunali collegiali motiva ab extensore desumantur ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi ab ipsa iudicum maiore parte praefinitum fuerit quaenam sint motiva proferenda.**

Can. 1874. — Q. *Quoad formulam et ordinem, sententia,* 1) *qualiter debeat initiari;* 2) *quid exprimere quoad personas;* 3) *quid referre quoad factum;* 4) *quid post haec continere;* 5) *qualiter claudi.*

R. I. ex § 1. **Sententia ferri debet, divino Nomine ab initio semper invocato.**

. . . **invocato:** Cfr. *Formularium* in Appendice.

R. II. ex § 2. **Dein exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, reus, procurator, nominibus**

et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.

... **ex ordine** etc.: Cfr. *Formularium* in Appendice.

R. III. ex § 3. **Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.**

... **conclusionibus**: id est, petitionibus ab eis *definitive* propositis post probationes et defensiones utrinque expletas, regulariter diversis ab illis initio litis exhibitis.

R. IV. ex § 4. **Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.**

... **pars dispositiva**, etc.: quoad hoc praecipue, sed adhuc quoad cetera praescripta huius canonis, iuvabit exemplum desumere ex sententiis S. R. R. quae in Actis Ap. Sedis promulgantur.

R. V. ex § 5. **Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus exarata est et cum subscriptione iudicis vel omnium iudicum, si plures fuerint, et notarii.**

Can. 1875. — Q. *An sententiae interlocutoriae applicentur regulae sententiae definitivae.* 630.

R. **Regulae superius positae locum habent potissimum in proferenda sententia definitiva; sed applicantur etiam, quantum diversa res patitur, in proferenda interlocutoria.**

... **superius**: canone praecedenti. Unde sequitur sententiam interlocutoriam debere exprimere rationes seu motiva quibus pars dispositiva innititur. — ... **quantum diversa res patitur**: et ideo, ni fallor, *a*) non est in ea locus praescripto § 1 et vix praescripto § 2; *b*) convenienter observabitur praescriptum § 3, sed restringendo narrationem ad factum quod occasionem praebet causae; *c*) necessario servandum est praescriptum § 5 circa datam et subscriptiones.

Can. 1876. — Q. *Tempus pro sententiae publicatione.* 631.

R. **Sententia, hac ratione redacta, quamprimum publicetur.**

... **quamprimum**: id est, ubi primum sit possibile: de quo tamen prudens iudex, aut tribunalis praeses, aestimabit.

Can. 1877. — Q. *Triplex modus publicandi sententiam.* 632.

R. **Publicatio sententiae fieri potest tribus modis, vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente; vel partibus de-**

nuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios ad normam can. 1719.

TITULUS XIV.

De iuris remediis contra sententiam.

Expositio rubricae.

633. Q. I. *Notio remediorum iuris, et ratio ordinis.*

R. Sententia, a iudice pronuntiata, statim *ius facit inter partes*, sed non semper *firmum*, ita ut victo eripiatur omnis spes remedii sub umbra legis obtinendi. Etenim ex quo controversiae inter homines publico iudicio pertractantur et iudiciali sententia definiuntur viguerunt usque *iuris remedia*, id est, media a iure concessa contra gravamina processus et sententiae, sive ex iudicis imperitia, aut malitia, sive ex ignorantia aut negligentia litigantium provenientia. Quare post Titulum *De sententia* necessario recensentur praedicta remedia.

Cum autem iure novo, ex illis remediis, *a*) *appellatio* facta ab alterutro vel ab utroque litigantium debeat proponi ante *rem iudicatam* aut ante exsecutionem sententiae; *b*) *querela nullitatis* proponatur regulariter ante *rem iudicatam; c*) *oppositio tertii* proponi debeat semper ante exsecutionem sententiae; sed *d*) unum ex illis, videlicet, *restitutio in integrum* petatur regulariter post sententiae transitum in *rem iudicatam*, convenienter legislator agit de tribus prioribus in hoc Titulo, sed de *restitutione in integrum* tractat in eodem Titulo ac de *re iudicata*. Iure veteri sermo erat simul *De sententia et re iudicata*, postea *De appellationibus seu iuris remediis*.

634. Q. II. *Quo iure inducta sint iuris remedia.*

R. Cum ex una parte negotia quae iudiciali processui submittuntur sint ex se gravia, quia versantur circa iura; ex alia vero, si iudex certus esset de omnimoda impunitate in casu pronuntiationis iniustae ob eius imperitiam aut malitiam, careret stimulo necessario, data hominis imbecillitate, ad tuenda iura suae definitioni commissa, iuris remedia contra sententiam,

utpote defensiones necessariae, sunt absdubio iure naturae inducta in genere, hoc nempe sensu quod iudicialis sententia valeat impugnari aliquo modo, vel iudiciali vel extraiudiciali; sed iure humano inducta sunt *in specie*, id est, quoad determinationem indolis sive iudicialis sive extraiudicialis.

Q. III. *Remediorum iuris divisio*, 1) *in genere;* 2) *ex iure* 635.
canonico tum veteri tum novo.

R. I. *Iuris remedia* in genere, ratione *tribunalis* coram quo proponuntur, sunt duplicis speciei: alia dicuntur *devolutiva* quae cognitionem causae ad iudicem superiorem deferunt, uti *appellatio;* alia *non devolutiva*, quae experiri possunt aut debent apud ipsum tribunal quod sententiam tulit, ut *querela nullitatis*. Ratione *effectus* alia sunt *suspensiva*, quibus, statim ac admittuntur examini, exsecutio sententiae suspenditur: alia *non suspensiva*, quae hunc effectum non inducunt. Ratione *usus*, quaedam sunt *ordinaria*, alia *extraordinaria*.

R. II. Iure canonico veteri remedia *ordinaria* continebantur *a*) in *appellatione* proprie tali seu iudiciali, *b*) in *recursu* seu *appellatione extraiudiciali*, *c*) in *oppositione tertii;* remedia *extraordinaria* recensebantur, *a*) *querela nullitatis*, *b*) *restitutio in integrum*, *c*) *recursus ad Principem*, id est S. Pontificem, *d*) *beneficium novae audientiae* apud eundem.

Iure Codicis conceduntur, praeter *correctionem materialem sententiae*, duo remedia *ordinaria*, videlicet *a*) *appellatio* ab alterutro aut utroque litigantium interposita, et *b*) *querela nullitatis;* necnon duo vel, si mavis, tria *extraordinaria*, nimirum, *a*) *oppositio tertii*, continens disiunctive remedium vel *revisionis* vel *appellationis;* et *b*) *restitutio in integrum*.

Q. IV. *Dispositio praesentis materiae.* 636.

R. De *correctione materiali* agit c. 1878, veluti praeliminaris huius Tituli. *De appellatione* litigantium, *de querela nullitatis* et *de oppositione tertii* inscribuntur tria capita ex quibus idem Titulus constat. *De restitutione in integrum* agit legislator in Titulo sequenti simul ac *de re iudicata*, utpote contra quam regulariter petitur restitutio.

Expositio textus.

Can. 1878. — Q. *Correctio materialis sententiae*, 1) *a quo* 637.
facienda; 2) *cuius motu, et qua forma si altera pars non refragetur;* 3) *quomodo si altera pars refragetur.*

R. I. ex § 1. **Si agatur de errore materiali qui inciderit vel in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis, errorem corrigere valet ipse iudex.**

... parte dispositiva ... calculis: quos errores materiales factu possibiles legislator describit incipiendo ab errore qui ex se est maioris momenti, scilicet, qui inciderit in parte dispositiva. — **... valet:** et, proinde, in causis boni publici, si error sit alicuius momenti, tenetur, nam in his causis tenetur facere quidquid potest et expedit ut faciat. — **... ipse iudex:** qui sententiam tulit, nempe definitivam seu principalem.

R. II. ex § 2. **Iudex ad hanc correctionem deveniat edito decreto ad instantiam partis, nisi pars altera refragetur.**

... edito decreto: quod *a*) contineat et admittat instantiam indicantem errores corrigendos, aut correctionem iniungat si fiat ex officio; *b*) alteri parti ante correctionem communicetur; *c*) actis non inseratur. — **... ad instantiam partis:** in causis privatis, in ceteris vero etiam *ex officio*. — **... nisi pars altera refragetur:** absdubio quia vult sollemniorem formam servari ut fraudibus caveatur; quae forma praescribitur in § sequenti.

R. III. ex § 3. **Si altera pars refragetur, quaestio incidens ad normam can. 1840, § 3 decreto definiatur; et decretum ad calcem sententiae correctae referatur.**

... ad normam can. 1840, § 3: et ideo **non servata iudicii forma** (ibid.). — **... decreto:** novo, quo iudex correctionis **rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat** (ibid.).

CAPUT I.

De appellatione.

Expositio rubricae.

638. Q. I. *Appellationis notio et divisio.*

R. I. *Appellare*, vi nominis, significat *nominare* (Plaut., *ap. R. Miguel*), *invocare* (Cic., *ibid.*). Nec res discordat a nomine in materia iudiciali; nam, *in genere*, usque dictus fuit *appellare* quicunque, in iure suo laesus a Superiore inferiore, Superiorem altiorem, regulariter iudicem, *nominaverit*, *invoca-*

verit ad tuitionem vel reparationem iuris obtinendam, in summa, contra gravamen aliquo modo illatum.

R. II. Ratione *materiae proximae*, necnon *formae externae*, usque ad promulgationem Codicis alia fuit appellatio *iudicialis*, alia *extraiudicialis;* illa emittebatur adversus actum iudicialem, haec adversus quoscunque actus extraiudiciales, ut electiones, provisiones, etc., sive gravamen fuisset illatum, sive inferendum, dummodo aliqualiter iam fuisset illatum in causa. Unde indoles et notio appellationis iudicialis in eo posita videtur ut sit *querela de iudicio facto.* Ratione *causae* seu fundamenti utraque poterat esse vel *rationabilis* vel *frivola.* — Post promulgationem Codicis appellatio est tantum *iudicialis* (cf. c. 1879): quae ex ipso c. definiri potest: *Provocatio a iudice inferiore ad iudicem superiorem, sententiae corrigendae aut infirmandae causa.* — Ratione *auctoris et obiecti* simul, alia est *principalis*, quae interponitur ab appellante principali, id est, ab eo qui primo officium iudicis superioris imploravit, contra unum vel plura capita sententiae definitivae; alia est *incidentalis*, quae ab appellato (non ab aliis) interponitur contra appellantem principalem (*non contra alios*) ad reparandam sententiam, vel capita sententiae ab eo impugnata (1).

Q. II. *Quo iure competat appellatio iudicialis.* 639.

R. Si per appellationem intelligitur, ut non semel fit, quodcunque remedium iuris, sive iudiciale sive extraiudiciale, ad corrigendum errorem vel iniquitatem sententiae iudicis inferioris, verum est quod a pluribus Doctoribus dicitur, nimirum, quod appellatio est *quoad substantiam*, iuris naturalis, *quoad formam* vero, iuris positivi. Sed appellatio *propria*, seu *iudicialis*, supra definita, certe non derivat a iure naturali. Cuius rei statim signa sunt, *a*) quod Summi Pontifices sibi reservant causas maiores (c. 1557, § 1), quamvis exinde in his iudiciis, etsi gravissimis, impediatur appellatio; *b*) iidem saepe appellationes commiserunt cum clausula, *omni appellatione remota;* quae clausula etiam a Codice admittitur c. 1880, 2°; *c*) nullo humano iure concessa est unquam appellatio contra *quascunque* sententias, etiam primi gradus.

Et revera « naturale ius praecipit, civibus praesto esse suorum iurium iudicialem defensionem, eandemque ita ordinandam esse, ut iudicis imperitia aut malitia legitimam non impediat

(1) Cfr. Mattirolo, *Instit. di Diritto Giudiz. Ital.*, n. 394.

iuris controversi tuitionem et defensionem. At idem ius non expostulat officium cognitionum iudicialium distribuendum esse iudicibus gradu hierarchico diversis, quorum superior inferioris sententiam iterum examinet, ut hanc confirmet, rescindat aut corrigat. Quare certe non peccaret contra ius naturale illa constitutio, quae in iudicibus seligendis tot adhiberet cautelas, et in iudiciis collegialiter exercendis ita provide consuleret iuribus litigantium, ut unam tantum permitteret de quacunque controversia sententiam. Plures rei iudiciariae hodierni tractatores opinantur hanc optimam fore iudiciorum ordinationem, quippe quae celeritati et quaestionum diligentiori examini prospiceret. Nihilo secius, omnibus perpensis, appellatio ad iudicis superioris secundum vel tertium examen, non obstantibus eius defectibus, usque erit melius remedium » (1).

Q. III. *Notae historicae circa institutum canonicum appellationis, sive* 1) *quoad ius appellandi, sive* 2) *quoad formam appellationis, sive* 3) *quoad usum.*

640. *R.* I. 1) Apud Romanos, ait doctissimus Lega, citans Padeletti, « ante constitutos Imperatores, appellationis institutum, quatenus est provocatio ad iudicem superiorem, ignotum fuit; sed exsecutio sententiae iniustae aut iniquae impediebatur per ordinaria media comparata ad propulsandum errorem, metum, dolum; aut per medium extraordinarium restitutionis in integrum » (2).

2) In Ecclesia, appellatio iudicialis, tot tantisque rationibus aequitatis naturalis visa fuit innixa ut vel ab ipsis primis saeculis fuerit frequentata (3). Itaque, *a*) Eius praxis vestigia iam reperiuntur in epistola S. Clem. ad Corinthios. — *b*) Saeculo III, a. 262, Episcopi, condemnati in Hispania, videlicet « Basilides Asturicensis et Martialis Emericensis Episcopus, ad S. Sedem appellarunt: S. Cyprianus epist. 68... nullam adversus hanc appellationem querelam proponit; tantum dicit eam obrectitiam: et ita ius appellandi agnoscit » (4). — *c*) Saeculo IV occurrunt Concilium Nicaen. I (a. 325), et Sardicense (a. 343); quorum primum moderatur appellationes tum clericorum tum laicorum a sententia Episcopi ad Synodum provincialem; alterum vero celeberrimos canones edidit de appellationibus ad

(1) Lega, *De Iudic.*, Vol. I, n. 619.
(2) Idem, n. 619, in nota.
(3) Wernz., *Ius Decretal.*, V, n. 691.
(4) Cfr. Devoti, *Instit. can.*, Lib. III, T. XV, n. 28, nota.

S. Sedem. — *d*) Initio seculi v Patres Ecclesiae Africanae, repugnantes, in causa Apiarii, appellationes presbyterorum ad transmarina, id est, ad S. Sedem, allegabant consuetudinem finiendi lites in regione per appellationes ad Primates et Concilia (1). — *e*) Ius et praxim appellationum plene viguisse toto medio aevo liquido constat ex multiplicatis praescriptis quae in Decretalibus prostant. — *f*) Aevo moderno Concilium Tridentinum praxim appellandi fovit, ius perfecit, usum quoad interlocutiones limitavit. — *g*) Post Concilium Tridentinum leges de appellationibus perfecerunt Iulius III, Pius V, Clemens VIII, qui, ex consulto S. C. EE. et RR., edixit ut *ab exsecutione decretorum S. Conc. Trid. aut Visitationis Ap.cae appellationes a Metropolitanis non recipiantur;* Benedict. XIV, *praecipue in sua* Constit. *Ad militantis*, in qua accurate recensentur causae in quibus non dabatur effectus in suspensivo, necnon in alia, *Dei miseratione*, super causis matrimonialibus.

R. II. Ad *formam externam* appellationis quod attinet: 641.
1) *Ante Ius Decretalium* non semper una fuit sed triplex, seu sub triplici nomine *confugii*, *provocationis*, et *appellationis*. Recursus ad alios iudices vocabatur *confugium*, si eodem petebatur sententiae annullatio et omnium in pristinum statum restitutio; dicebatur *provocatio*, si postulabatur revisio causae, nimirum, iterata eiusdem cognitio adsistentibus, cum prioribus iudicibus, aliis ex vicinioribus; erat proprie *appellatio* si impetrabatur sententiae iniquae emendatio per iudicem hierarchice superiorem.

Quam triplicem formam perbelle et fusius describit Ill.mus Nozaleda Archiep. Petrensis olim in Pontificia Universitate Manilana antecessor iuris can., his verbis (2):

« 1. Quum sententia non a legitima, et competenti potestate, non servato substantiali iuris ordine, non ad normam recepti Ecclesiastici Canonis lata sit: sed vel ab exauctoratis Episcopis, vel Reo non citato, non audito, vel per vim, per fraudem, auro subornatis, corruptis, male instructis ad criminandum testibus, ad damnandum iudicibus, vel demum quum ad normam illegitimi Concilii sententia pronuntiata fuerit, tunc ad Primatem, ad Patriarcham, vel extremo ad Summum Pontificem, querela deferebatur, qua id propositum, postulatumque, non ut causa de

(1) Idem, *ibid.*

(2) Cfr. Devoti, *Instit. can.*, edit. Manilana, cum adnotat. clar. Professorum, Rev. PP. Corominas, Nozaleda et Gomez, Ord. Praed.

integro agitaretur, aut iudicium discuteretur, sed ut inspecta iudicii forma, nimirum incompetenti iudicum potestate, inverso iudicii ordine, vi, fraude, malis artibus intermixtis, etc. iudicium irritum declararetur, poena remitteretur, communio restitueretur, gradus honoris et potestatis agnosceretur. Haec usitata, ac frequens apud veteres Appellationis species est, quam etiam proprie *Confugium* vocitabant.

« 2. Quum ab Episcopo sententia non tanquam incompetente, non tanquam violenta, non tanquam inverso iuris ordine, vel ad normam illegitimi Canonis lata, sed tanquam iniusta, inspecto causae merito querela defendebatur: tunc a minori ad maiorem auctoritatem causa ipsa devolvebatur, ab Episcopo ad Synodum, a Synodo breviori ad pleniorem, prout causae conditio postulabat. Profecto ab Ecclesiae incunabulis, ubi non plene exercita, et explicata Hierarchiae munia, officia, et gradus omnes ubi omnia in Synodo negotia, iudicia, causae peragebantur, extra Synodum nihil, tunc sane si quis in aliqua causa iudicatus, se laesum putaret, ab Episcopi sententia ad Synodum, vel a Synodo breviori ad pleniorem ipsi adpellare licebat, et iudicium quidem renovabatur, ab eoque tamen priores iudices non exclusi, sed cum aliis vicinioribus Provinciae Episcopis et primi adsidebant, ut in communi potius revisio causae fieret, quam iudicii retractatio. Frequens et haec Adpellationis species apud veteres: quam usitatiori vocabulo *Provocationem* nuncupabant.

« 3. Demum ubi constituta, explicataque omnis Hierarchiae amplitudo est, et munia, gradusque distincti, tunc adpellationum forma ad normam Civilium Legum, et Tribunalium constituta est qua nempe et agnoscitur legitima iudicis inferioris potestas, et Superioris auctoritas imploratur, nec de incompetentia, aut de violenta, vel intolerabili sententiae tantum errore defertur querela; quae quidem et extra Synodum constitutis Iudicibus, erectisque in Episcopis Curiis, veluti Ordinariis Tribunalibus, recepta, discussa, definita esse solebat. Haec *Appellationis* species strictiori notione, etiam usu Decretalium, a nostris hodiedum *Adpellatio* dicitur ».

2) Quoad *Ius Decretalium et posterius* usque ad promulgationem Codicis, haec teneantur:

A) *Appellatio iudicialis: a*) Fieri debebat ab inferiore, Superiore vel iudice, ad iudicem superiorem.

b) Iudex superior, ordinarie, intelligebatur superior *immediatus:* id est, appellatio non poterat fieri *per saltum* aut *omisso medio;* et quidem ante Innoc. IV (in Conc. Lugd. 1242)

saltem invita parte (1); deinceps usque ad Conc. Trid. nec parte consentiente, salva tamen legitima consuetudine contraria (2); post Concilium Trid. nulla attendenda erat consuetudo, et lex extensa fuit ad legatos S. Sedis (3). Planum est quod ob Primatum S. Pontificis, nunquam fuit prohibita appellatio ad ipsum, *omisso medio:* quod si appellatio a subdelegato delegati S. Pontificis non ad istum sed ad delegatum praescriptum est deferri (cap. 27, X, *De off. Del.* et 7 eiusdem tit. in VI°), hoc est quia delegatus Pontificis eum repraesentat. Imo appellare licuit *per saltum* ad iudicem Papa inferiorem qui physice aut moraliter inhabilis devenisset (4).

c) Ab Archidiaconis, vel aliis id genus iudicibus, Episcopo seu iudice proprie dioecesano inferioribus, sicubi fuerunt, appellabatur ad Episcopum vel, sede vacante, ad Capitulum seu eius Vicarium. A Vicario autem Generali Episcopi, utpote cum hoc tribunal constituente, nunquam data fuit appellatio ad Episcopum (5).

d) A tribunali Episcopi, id est, ab Episcopo aut eius officiali vel a Capitulo aut eius Vicario, dirigebatur appellatio ad tribunal Metropolitani, id est, ad istum vel ad eius officialem, aut ad Capitulum vel Vicarium Capitularem; excepto casu quo Episcopus esset S. Sedi immediate subiectus, vel ratione privilegii vel ratione materiae, veluti si ageretur de causis a iure communi vel a S. Pontifice ei demandatis tanquam delegato Sedis Apostolicae, ut edixit Clem. VIII a. 1600.

e) A sententia Tribunalis Metropolitani, ut talis, seu prônuntiantis in secunda instantia vel in gradu appellationis, appellabatur immediate ad S. Sedem vel ad Sacras Congregationes Romanas; exoleverat enim auctoritas Primatum (uno Hungariae excepto) ad quos antea appellabatur in tertia instantia a iudicio Metropolitanorum, in secunda vero a iudicio Episcoporum; quemadmodum cessaverat etiam potestas Exarcharum, qui olim appellationes recipiebant contra sententias Patriarcharum.

f) A sententia Metropolitani uti Episcopi pronuntiantis in prima instantia appellabatur ad S. Sedem, nisi in aliquibus locis dispensatione Apostolica concessum fuisset ut ad tribunal vicinius, sive Metropolitanum sive Dioecesanum, etiam suffra-

(1) Cap. 66, X, *De appellat.*, II, 28.
(2) Cap. 3, § 1 *De appellat.* in VI°.
(3) Sess. 22, cap. 7 *De ref.*, et sess. 24, cap. 20 *De ref.*
(4) Cap. 3, *De appellat.* in VI°, et 10, *De offic. Del.* in VI°.
(5) Cap. 2, *De consuet.* in VI°, et 3, § 1 *De appellat.* in VI°.

ganeum, ut factum fuerat quoad Metropolitanos Americae Septentrionalis et Insularum Philippinarum.

g) A Delegato appellabatur ad delegantem: non ad superiorem delegantis, ut nonnulli putarunt, confundentes iurisdictionem *delegatam* (seu *datam* in sensu iuris romani) cum iurisdictione *mandata*, qualis est potestas Vicarii Generalis Episcopi.

B) *In appellatione extraiudiciali* ille erat competens qui esset immediate superior illius personae ecclesiasticae quae actum posuerat appellatione impetitum, unde contra collationem beneficii, factam communiter a Capitulo et ab Episcopo qua canonico, appellabatur ad Episcopum tanquam Praelatum: sed si Episcopus intervenerat collationi tanquam Praelatus, appellabatur ad Superiorem Episcopi.

C) *A sententia vel decreto vel actu Summi Pontificis* nulla cuilibet competit aut concessa fuit appellatio, sive iudicialis sive extraiudicialis, neque ad Concilium Generale legitime congregatum. Imo potius, contra appellantes a Papa ad futurum Universale Concilium excommunicationem l. s. ipso facto fulminavit Pius IX in Const. *Ap. Sedis*. Cetera de hac re confer in Const. *Pastor Aeternus* cap. III Concilii Vaticani, et apud theologos.

642. *R.* III. Quoad *usum* appellationum haec utiliter recoluntur et cum iure Codicis conferuntur:

1) Dabatur appellatio et quidem cum duplici effectu eius proprio, scilicet, *suspensivo* simul et *devolutivo*, non modo a quibuscunque sententiis iudicum non exceptis, verum etiam a quibuslibet decretis Superiorum, pariter non exceptis: unde recte appellatio dividebatur in *iudicialem* et *extraiudicialem*. Iure codicis *una* datur appellatio, videlicet, *iudicialis;* nam canones de hac re directe loquentes solummodo concedunt appellationem a sententia (cf. c. 1879, sq.). Quod confirmat: *a*) can. 274, 7°, qui inter iura Metropolitani recenset **appellationem recipere a sententiis,** non a decretis; *b*) canon 1601, dicens quod **contra Ordinariorum decreta non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam.**

2) Appellatio *iudicialis* seu a sententiis denegabatur in novem speciebus sententiarum in quibus casibus eam denegat quoque Codex c. 1880; sed praeterea denegabatur *expresse: a*) Ratione *causarum* in causis *notoriis* (1), nisi *notorietas* ipsa

(1) Cap. 5, 13, 14, 61, X, *De appellat.*, II, 28. Cfr. Schmalzgrueber, *I. E. U.*, L. II, P. III, Tit. 28, n. 21.

impugnaretur; in causis *exsecutionis* rei iudicatae, nisi exsecutor modum excesserit; in causis *electionum* tendentibus ad impediendam exsecutionem illarum, vel confirmationis obtentae; in causis *possessionis momentaneae;* in causis decisis secundum iuris *textus claros;* in causis in quibus *bis* appellatum fuerat; in sententiis a *censuris iam inflictis.*

b) Ratione *subiecti* prohibebatur *haereticis; confessis*, licet, si causa esset criminalis, interpretatio veterum canonistarum requirebat insuper testes et documenta; ei qui in simili causa appellationi adversarii *non detulerat;* illi qui sententiam contra se latam *approbaverat* etiam tacite. Qui promiserat se non appellaturum intelligebatur non posse interponere appellationem iniustam, frivolam aut frustratoriam. Dixi *expresse*, quia nonnulli ex his casibus continentur implicite in Codice: sic ex. gr. haeretici neque hodie valent appellare, quia prohibentur agere: appellatio a censuris iam inflictis locum non habet *ex se*, seu ex ipsa natura censurae, quippe quae non tollitur nisi absolutione.

3) Appellatio *extraiudicialis* seu *a decretis*, *a*) denegabatur in utroque effectu, nimirum, *suspensivo* et *devolutivo*, in sententiis ex *informata conscientia* et in negotiis *transactione*, aut *compromisso* aut *iuramento decisorio* compositis: *b*) prohibebatur *in suspensivo* in pluribus casibus, imo quampluribus, expressis in decretis Clem. VIII, 16 Oct. 1600, et descriptis ac declaratis a Bened. XIV in Const. *Ad militantis*, 30 Mart. 1742; qui casus prohibiti seu excepti tot numero erant ut vix aut ne vix quidem maneret ut regula generalis ius appellandi extraiudicialiter, cum praecipuus verae appellationis effectus sit suspensio sententiae vel decreti contra quae appellatur. Unde merito Codex appellationem extraiudicialem abolevit, ut diximus; dum, e contra appellationem iudicialem ampliavit, restringendo casus exceptos, eiusque vim roboravit illo praescripto canonis 1889, § 2: **Omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur.**

Expositio textus.

Can. 1879. — Q. *Quibusnam competit ius appellandi?* **643.**

R. **Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus interfuerunt, ius habent a sententia appellandi, idest provocandi ab inferiore iudice qui sententiam tulit, ad superiorem, salvo praescripto can. 1880.**

Pars: id est, persona quae litem contestata est, aut eius successor in lite, sive sit heres aut successor (c. 1733, 1°, 2°), sive sit procurator (c. 1664, § 2); et quidem utraque pars, etiam illa victrix si in aliquo **se gravatam putat.** *Damnificatis* autem competit, non praecise appellatio ut hactenus, sed *oppositio tertii*, quae continet vel appellationem vel *revisionem* (c. 1898, sq.). — **... aliqua sententia**: sive *definitiva* sive etiam *interlocutoria*, modo haec **habeat vim definitivae,** aut **cumuletur cum appellatione a sententia definitiva,** (c. 1880, 6°); non autem aliquo *iudiciali decreto* (ibid.) et multo minus *decreto extraiudiciali* (c. 1601). — **... gravatam**: etenim ius appellandi est concessum in defensionem, quae nemini competit nisi gravamen subierit.

... ius ... provocandi etc.: en vera notio appellationis propriae in sensu Codicis, seu *notio appellationis iudicialis*, praecipue si addatur ex c. 1889, § 2: *cum effectu* **in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur.** — **... provocandi**: id est, recurrendi ad superiorem officii eius implorandi causa. — **... ab iudice**: seu tribunali, non a mero superiore. — **... ad superiorem**: iudicem, et quidem immediatum, seu ad tribunal immediate superius, ad normam can. 1594, salvo iure S. R. Rotae, de quo in c. 1599. Quoad iudices delegatos, iudex superior proprie talis seu immediatus est qui delegavit. — **... salvo praescripto c. 1880**: quo apparet ius appellandi esse limitatum seu excludi in certis causis et casibus.

644. **Can. 1880.** — Q. *Species sententiarum* (*novem*) *in quibus non est locus appellationi.*

R. **Non est locus appellationi:**

1° A sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae;

2° A sententia iudicis qui a Sancta Sede delegatus est ad videndam causam cum clausula « *appellatione remota* »;

3° A sententia vitio nullitatis infecta;

4° A sententia quae in rem iudicatam transiit;

5° A definitiva quae iureiurando litis decisorio innixa est;

6° A iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva;

7° A sententia in causa pro qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam;

8° **A sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit ;**

9° **A sententia lata contra eum qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare.**

Non est locus : utrum ita ut interpositio et admissio appellationis sint tantum *illicitae*, an vero sint etiam *invalidae?* Tenendum est hoc postremum quia *obiectum legitimum* seu materia apta, alicuius actus (1) est ex iis quae actum ipsum essentialiter constituunt, ut requiritur c. 1688, § 1, et, proinde, quorum defectus reddit actum invalidum. — ... **A sententia :** definitiva; de qua est sermo in hoc capite, nisi aliud exprimatur. — ... **ipsius Summi Pontificis:** quia **Prima Sedes a nemine iudicatur,** ut dicitur in c. 1556, et ibi explicatum est. — ... **Signaturae Apostolicae :** quia haec est, voluntate S. Pontificis, tribunal supremum (c. 1602), ipsum S. Pontificem repraesentans, unde non tenetur rationes suarum decisionum exprimere quae impugnari valeant. — ... **a Sancta Sede :** nimirum tum a Romano Pontifice, tum ab Ordinariis S. Sedis tribunalibus (c. 7); unde eruitur quod nullus alius iudex potest causam committere cum clausula *appellatione remota:* et planum est, quia ius appellandi spectat ius publicum seu ordinationem iudiciorum.

... **nullitatis :** nam sententia hoc vitio infecta non impetitur appellatione quippe qua intenditur ut emendetur quod *imperfectum est* sed *aliquid est:* impetitur vero *querela nullitatis* qua intenditur declarari *nullum* quod *nihil est.* — ... **in rem iudicatam :** etenim appellatio est remedium *ordinarium;* patet autem quod contra sententiam quae transierit in rem iudicatam non expedit ut suppetat nisi remedium *extraordinarium*, seu *restitutio in integrum*, de quo in c. 1905. — ... **quae iureiurando ... innixa est :** cum haec sententia importet: *a*) *iusiurandum*, quod maximam meretur reverentiam; *b*) *transactionem*, vi iusiurandi decisorii, (c. 1834, § 1) et, proinde, huc pertinet illud *quod semel placuit amplius displicere non debet; c*) *confirmationem* publicae auctoritatis, videlicet, iudicis, cuius contemptum quasi redoleret appellatio.

... **decreto :** eo quod decretum suapte natura respicit res non gravis momenti, ob quas servos Christi dedecet, bono autem publico nocet litigare, cum ordinarie praesto sit, sufficiens remedium extra iudicium. — ... **quae non habeat vim**

(1) Cfr. D'Annibale, *Summula Theol. Mor.*, II, 300.

definitivae: id est, cuius damnum possit reparari per sententiam definitivam, aut quae non efficit ut sententia definitiva necessario pronuntiari debeat determinato quodam sensu. — ... **nisi cumuletur** etc.: id est, proponatur simul vel eodem tempore ac appellatio a sententia definitiva. Ex hac facultate cumulandi sequitur quod si sententia interlocutoria non habeat vim definitivae non applicantur ei *fatalia* decem dierum, de quibus in c. sequenti. — Quid si vim definitivae habeat? Neque etiam, nam appellatio a definitiva secum trahit necessario cognitionem interlocutoriae.

... **expeditissime**: ut sunt causa *suspicionis* oppositae contra iudicem, aut promotorem iustitiae, aut defensorem vinculi (c. 1616), causa *de attentatis* (c. 1856, § 2). — ... **contra contumacem**: qui enim iudicem inferiorem audire contempsit, non meretur a iudice superiore audiri. — ... **in scriptis**: et non quocunque modo expresse (1). — ... **professus est**: ante sententiam, vel ante lapsum decem dierum pro interponenda appellatione aut triginta dierum pro ea prosequenda: post lapsum vero praedictorum terminorum legalium non requiritur renuntiatio in scriptis aliove modo expressa: qui enim lapsum permisit, praesumitur appellationi renuntiasse.

645. **Can. 1881.** — Q. *Coram quo, et intra quod tempus interponi debet appellatio?*

R. **Appellatio interponi debet coram iudice** *a quo* **sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae.**

Recolatur oportet c. 1877.

646. **Can. 1882.** — Q. *Appellatio* 1) *quandonam, qua formula et quo pacto fieri possit oretenus;* 2) *quando et quomodo fieri debeat in scriptis.*

R. I. ex § 1. **Appellatio fieri potest oretenus coram iudice pro tribunali sedente, si publice sententia legatur, statimque ab actuario scriptis redigenda est.**

... **oretenus**: et quidem, *a*) utendo formula libera, ut eruitur ex hoc quod in cap. 34, X, *De appell.* II, 28, dicitur de quodam presbytero zamorensi: *Licet autem praedictus presbyter ex simplicitate forte verbum appellationis non expresserit* etc.; *b*) sed proferendo eam statim ac publice sententia legatur, seu, ut di-

(1) Cap. 20, X, *De off. Del.*, I, 29.

cebatur iure veteri, *stante pede*, id est, absque intervallo, antequam iudex desinat sedere pro tribunali; *c*) nullam rationem appellandi afferens, si appellatio fit a sententia definitiva, nam iudex a quo non debet cognoscere de *causa* huius appellationis sed tantum de *forma legitima* et de *tempore utili* proponendi eam; *d*) sed *coram eodem iudice causa probabili appellationis exposita* (1), si interponatur appellatio a *sententia interlocutoria;* cum ad eum pertineat de illo gravamine cognoscere, et illud, si ei videbitur, tollere. — **... scriptis redigenda est:** et appellanti legenda antequam actus subscriptione actuarii claudatur.

R. II. ex § 2. **Aliter facienda est in scriptis, salvo casu de quo in can. 1707.**

Aliter: id est, si appellatio interponatur ex intervallo, postquam ab aula tribunalis discesserit. — **... salvo casu** etc.: id est, si appellans **scribere nescit aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat** appellationis (cf. c. 1707, § 1).

Can. 1883. — Q. *Coram quo, et intra quod tempus prose-* 647.
quenda est appellatio?

R. **Appellatio prosequenda est coram iudice** *ad quem* **dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex** *a quo* **longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit.**

... longius tempus ... praestituerit: intellige in favorem etiam non appellantis; etenim huic quoque prodest appellatio (c. 1887, § 1). Quod quidem, id est, differre prosecutionem appellationis, facere potest vi huius canonis, iustis de causis, ut planum est; sed appellationem recusare aut illam impedire nullatenus potest, quia nullibi confertur ei similis potestas. Unde si recuset aut impediat, **tenetur de damnis,** (c. 1608), et praeterquam quod, **impedimentum significandum est iudici appellationis, qui** etc. (cf. c. 1884, § 2) et **ad instantiam partis aut etiam ex officio, congruis poenis ... puniri** potest (c. 1608, 1625, § 1).

Can. 1884. — Q. *Ad prosequendam appellationem,* 1) *quid* 648.
requiratur et sufficiat, 2) *quaenam remedia adsint si pars exemplar impugnatae sententiae non obtinuerit.*

R. I. ex § 1. **Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet iudicis superioris ad**

(1) Cap. 59, X, *De appell.*, II, 28.

impugnatae sententiae emendationem, adiuncto exemplari huius sententiae et libelli appellatorii quem iudici inferiori exhibuerat.

... ministerium invocet: etiam oretenus, dummodo clare exponat quid petit, non enim praescribitur expresse ut fiat in scriptis; sed tunc petitio redigi debet in scriptis ab actuario. — **... ad impugnatae sententiae emendationem:** exponendo utrum petat ut reformetur ex toto an ex parte, et in qua parte (cf. c. 1891, § 1); **si autem nullum determinavit caput, appellatio praesumitur facta contra omnia capita** (c. 1887, § 3).

R. II. ex § 2. **Quod si pars exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali** *a quo* **obtinere nequeat, interim termini non decurrunt et impedimentum significandum est iudici appellationis, qui iudicem** *a quo* **praecepto obstringat officio suo quamprimum satisfaciendi.**

649. **Can. 1885.** — Q. *Quid faciendum, et quomodo computandi sunt termini, si pars moriatur, aut statum mutet, aut cesset ab officio* 1) *post sententiam et ante appellationem:* 2) *post appellationem?*

R. I. ex § 1. **Si casus de quo in can. 1733 contigerit intra terminum ad appellandum utilem sed antequam appellatio interposita sit, sententia debet iis quorum interest denuntiari eisque concessi intelliguntur termini a iure statuti a die denuntiationis computandi.**

... iis quorum interest: id est, heredibus, aut successoribus litigantis qui mortuus est vel alias deest, aut domino principali litis si eam alius agitabat pro eo (cf. c. 1873).

R. II. ex § 2. **Si contigerit postquam fuerit appellatum, appellatio interposita eisdem denuntietur, in quorum favorem a die denuntiationis denuo currere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam.**

650. **Can. 1886.** — Q. *Quid fit de lite, inutiliter elapsis fatalibus appellationis?*

R. **Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice** *a quo*, **sive coram iudice** *ad quem*, **deserta censetur appellatio.**

... deserta censetur: vel renuntiata; et proinde sententia devenit *firma*, seu transit *in rem iudicatam*, contra quam non superest nisi remedium extraordinarium *restitutionis in integrum*.

Can. 1887. — Q. *Appellatio facta ab uno litigante* 1) *an prosit alteri litiganti;* 2) *utrum et qualiter praebeat eidem ius impugnandi partem sententiae acceptatam;* 3) *quaenam sententiae capita respiciat.* 651.

R. I. ex § 1. **Appellatio facta ab actore prodest etiam reo, et vicissim.**

... facta: et ante prosecutionem non revocata, et postquam a iudice superiore admissa fuerit et alteri per citationem intimata (1). — **... prodest:** id est, praebet ea iura quae habuisset si ille appellasset: unde, si altera pars contumax fiat, valet petere ut procedatur ad normam c. 1842, sq.

R. II. ex § 2. **Si interponatur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerint transacta, potest super aliis capitibus incidenter appellare; idque facere potest etiam sub conditione recedendi, si prior pars ab instantia recesserit.**

... etsi ... transacta: utputa si reus, etiam post contestatam litem appellatam, imo paulo ante sententiam appellationis, aut saltem ante conclusionem in causa, perspiceret reformationem capitis ab actore petitam praeiudicium afferre iuri eiusdem rei quoad caput vel capita a se acceptata. — **... incidenter:** quo verbo significatur appellationem, si quae fit ab appellato, esse *incidentalem*, et proinde non esse validam vel admittendam nisi adsit et probetur nexus inter capita quae heic dicuntur *incidenter* appellata et caput *principaliter* impugnatum seu in libello appellationis directe ab appellante principali propositum ceu causam principalem, et ex illo nexu provenire damnum vel periculum damni, quod dictum est. Iuvat autem animadvertere *appellationem incidentalem* esse causam *reconventionalem* appellati, seu appellantis incidentaliter, contra appellantem principalem, et proinde non posse proponi contra alium ex appellatis (2). — **... recedendi:** nam invitus appellavit et tanquam coactus ab altero: unde aequum est ut non cogatur appellationem prosequi, si alter recesserit.

R. III. ex § 3. **Si sententia plura capita contineat, et appellans quaedam tantummodo capita impugnet, cetera capita exclusa habeantur; si nullum determinavit caput appellatio praesumitur facta contra omnia capita.**

... exclusa habeantur: nam, cum ex pluribus quemdam

(1) Cfr. Mattirolo, *Instit. di Diritto Giudiz. Ital.*, n. 396.
(2) Cfr. Mattirolo, *l. c.*, n. 394.

complexum constituentibus includitur unum, videntur hoc ipso excludi cetera alia.

652. **Can. 1888.** — Q. *Utrum impugnatio facta ab uno ex correis aut actoribus prosit aliquando aliis, et quisnam tunc expensas sustinere debeat.*

R. **Si unus ex pluribus correis aut actoribus sententiam impugnet, impugnatio censetur ab omnibus facta, quoties res petita sit individua aut obligatio solidalis; expensas vero iudiciales ille tantum sustinere debet qui appellavit, si iudex appellationis primam sententiam confirmaverit.**

... correis aut actoribus: qui, nempe, de facto adfuerunt aut liti adhaeserunt in prima instantia, nam illi qui citari poterant aut adesse, sed non intervenerunt, gaudebunt remedio *oppositionis tertii* (c. 1898), si ex sententia damnum passi sunt. — **... censetur ab omnibus facta:** et proinde prodest si prosperetur, sed non potest obesse plus quam sententia primae instantiae obfuit. — **... quoties res petita sit individua, aut obligatio solidalis:** quo sapienti praescripto subiectum et obiectum limitante ad *collitigantes* et ad res seu *iura individua* atque ad *obligationes solidales*, corrigitur aut saltem determinatur et declaratur ius vetus quod ita se habet: *Una sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria iure communi ceteris suffragatur, si communi iure iuventur et eadem causa defensionis existat.* Igitur, deinceps non sufficit ut ius sit commune utrique correo vel ambobus actoribus, sed requiritur ut agatur de re aut iure communi indivisibili, v. g. de servitute, vel de obligatione solidali, ex. gr. si unus conventus fuit ut debitor principalis, alter vero tanquam fideiussor pro eo, aut unus condemna tus est ut *mandans*, alter vero quasi *exsecutor* delicti (c. 2211). — **... expensas ... ille tantum,** etc.: non alii, quia cum non litigaverint non possunt dici victi, et proinde non est quoad eos locus reficiendi expensas victori ad normam c. 1910.

Can. 1889. — *De diversitate appellationum.*

653. Q. I. *Appellatio, ratione effectus,* 1) *quotuplex sit, et quisnam effectus cuiusque;* 2) *qualis sit, ex regula generali.*

R. I. Appellatio, ratione effectus, est duplex: alia *in suspensivo*, alia *in devolutivo;* quarum effectus designantur in h. c § 1, videlicet:

Appellatio in suspensivo exsecutionem appellatae sen

ntiae suspendit ac propterea in suo robore permanet prin-
pium: « *lite pendente nihil innovetur* »: **appellatio autem in**
evolutivo tantum, non suspendit exsecutionem sententiae,
cet lis adhuc pendeat circa meritum causae.

... **exsecutionem appellatae sententiae suspendit:** ultra
uod causae cognitionem in secunda instantia *devolvit* seu defert
l iudicem superiorem. *Causae*, inquam, et non tantum *appel-*
tionis cognitionem; etenim iudex superior cognoscit *a*) utrum
it bene appellatum; et *b*) an *sit bene iudicatum.* — ... **non sus-**
endit exsecutionem sententiae: sed tantum *devolvit* seu defert
udici superiori causae cognitionem in secunda instantia.

R. II. ex § 2. **Omnis appellatio est in suspensivo, nisi**
liud in iure expresse caveatur, firmo praescripto can. 1917,
2.

Quapropter, quod appellatio habeat effectum *devolutivum*
st ei *essentiale* et, proinde, *ordinarium*, unde eo deficiente, ha-
ebitur aliquod aliud remedium, sed non appellatio; quod autem
abeat *tantummodo* effectum *devolutivum*, et non suspensivum,
st *extraordinarium*, nam, vi principii, *lite pendente, nihil in-*
ovetur, exsecutio sententiae deberet suspendi cum **lis adhuc**
endeat circa meritum causae.

Can. 1890. — Q. *Interposita appellatione, quis, ad quem,* 654.
uaenam acta et qua forma debet transmittere?

R. **Interposita appellatione tribunal** *a quo* **debet ad iu-**
icem *ad quem* **actorum causae authenticum exemplar vel**
psamet originalia acta causae transmittere ad normam
an. 1644.

Can. 1891. — *De materia, tum proxima tum remota, et de*
robationibus in gradu seu iudicio appellationis.

Q. I. *In gradu appellationis, a) utrum admitti possit nova* 655.
ausa petendi (materia proxima); *b) an detur litis contestatio*
t in quo consistat seu circa quam materiam remotam versari
ebeat.

R. I. ex § 1. **In gradu appellationis non potest admitti**
ova petendi causa, ne per modum quidem utilis *cumula-*
ionis; **ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest**
t prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex
oto sive ex parte.

... **nova petendi causa:** id est, novus *titulus iuris* quod
indicatur, seu nova *actio*, utputa si in prima instantia quis

vindicavit sibi ius proprietatis in fundum ex titulo *emption* *venditionis* tantum, non potest illud in secunda instantia v dicare ex titulo *hereditatis* aut actione *praescriptionis;* et h nec per modum *abstractionis* a titulo emptionis cuius null memoriam faciat, ne per modum quidem utilis *cumulatio* tituli emptionis cum titulo hereditatis, legati, donationis alio. Ratio est, quia, quocumque modo iudex secundae instanti admitteret novam *causam petendi* praetergrederetur limites su competentiae, cognoscendo de actione non agitata in pri instantia, et in hoc ageret contra leges iuris publici circa dinationem iudiciorum. — ... **litis contestatio**: ergo in iudi appellationis datur litis contestatio; quae nihil aliud est qu *quaestionis dirimendae determinatio*, et reducitur ad haec dubi 1um: *Utrum sententia, lata in prima instantia, sit confirmand an vero reformanda.* 2um: *Quatenus reformanda, utrum ex t an tantum ex parte.* 3um: *Quatenus ex parte in quo ref manda sit.*

656. Q. II. *An et quibus novis probationibus possit instrui cau in appellatione.*

R. II. ex § 2. **Sed novis exhibitis documentis et nov probationibus poterit causa instrui, servatis regulis tradi in can. 1786, 1861.**

... **servatis regulis,** etc.: quae regulae limitant, ni fall vulgatum effatum a iuristis applicatum ad instructionem caus in superiore instantia: *non deducta deducam, non probata pr babo.* Etenim can. 1861 tunc tantum permittit novas probation cum agatur **de testibus qui antea ob legitimum impedime tum tempore utili induci non potuerunt**; canon vero 17 vetat ne novi testes aut antiqui denuo admittantur **nisi cau et ex gravi ... aut gravissima ratione ... et omni fraudis subornationis periculo remoto, altera parte audita,** etc. quibus patet Codicem, quidquid sit de iure veteri, propius cedere illis ex codicibus hodiernis civilibus, qui in secunda ulteriore instantia admittunt tantum examen actorum et al gatorum in priore instantia. Et merito, *a*) ad excitandam di gentiam omnium illorum qui concurrunt ad disceptationem definitionem causae in prima instantia; *b*) ad abbreviandas tes: *c*) ad vitandum periculum non modo subornationis testiu sed etiam fraudis in occultatione documentorum, etc.

CAPUT II.

De querela nullitatis contra sententiam.

Expositio rubricae.

Q. I. *Notio.* 657.

R. Querela nullitatis est remedium quo petitur sententiam declarari nullam, quippe vitio substantiali laborantem. Vitium autem est *sanabile*, certe voluntate partium, si proveniat ex inobservantia iuris privati cui illae possunt renuntiare; *insanabile* vero, si ex violatione iuris publici, aut privati quidem, sed cui partes renuntiare nequeunt. Unde *nullitas* est vel *sanabilis* vel *insanabilis* (c. 1892, 1894). Querela differt *ab actione nullitatis* sicut species a genere; differt *ab appellatione*, quia haec obtinere intendit ut sententia infirmetur, aut corrigatur. Cfr. Lega, *De Iudic.*, vol. I, n. 652, sq.

Q. II. *Usus ante promulgationem Codicis.* 658.

R. Iure romano non habetur mentio de speciali remedio querelae nullitatis, sed in genere enuntiabatur sententiam evidenter nullam non indigere appellatione, et ipsam evidentiam obstare eius exsecutioni, quippe convento concedebatur *exceptio nullitatis*. Tribunalia ecclesiastica, ad parcendum expensis et tempori coeperunt adhibere remedium querelae etiam pro casibus nullitatis dubiae, cuius declaratio permissa fuit iudici auctori sententiae. Sed cum labor processus frustra cederet quoties vitium nullitatis non reperiretur, utilius inductum fuit ut, in casibus dubiae nullitatis, querela cumularetur cum appellatione coram superiore iudice tractanda.

Expositio textus.

Can. 1892. — Q. *Quatuor capita ex quibus sententia vitio insanabilis nullitatis laborat.* 659.

R. **Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando:**

1° Lata est a iudice absolute incompetente vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1;

2° Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;

3° Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato.

... **incompetente**: cf. can. 1556-1568, quoad competentiam vel incompetentiam in prima instantia, et can. 1569-1579, quoad superiores instantias. — ... **non habet personam standi**: cf. can. 1646, 1654. — ... **sine legitimo mandato**: cf. can. 1655-1666, praecipue c. 1662.

660. **Can. 1893.** — Q. *Quomodo, coram quo, et intra quod tempus proponenda est querela nullitatis insanabilis ?*

R. **Nullitas de qua in can. 1892 proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram iudice qui sententiam tulit intra triginta annos a die publicationis sententiae.**

... **per modum exceptionis**: ut ecce si is qui in lite agitata a procuratore eius sine legitimo mandato condemnatus fuit ad praestandam aliquam summam pecuniae, et ab actore citatur ut eam reddat, resistit praestationi opponendo exceptionem nullitatis sententiae vi c. 1892, 3°. — ... **in perpetuum**: quia ut dictum est in c. 1667, et fuse explicatum est, exceptiones sunt perpetuae. — ... **per modum vero actionis**: veluti si eadem persona, de qua in citato exemplo, ad evitandas sibi et suis successoribus molestias actoris victoris, vellet proponere *actionem nullitatis*, id est, instaurare iudicium ad declarandam nullam sententiam qua condemnatus fuit ad praefatam praestationem. — ... **qui sententiam tulit**: intellige, non coram eadem persona vel iisdem personis quae iudicem egerunt, sed coram eodem tribunali; et quidem ordinario, vel delegato ad universitatem causarum, minime autem coram delegato ad causam particularem, vel, melius, ad determinatas causas. Ratio prioris partis est quia huiusmodi praescriptum eo tendit ut pars non cogatur adire iudicem alterius territorii, vel altioris gradus, vel necessario constituendi ex aliis personis sententiam revisuris; iam vero, tribunal, licet persona iudicis unici aut plures vel etiam omnes iudices tribunalis collegialis mutentur, manet idem quamdiu illi maneat iudicandi potestas, a iure vel etiam ab homine eidem tributa in aliquo genere, tanquam adnexa officio aut commissioni iudicandi in illo genere. Ratio alterius partis est quia conservare iurisdictionem et magistratum post latam sententiam, uni iudici ordinario contingit, aut delegato quidem, sed ad universitatem causarum, quibus confertur po-

testas in aliquo genere, minime autem delegato ad determinatam causam, nam istius iudiciaria potestas consumitur per usum eius semel factum. De hoc tantum videtur loqui Alexander III (1): *ex quo iudex delegatus, per se vel per alium, sententiam executioni mandavit vel mandari praecepit, eius auctoritas et iurisdictio cessat; quia semel functus est officio suo.* — Rationem interpretationis a nobis datae, restringendo facultatem ad iudices ordinarium et delegatum universalem, plures veteres (2) desumunt ex eo quod iudex qui sententiam nullam pronuntiavit nihil fecit, et ideo nondum functus est officio suo; sed timeo ut sit vera ratio, nam haberet quoque locum in iudice delegato particulari, quod quidem ab iisdem reiicitur.

. . . **intra triginta annos:** quo tempore durabant actiones iure veteri, et quod revera sufficit ad succurrendum damnificatis per sententiam nullam.

Can. 1894. — Q. *Quatuor capita, ex quibus sententia vitio nullitatis sanabili laborat.* 661.

R. **Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando:**

1° Legitima defuit citatio;

2° Motivis seu rationibus decidendi est destituta, salvo praescripto can. 1605;

3° Subscriptionibus caret iure praescriptis;

4° Non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit.

. . . **defuit citatio:** et aliunde partes non se stiterunt sponte (c. 1711, § 2). — . . . **salvo . . . can. 1605:** excipiente ab hac lege Supremum Tribunal Signaturae Ap.cae. — . . . **Subscriptionibus:** praescriptis c. 1874, § 5. — . . . **indicationem anni:** quod quidem provide praescriptum est, ne, inter alias, plus quam una sententia ferri possit ab eodem tribunali, inter easdem personas et circa eandem rem.

Can. 1895. — Q. *Querela nullitatis sanabilis, a) quotupliciter proponi potest; et b) intra quod tempus proponi debet, si cum appellatione, intra quod vero si seorsim proponatur?* 662.

R. **Querela nullitatis in casibus de quibus in can. 1894, proponi potest vel una cum appellatione intra decendium,**

(1) Cap. 9, X, *De offic. Delegati,* I, 29.

(2) Cfr. Schmalzgr., *Ius E. U.,* L. II, P. III, Tit. 27, nn. 78, 79; Reiff., *I. C. U.,* Lib. II, Tit. 27, § 1, n. 37; Lega, *De Iudic.,* Vol. I, n. 652.

vel seorsim et unice qua querela intra tres menses a die publicationis sententiae coram iudice qui sententiam tulit.

. . . **proponi potest**: et expedit si nullitas est dubia. — . . . **una cum appellatione**: quia quando nullitas est sanabilis, querela, eo ipso quod pars non vult eam sanare cum possit, censetur esse appellatio contra laesionem iuris quae fuit causa nullitatis, et proinde convenienter cumulatur cum appellatione ob gravamen quod reddit sententiam iniquam. — . . . **intra decendium**: quocirca est potius appellatio, vel considerari debet ut quid accessorium appellationi. — . . . **vel seorsim et unice qua querela**: quod fit quando nullitas videtur notoria aut evidens. — . . . **coram iudice qui sententiam tulit**: sive ordinario sive delegato, ad universas causas, ob rationes in com. ad c. praeced. expositas, vel coram eorum successore aut successoribus.

663. **Can. 1896.** — Q. *Qualis subrogatio peti possit si pars vereatur ne iudex auctor sententiae nullius praeoccupatum animum habeat.*

R. **Si pars vereatur ne iudex, qui sententiam, querela nullitatis impugnatam, tulit, praeoccupatum animum habeat et proinde eum suspectum merito existimet, exigere potest ut alius iudex, sed in eadem iudicii sede, in eius locum subrogetur ad normam can. 1615.**

Si pars vereatur: etiam ob solam rationem quod iudex sententiam impugnatam protulerit ipse. — . . . **exigere potest**: nulla alia causa suspicionis allegata, nam canon non exigit eam.

664. **Can. 1897.** — Q. *Declaratio nullitatis vel emendatio sententiae, utrum et quando possint peti* 1) *a partibus et a promotore iustitiae et defensore vinculi;* 2) *a iudice ipso.*

R. I. ex § 1. **Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties iudicio interfuerunt.**

. . . **partes**: videlicet, non modo reus, sed uterque litigans. — . . . **quae se gravatas putant**: id est quarum intersint praeceptum aut inhibitio per sententiam iniuncta, cum nullitas sit ex se gravamen.

R. II. ex § 2. **Imo ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare intra terminos ad agendum supra statutos.**

Imo ipse iudex: quantumvis sententia respiciat ex se com-

dum privatorum; nam canon non distinguit, et, aliunde, inest boni publici sententias nullas declarare. — ... **intra minos ... statutos:** nimirum, intra triginta annos si agatur nullitate insanabili, intra tres menses si de nullitate sanabili.

CAPUT III.

De oppositione tertii.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio capitis; differentia inter ius vetus ac novum.* **665.**

R. Vi illius principii, *res inter alios acta non nocet reariter aliis*, iudicialis controversia inter duos instaurata, et, inde, praescriptum sententiae qua illa dirimitur, aliis non cet in abstracto quatenus iura illorum non minuunt *iure*, sed sunt illis nocere vel eorundem iura minuere de *facto*. Sic, gr., sententia iudicialis attribuens Titio (actori) rem a Caio o) detentam, quam Sempronius (qui liti non interfuit) putat e suam, non minuit *iure* dominium seu ius proprietatis Semnii, cui usque manebit *ius* instaurandi iudicium ad vindicann sibi de manu Titii vel rem vel pretium. Sed si res sit consumptibilis et Titius valde inops, nemo non videt pelum esse ne, si sententia lata in favorem Titii mandetur ecutioni, ipse eam statim consumat ante instaurationem iuii per Sempronium, qui proinde nequibit *de facto* rem habere, indemnitatem. Adde quod saepe res amissa non est condigna emnitate reparabilis. Iustum est igitur ut iis qui in casu npronii versentur, id est, laesis sententia inter alios protiata, occurratur aliquo remedio quo valeant impedire exseionem sententiae; hoc autem fit praescripto huius capitis.

R. II. Iure veteri, laesis sententia iudiciali huiusmodi currebatur concedendo illis appellationem; quae verum erat neficium, nam, vi illius, tertius laesus sententiam non latam se tanquam litigantem impugnare poterat et eiusdem exseionem differre. Quod si facere omisisset aut prohibitus fuisset a appellatio non fuisset admissa, haec *non praeiudicant*, Innoc. III (1), *quominus suam valeat consequi rationem;* elicet, adhibendo remedium ordinarium seu instaurando iu-

(1) Cap. 17, X, *De sent. et re iud.*, II, 27.

dicium in prima instantia ad obtinendam reparationem laesionis *cum*, subiungit, *res inter alios acta regulariter non noceat alii iuxta constitutiones canonicas et civiles*. Est casus in citato loc expresse decisus a praedicto S. Pontifice circa sententiam i controversia inter *Aurien. Episcopum* et *Monasterium Cella novae*, contra quam sententiam appellaverat tertius qui non li tigaverat, scilicet *Episcopus Ovetensis*, qui Papae proposuit mo nasterium Cellae novae ad Ecclesiam Oveten. pertinere, eamqu proinde graviter fuisse laesam sententia Episcopi Auriensis *Mandamus*, inquit, *quatenus si constiterit appellationem pro ec clesia Oveten. rationabiliter interpositam... fuisse, exsecutio sen tentiae differatur*. Sed beneficium appellationis scatebat incom modis, inter quae necessitas tractandi negotium regularite extra territorium; quapropter legislator noster remedium pin guius invenit et concessit, quod vocatur *oppositio tertii*. Unde

666. Q. II. *Acceptiones oppositionis tertii; eius differentia ab in terventu in causa.*

R. Oppositio tertii accipi potest prout *in potentia* et *ha bitu*, vel prout *in actu* et *usu;* hic accipitur priori sensu. Differ *ab interventu in causa*, quia hoc remedium competit in quavi instantia, sed ante conclusionem in causa (c. 1852), vel timent laesionem ex exsecutione eiusdem.

Expositio textus.

667. **Can. 1898.** — Q. *Quandonam competat, quale sit, et in qu consistat remedium quod oppositio tertii dicitur.*

R. **Si sententiae definitivae praescriptum iura aliorun offendat, hi habent remedium extraordinarium quod** *oppositi tertii* **dicitur, vi cuius qui ex sententia suorum iurium lae sionem verentur, possunt sententiam ipsam ante eius exse cutionem impugnare eique se opponere.**

Si sententiae definitivae: non interlocutoriae, nam hae non solet verum praeiudicium generare tertio; qui, ceteroquin cum iudicium non sit finitum, potest sibi consulere per inter ventum in causa ad normam c. 1852, sq. — ... **aliorum** qui, videlicet, iudicio non intervenerunt tanquam actores au rei nec per se nec per alios, v. g. procuratores, tutores au curatores; et haec est conditio essentialis. — ... **extraordina rium:** quod non tollit remedium ordinarium; vel aliis verbis illi qui nolit aut forte prohibeatur se opponere non praeiudica

ut ait Innoc. III, *quominus suam valeat consequi rationem*, instaurando in iudicio primae instantiae actionem ordinariam *de damno dato* ad obtinendam reparationem damni sententia illati; quo in iudicio ne reiiciatur potest invocare principium: *res inter alios acta non nocet aliis* (1). — ... **oppositio tertii dicitur**: en definitionem huius remedii. — ... **suorum iurium laesionem**: non aliorum, cum hoc remedium eo spectet ut impugnet sententiam et impediat exsecutionem in eo tantum quod opponenti vere praeiudicent (Mattirolo, *ibid.*). — ... **verentur**: quo verbo significatur laesionem posse esse tum praesentem tum futuram, dummodo periculum sit praesens, videlicet, probabile seu vere probatum. — ... **possunt**: quia hoc remedium est ius regulariter, non obligatio. — ... **impugnare**: sive tamquam *nullam* sive tamquam *iniustam*, ut melius patebit ex canone sequenti. — ... **eique se opponere**: petendo ut exsecutio suspendatur, et sententia declaretur nulla aut emendetur, nam hoc remedium continet disiunctive alia duo, scilicet, vel *querelae* vel *appellationis*, ut patet ex c. qui sequitur.

Can. 1899. — Q. *In remedio oppositionis* 1) *quid postulari possit;* 2) *quid probare debeat oppositor;* 3) *undenam oriri debeat laesio;* 4) *quid si oppositor deficiat in probando.* **668.**

R. I. ex § 1. **Oppositio fieri potest ad recurrentis arbitrium sive postulando revisionem sententiae ab ipso iudice qui eam tulit, sive appellando ad iudicem superiorem.**

... **sive postulando revisionem**: et quidem ad hoc ut iudex sententiam vel declaret nullam vel corrigat: id est, ut, in commodum oppositoris, faciat ipse unus quod in ordinario remedio appellationis facere possunt, sed partialiter, iudex *a quo* et iudex *ad quem*. Remedium certe pingue! In his autem duobus commodis seu iuribus vere extraordinariis consistit differentia iuris Codicis a iure veteri. — ... **sive appellando**: proprie et stricte, id est, ad iudicem superiorem, in quo praesens remedium refert antiquum.

R. II. ex § 2. **In utroque casu oppositor probare debet ius suum revera esse laesum aut probabiliter laedendum.**

R. III. ex § 3. **Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si exsecutioni mandetur, oppositorem gravi praeiudicio sit affectura.**

(1) Cfr. Mattirolo, *Inst. di Diritto Giudiz. Ital.*, n. 414.

R. IV. ex § 4. **Si neutrum probetur, iudex, non obstante tertii oppositione, sententiae exsecutionem decernat.**

669. **Can. 1900.** — Q. *Normae servandae prout agatur a) coram iudice appellationis; vel b) coram auctorem sententiae.*

R. **Admissa instantia, si oppositor agere velit in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis; si coram ipso iudice qui sententiam tulit, regulae servandae sunt pro causis incidentibus datae.**

Admissa instantia: eo quod oppositor probavit quae c. 1899, § 2, 3, praescripta sunt. — ... **in gradu appellationis**: id est, coram iudice immediate superiore eo qui sententiam tulit. — ... **statutis**: a c. 1879 ad 1891. Proinde, ex. gr., etiam admissa oppositione, appellatio, *a*) non admittetur si sententia lata fuerit in causa a S. Pontifice commissa cum clausula *appellatione remota*, si sententia sit nulla vitio insanabili, et ita porro (c. 1880); *b*) facienda est in scriptis (can. 1882, § 2); *c*) prosequenda est intra mensem (c. 1883). Et sic de ceteris legibus circa appellationem. — ... **pro causis incidentibus**: can. 1838-1841; unde sequitur revisionem, et proinde declarationem nullitatis aut emendationem sententiae in casu *oppositionis tertii*, posse tractari extraiudicialiter et finiri per decretum iuxta c. 1840, § 3.

670. **Can. 1901.** — Q. *A quo et qualiter mutanda est sententia ab oppositore impugnata?*

R. **Causa ab oppositore victa, sententia antea lata mutanda est a iudice, secundum oppositoris instantiam.**

... **a iudice**: coram quo oppositio cognita fuit, et, proinde, ab auctore sententiae impugnatae, si oppositor ingressus fuerit *viam revisionis*, a iudice autem superiore, si ille elegerit et prosequutus fuerit *appellationem*. — ... **secundum oppositoris instantiam**: prout, nempe, ille postulaverit aut declarationem nullitatis aut solummodo emendationem.

TITULUS XV.

De re iudicata et de restitutione in integrum.

Expositio rubricae.

Q. I. *Quid sit res iudicata, et quid restitutio* (sententiae) *integrum.* 671.

R. Res iudicata accipitur duplici ratione, videlicet : 1) pro *ctu essentiali* intrinseco immediato sententiae, id est, pro *initione controversiae*, vel potius pro *controversia quatenus de-ita* per sententiam ; 2) et praecipue, pro *sententia firma*, quae, nirum, sit aut devenerit *non oppugnabilis*, et proinde possit ecutioni mandari, et ex qua oriuntur *actio iudicati* vel *rei licatae*, et *exceptio rei iudicatae.* De quibus effectibus et aliis uitur c. 1904. In c. autem 1687 dicitur quid sit *in integrum titutio* in genere ; et in c. 1905 quid ea sit quoad sententiam.

Q. II. *Ratio ordinis.* 672.

R. Cum sententia sit saepe *firma*, vel, aliis verbis, cum *iudicata* oriatur saepe, ut non dicam regulariter, ex eo quod tentia non fuit impugnata per remedia ordinaria *querelae llitatis* vel *appellationis*, aut per remedium *oppositionis tertii*, raordinarium quidem sed adhibendum antequam sententia veniat *firma* seu *res iudicata*, ideo immediate post leges circa edicta remedia proponit legislator canones *de re iudicata.* ia vero etiam postquam sententia devenerit *firma* seu *res iudi-a*, et regulariter nonnisi postquam talis devenerit, suppetit, luntate legislatoris, remedium *ex omni parte extraordinarium* od dicitur *restitutio in integrum* contra sententiam, imme-te et sub eodem titulo ac *de re iudicata* eduntur leges *de titutione contra sententiam.*

Expositio textus.

Can. 1902. — Q. *Quadruplex caput, quo sententia firma et res iudicata habetur.* 673.

R. **Res iudicata habetur :**

1° Duplici sententia conformi ;

2° Sententia intra utile tempus non appellata ; aut quae,

licet appellata coram iudice *a quo*, **deserta fuit coram iudi** *ad quem;*

3° **Sententia definitiva unica, a qua non datur appellat ad normam can. 1880.**

Res iudicata: Recolatur dictum in Q. I. — . . . **habetu** nisi agatur de causis quae nunquam transeunt *in rem iudicata* ad normam c. 1903. Quae exceptio subintelligitur in singul praescriptis h. c. 1902.

Can. 1903. — *De causis quae transeunt vel non in re iudicatam.*

674. Q. I. *Quaenam causae in rem iudicatam transeunt?*

R. In rem iudicatam transeunt, aliqua ex rationibus r censitis in c. 1902, omnes causae non exceptae in h. c. 190

675. Q. II. *Quaenam causae nunquam transeant in rem iud catam, et an in his aliquando consequatur tamen ut ulteri propositio non debeat admitti.*

R. ex h. c. **Nunquam transeunt in rem iudicata causae de statu personarum; sed ex duplici sententia co formi in his causis consequitur, ut ulterior propositio nc debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus arg mentis vel documentis.**

. . . **causae de statu personarum:** huiusmodi locutio e nova in hac re; eadem vero significari putamus causas sup *a*) validitate matrimonii; *b*) inconsummatione matrimonii; *c*) bertate a vinculo matrimoniali ob assertam mortem coniug vel declarationem nullitatis matrimonii; *d*) validitate sacrae o dinationis; *e*) validitate professionis religiosae, quae quide iure veteri in rem iudicatam transibant post quinquennium emissa professione, nec ulterius proponi poterant nisi obten restitutione in integrum. Causae super libertate a conditio servili non amplius a multo tempore agitantur, cum illa co ditio non sit ex se impedimentum matrimonii. — . . . **ex dupli sententia conformi:** non autem ex qualibet ex ceteris rati nibus recensitis in c. 1902, 2° et 3°; quod quidem est prae ocul habendum in applicatione sequentis praescripti his verbis e pressi: **in his causis consequitur, ut ulterior propositio nc debeat admitti, nisi** etc.

676. Q. III. *Quaenam causae iure veteri non transibant in re iudicatam?*

R. Viginti quatuor recenset Maranta apud Reiffenstu

Schmalzgrueber, ex quibus sunt praecipuae: *a*) Causae *matrimoniales;* dicit enim Benedict. XIV in Const. *Dei miserat.*, II, *sententiam in re matrimoniali nunquam transire in rem iudicatam* (1). Quod tamen erat intelligendum de causis matrimonialibus proprie talibus, seu respicientibus vinculum. *b*) Causae *beneficiales*, si adversus possessorem probaretur nullitas tituli seu vitiosus ingressus (2). *c*) Causae *decisae per sententiam nullam;* attamen duratio iuris proponendi iterum has causas non erat perpetua, sed ad triginta annos (3). *d*) Causae *criminales*, si constiterit innocentem fuisse condemnatione perculsum (4). *e*) Sententiae *latae ex falsis instrumentis* vel *testimoniis*, aut *ex iuramento suppletorio*, aut *ex consilio peritorum* seu expertorum in aliqua re vel arte, aut ex depositionibus *testium* ex *credulitate*, aut ex aliis probationibus mere praesumptivis, quae non essent iuris et de iure (5).

Can. 1904. — *De praerogativis et effectibus rei iudicatae.*

Q. I. *Qualiter et quare res iudicata habenda est vera ac iusta, nec impugnari potest?* 677.

R. ex § 1. **Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec impugnari directe potest.**

. . . **iuris et de iure:** quae duplici fundamento innititur, delicet, *a*) creditur iudicem omnia iure gessisse, nisi contrarium demonstretur; *b*) partes, expresse vel tacite renuntiantes omedio appellationis, approbarunt implicite sententiam. — . **nec impugnari directe potest:** ob rationes allatas in com. l c. 1826; potest autem impugnari *indirecte*, ut ibidem dictum t; veluti si probetur documenta in quibus exclusive fundata t sententia esse falsa; tunc enim ruit praesumptio *iuris et de re* quia eius fundamenta corruerunt.

Q. II. *Quibusnam ius facit, et quasnam actiones aut exceptionem parit res iudicata?* 678.

R. ex § 2. **Facit ius inter partes et dat exceptionem ad impediendam novam eiusdem causae introductionem.**

Facit ius: seu legem, quatenus haec significat *iussum.*

(1) Cap. 7, 10, 11, X, *De sent. et re iudicata*, II, 27.
(2) Cap. 46, X, *De appellat.*, II, 28.
(3) Cfr. Schmalzgr., *I. E. U.*, L. II, t. II, n. 64.
(4) Reiff., *I. C. U.*, L. II, tit. XXVII, n. 126; Lega, *De Iud.*, I, 666.
(5) Schmalzgr., *I. E. U.*, L. II, tit. XXVII, n. 67; Lega, *l. c.*, n. 664.

Quam tamen legem non *constituit* sed *declarat;* et ideo eiu effectus retrotrahuntur regulariter ad tempus quo causa intro ducta est. En primus et *intrinsecus effectus* rei iudicatae. – ... **inter partes**: quibus verbis significatur legem esse particu larem, adeo ut eius effectus, id est, iura ac officia, restringantu regulariter ad partes quae iudicio contendunt, *cum res, inte alios acta, aliis regulariter non noceat.* — ... **dat exceptionem** hic est effectus *extrinsecus*, ex voluntate legislatoris ordinari proveniens : vocatur *exceptio rei iudicatae*, et regulariter adhi betur ab eo qui sententia succubuit. Datur autem alius *duplex effectus*, et quidem *intrinsecus*, *legis rei iudicatae*, videlicet, i alterutra parte *actio iudicati* seu *rei iudicatae*, quae est ius po stulandi et obtinendi efficaciter exsecutionem sententiae, qua propter *res iudicata* dicitur et regulariter est *titulus exsecutivus* in altera autem parte *officium iuridicum* gerendi morem po stulanti.

679. Q. III. *Utrum auctoritas rei iudicatae valeat pro foro in terno aeque ac pro foro externo; id est, an liberet ab officio mo rali iniuste per sententiam soluto.*

R. Affirmativam sententiam tenuerunt Ioan. Andr., Fortun García, González, Schmier, Wies et Schmalz., qui citant pro s cap. 13, X, *De sent. et re iudic.* II, 27, et afferunt paritatem cum praescriptione vel usucapione. Negativam merito defendun Innoc., Abbas, Felin., Sylvester, Adrian., Soto, Azor, Wernz, qui nituntur cap. 2, X, *De purgat. vulgari*, et allegant ratio nem quod iussum rei iudicatae fundatur in praesumptione iu stitiae istius, quae tamen praesumptio debet cedere veritati praesertim in foro conscientiae. Non tenet ratio ab adversariis desumpta ex paritate cum praescriptione, cum haec sit, volun tate legislatoris, *modus legitimus transferendi dominium* rerum ac iurium de una persona ad aliam, etiam priore domino re fragante; sed de re iudicata nullibi constat habuisse a legis latore parem praerogativam.

Can. 1905. — *De restitutione in integrum, seu de remedio contra sententias quae transierunt in rem iudicatam.*

680. Q. I. *Adversus quas sententias, intra quos fines et sub qua conditione suppetit restitutio in integrum?*

R. ex § 1. **Adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis, datur remedium extraordinarium restitutionis in**

integrum intra fines can. 1687, 1688, dummodo de evidenti iniustitia rei iudicatae manifesto constet.

... **contra quam ... nullitatis**: vel, quod in idem redit, quae sit *firma* seu transierit *in rem iudicatam* ad normam c. 1902. — ... **remedium extraordinarium**: tum ob beneficium quod praestat, tum quia non datur nisi quando aliud non suppetit. — ... **restitutionis in integrum**: quae, ut diximus in com. ad c. 1687, est actio rescissoria specialis, persequens *directe* reparationem damni, *indirecte* vero rescissionem actus (in hoc casu, sententiae) si locus sit aut opus. — ... **intra fines can. 1687, 1688**: circa quos recolere expedit quod *a*) ad restitutionem concedendam minoribus sufficit *laesio*, sed pro maioribus requiritur insuper *iusta causa* (quae ibidem exposita fuit); *b*) restitutio petenda est intra quadriennium a maioritate vel a laesione; *c*) minores possunt restitui *ex officio; d*) quoad iudicem a quo petenda est restitutio vide c. 1906. — ... **de evidenti iniustitia ... manifesto constet**: quae verba exprimunt conditionem *sine qua non*, a iudice servandam quoties decreverit admittere libellum quo petatur restitutio contra sententiam. Quapropter,

Q. II. *Quatuor capita ex quibus tantum censetur constare manifesto de sententiae iniustitia.* 68

R. ex § 2. **De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi:**

1° Sententia documentis innitatur, quae postea fuerint falsa deprehensa;

2° Postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent;

3° Sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius;

4° Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit.

... **documentis innitatur, quae postea fuerint falsa deprehensa**: nam perinde est ac si tunc primum post sententiam fuissent reperta, et idcirco possunt vel debent admitti iuxta dicta in c. 1681, § 1. Sed nequeunt admitti documenta, nec proinde petitio restitutionis si illorum falsitas fuisset petenti nota ante sententiam: quod clare innuit illud verbum **postea**. — ... **Postea detecta fuerint documenta**: si vero detecta fuerint *ante* sententiam non est locus restitutioni. — ... **evidenter neglectum**: praesumitur autem evidenter neglectum praescriptum, quoties sit clarum: secus si obscurum aut dubium.

682. **Can. 1906.** — Q. *Quisnam sit iudex competens ad concedendam hanc restitutionem.*

R. **Ad restitutionem in integrum concedendam competens est iudex qui sententiam tulit, nisi ea petatur ex neglecto a iudice praescripto legis; quo in casu eam concedit tribunal appellationis.**

... **qui sententiam tulit:** etenim restitutio subaudit vel declarationem nullitatis vel annullationem sententiae. — ... **tribunal appellationis:** nam qui sententiam tulit negligendo praescriptum legis praesumitur suspectus.

683. **Can. 1907.** — Q. *Quoad exsecutionem sententiae,* 1) *quid efficit regulariter petitio restitutionis;* 2) *quid faciendum si adsit suspicio de intentione nectendi moras?*

R. I. ex § 1. **Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit.**

... **nondum inceptam suspendit:** et proinde exerit eundem effectum ac appellatio. Si vero exsecutio incepta sit, ille qui passus est ut ea incipiat non habet ius petendi ut non perficiatur.

R. II. ex § 2. **Si tamen suspicio sit ex probabilibus indiciis petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas, iudex decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnis fiat.**

TITULUS XVI.

De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio.

Expositio rubricae.

684. Q. I. *Connexio materiae: ratio huius Tituli, seu expensarum iudicialium.*

R. I. Expleta tractatione *de processu* servando in definitione quaestionum iudicialium per curias ecclesiasticas, prono alveo sequuntur leges *circa sumptus* qui pro iudiciorum celebratione sunt necessarii; et hinc prima pars rubricae, *De expensis iudicialibus.* Et quia inter expensas recensentur honoraria advocatorum, quibus tamen non est locus in causis pau-

perum propter meritissimum *Ecclesiae institutum gratuiti patrocinii*, ideo altera pars rubricae, *De gratuito patrocinio.*

R. II. Nec miretur quis si hunc Titulum in Codice inveniat, postquam in nostro commentario ad c. 1624 legerit iudicia ecclesiastica esse gratuita. Equidem iudices ecclesiastici stipendia a litigantibus non recipiunt, nam quae ad vitam sunt necessaria obtinent alia via ratione officii vel beneficii quibus iudicandi potestas adnectitur, et hoc sufficit ad gratuitam administrationem iustitiae; attamen in iudiciis agitandis occurrunt plures expensae ob sumptus itinerum et alimentorum testium, peritorum, ipsorum collitigantium, ministrorum tribunalium, transcriptionis documentorum, transmissionis citationum et aliorum decretorum iudicialium, quae certe non a tribunali vel ab Ecclesia, sed a litigantibus sustinendae sunt: en ratio Tituli, *De expensis iudicialibus.*

Q. II. *Divisio materiae Tituli.* 685.

R. Ex dictis descendit Tituli divisio in duo capita: I. *De expensis iudicialibus;* II. *De gratuito patrocinio.*

CAPUT I.

De expensis iudicialibus.

Expositio rubricae.

Q. I. *Quid venit nomine expensarum iudicialium?* 686.

R. Vide in com. ad c. 1624. Iuvat autem animadvertere quod in illo canone et in isto Titulo sermo est de expensis et taxis iudicialibus tantummodo. De expensis, vel taxis vel oblationibus pro aliis actibus, v. g. pro funeribus, pro exsecutione rescriptorum, pro administratione sacramentorum, pro dispensationibus matrimonialibus, etc., agitur in aliis locis. Cf. praecipue can. 59, 736, 879, § 2, 1056, 1234, 1235, 1504-1507, 1787, § 2, 2007, 2408, etc.

Expositio textus.

Can. 1908. — Q. *In quibus causis et an semper possint partes* 687. *adigi ad aliquid solvendum titulo expensarum iudicialium.*

R. **In causis contentiosis possunt partes adigi ad ali-**

quid solvendum, titulo expensarum iudicialium, nisi ab hoc onere eximantur ad normam can. 1914-1916.

In causis contentiosis: tantum : nam in criminalibus, actor seu accusator, cum sit promotor iustitiae, non potest adigi, et planum est : reum vero adigere dedecet et nefas est. — . . . **partes**: etiam in causa boni publici, v. g. matrimoniali. — . . . **iudicialium**: recole dicta in **n. 684.**

Can. 1909. — *De pecunia pro expensis taxanda, et de eadem, vel cautione penes cancellariam deponenda.*

688. Q. I. *Regula taxarum* 1) *a quo praefinienda est ; et* 2) *quaenam exprimere debet ?*

R. ex § 1. **Concilii provincialis, vel conventus Episcoporum est taxarum notulam ac regulam statuere in qua praefiniatur quid partes debeant pro expensis iudicialibus ; quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda ; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus ; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate ; itemque pro exscribendis ex archivo documentis.**

Concilii provincialis . . . statuere: quae regula vel notula non cadit sub praescripto c. 1507, § 1, circa necessitatem approbationis S. Sedis, nam illud praescriptum respicit actus iurisdictionis voluntariae et rescripta S. Sedis.

689. Q. II. *Utrum, a quo, quando et qua summa possit iudex exigere ut ante iudicium vel aliquem actum iudicialem cautionem praestet de solvendis expensis.*

R. ex § 2. **Potest autem iudex pro suo prudenti arbitrio exigere ut pecunia pro iudicialibus expensis, pro indemnitate testium, pro honorariis peritorum debita a parte quae petit vel, si iudex ex officio agat, ab actore, antea deponatur penes tribunalis cancellariam aut saltem congrua cautio praestetur pecuniam deinde solutum iri.**

. . . pro suo prudenti arbitrio: haec verba respiciunt causam quae depositum aut cautionem possit reddere necessaria, necnon summam pecuniae praefiniendam : utrumque autem relinquitur aestimandum a iudice. — **. . . debita a parte quae petit**: seu expostulat actum, pro cuius expensis iudex prudenter aestimat pecuniam esse deponendam vel cautionem praestandam. Itaque, initio iudicii, pecunia forte deponenda vel cautio praestanda pro expensis introductionis causae debentur semper ab

actore, quia ipse est qui petit actum vel actus introductorios; in progressu iudicii, si quae summa a iudice aestimatur deponenda pro expensis itineris et alimentorum alicuius testis vel omnium testium a reo inductorum ad normam can. 1759, § 1 et 1761, § 1, pecunia debetur a reo: et sic de ceteris. — ... **si iudex ex officio agat, ab actore** (debita): utputa, si ad complendam aliquam probationem, sive ab actore sive a reo exhibitam, iudex inducat *ex officio*, aliquem testem in causis boni publici (c. 1759, § 3), vel decernat exhibitionem instrumenti originalis (c. 1821, § 1): in his, igitur, et similibus casibus pecunia aut cautio debentur semper ab actore. — ... **aut saltem congrua cautio**: v. g. alicuius rei hypotheca aut pignoratio, tituli nummularii depositio in capsa tribunalis, fideiussio ex parte personae certo divitis et indubiae honestatis, etc.

Can. 1910. — Q. *Uter litigantium teneatur reficere,* 1) *ex-* **690.** *pensas, regula generali,* 2) *forte damna.*

R. I. ex § 1. **Victus victori iudiciales expensas regulariter reficere tenetur tum in causa principali tum in incidenti.**

... **regulariter**: ob exceptiones quae statuuntur in § 2, et in duobus canonibus sequentibus.

R. II. ex § 2. **Si actor vel reus temere litigaverit, etiam ad damnorum refectionem damnari debet.**

... **temere litigaverit**: id est, si iustam seu probabilem causam litigandi non habuerit. « Habet vero quis probabilem causam litigandi, quando ius revera obscurum erat, nec sine controversia (hoc est, sine iudicio, ni fallor) declarari poterat. Sed haec est quaestio facti, quae pro casibus peculiaribus determinatur arbitrio iudicis. In dubio vero an litigans victus iustam habuerit litigandi causam, haud minus, praesumitur iustam causam non habuisse » (1). — ... **etiam**: id est praeterquam ad refectionem expensarum.

Can. 1911. — Q. *In quibus causis, quomodo, et sub qua* **691.** *conditione valeat iudex recedere a regula generali* (*canonis* 1910) *circa expensas.*

R. **Si actor vel reus partialiter tantum succubuerit, aut lis agitata fuerit inter consanguineos vel affines, aut de quaestione valde ardua actum fuerit, aut quacunque alia**

(1) Lega, *De Iudic.*, Vol. I, n. 670; Reiff., *De sent. et re iud.*, n. 180.

iusta et gravi de causa, poterit iudex pro suo prudenti arbitrio ex toto vel ex parte inter litigantes expensas compensare; idque debet exprimere in ipso sententiae tenore.

...pro suo prudenti arbitrio: nam ab eius pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio, sed tantum *oppositio*, accepta in sensu c. 1913. — **...idque debet exprimere...:** videlicet, qualiter expensas compensaverit et ob quas causas; quorum expressio est necessaria pro casu appellationis, si forte fiat ad normam c. 1913, § 2.

692. **Can. 1912.** — Q. *Si plures mereantur ad expensas condemnari, utrum damnatio debeat fieri in solidum, an pro rata.*

R. **Si plures sint in causa qui condemnationem ad expensas mereantur, iudex eos damnet in solidum, si agatur de obligatione solidali; aliter pro rata.**

...de obligatione solidali: veluti ea quae incumbit v. g. *a*) debitori principali et debitori fideiussori; *b*) ei qui mandavit et ei qui exsecutus est crimen (c. 2209, § 3) ex quo actio contentiosa oriatur (c. 2210, § 1, 2°), etc.

693. **Can. 1913.** — Q. *A pronuntiatione circa expensas* 1) *quodnam remedium conceditur loco distinctae appellationis;* 2) *utrum detur appellatio indistincta, idest, implicita in appellatione a pronuntiatione principali.*

R. I. ex § 1. **A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars quae se gravatam putat, oppositionem intra decem dies facere potest coram eodem iudice; qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare ac moderari.**

...distincta appellatio: id est, appellatio separata ab appellatione, si quae competit a pronuntiatione seu sententia super causa principali. — **...oppositionem:** quo nomine recte vocatur hoc remedium contra eam partem sententiae definitivae respicientem expensas, utpote quod non est *appellatio* quia proponitur coram auctore taxationis, nec *querela nullitatis* quia impugnat iustitiam taxationis, non validitatem.

R. II. ex § 2. **Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas.**

CAPUT II.

De gratuito patrocinio, aut expensarum iudicialium deminutione.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis, et huius capitis.* 694.

R. Cum in capite praecedenti praescriptum sit partes adigi posse ad solvendum aliquid titulo expensarum iudicialium et pro honorariis advocatorum, iuxta mensuram et regulam a Conciliis Provincialibus vel Coetibus Episcoporum praefiniendas, imo posse cogi ad pecuniam ante iudicium deponendam; ast vero non raro eveniat alterutrum vel utrumque litigantem esse imparem solvendo omnes expensas aut ullas, et tribuendo honoraria advocato debita, legislator, nolens iura pauperum manere indefensa, apponit caput *de gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium deminutione.* His praescriptis, definitiva et deinceps universali forma perficit *institutum defensionis iudicialis pauperum*, Ecclesiae ipsae coaevum, quamvis pro varietate temporum ac locorum diversum.

Q. II. *Institutum iuridicum gratuiti patrocinii ante promulgationem Codicis.* 695.

R. Ecclesia vero, ait Lega (1) sententiam unanimem canonistarum et historicorum referens, « usque sibi attribuit causam pauperum et miserabilium personarum, eisdem ius concedens deferendi suas causas, quasi vi privilegii, ad forum ecclesiasticum, ubi adversus potentiores personas, facile et efficax patrocinium nanciscerentur ». « Maximae laudi, prosequitur in nota, vertit Ecclesiae ipsam semper cordi habuisse pauperum defensionem: cf. S. Ambrosium († 387), *De offic.* II, 29; can. 10, caus. 23, q. 3 (Conc. Carth. V, a. 401) ubi *De defensoribus pauperum. — De foro ecclesiastico privilegiato pro miserabilibus personis*, cf. cc. 11, 15, *De foro comp.* X, (II, 2), 26 *De verb. signif.*, X, (V, 40) ».

Tanquam specimen statutorum particularium in diversis

(1) *De Iudic.*, Vol. IV, n. 244.

mundi locis vigentium necnon referentium quoad substantiam praxim omnium temporum et locorum, sufficiat transcribere statutum pro Provincia Romana, a Benedicto XIII conditum in Concilio Romano a. 1725. « Cap. III. — *Procurator et advocatus pauperum in qualibet civitate ab Episcopis constituantur.* — Regale ab Episcopis honoratur Sacerdotium dum in populis iudicium et iustitiam faciunt; et Pontificali, quo fulgent, imperio, oppressos a calumniatoribus sublevantes, pauperibus etiam, viduis, peregrinis, pupillis et orphanis, paratum ita contra potentes, a quibus illi facilius opprimuntur, auxilium exhibent, et protectionem, ut non solum iis cito subveniant exorantibus, sed et solliciti semper sint et vigiles, ne opprimantur.

« Quocirca Episcopos in Domino adhortamur, ut unum, aut plures, si id exposcat necessitas, et vires suppetant, in eorum civitate Pauperum Procuratores vel Advocatos, pios, probos, et doctos, qui miserabilium causas personarum, tam in criminalibus quam in civilibus gratis defendant, lis quamvis sit coram iudice laico mota. Ut autem quam felicius id assequi possint Episcopi, curent in eadem ipsorum civitate erigi Confraternitatem S. Ivonis, hac in nostra alma Urbe, magno cum pauperum solatio, institutam, atque ad illius exemplar, personas aeque pias ac doctas eidem aggregari; quae proprio labore, industria et eleemosynis, proximi miseriis succurrant, et pro eis apud Episcopos, miserabilium Patres, fiducialiter agant, ut eisdem paternae ac sacerdotalis ostendant viscera caritatis ».

Expositio textus.

696. **Can. 1914.** — Q. *Quandonam ius habeant pauperes ad gratuitum patrocinium, quando autem ad expensarum deminutionem.*

R. **Pauperes, si in totum impares sint expensis iudicialibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem.**

Pauperes: Codex non determinat quinam censeri debeant pauperes: quapropter relinquitur arbitrio prudentis iudicis determinare in singulis casibus cuinam exemptio totalis, cuinam deminutio expensarum, maior vel minor, sit concedenda. Iure civili Hispaniae reputantur pauperes, cum optione ad gratuitum patrocinium, omnes illi: *a*) qui mercede eventuali sustentantur; *b*) quorum emolumenta, ex quocunque fonte proveniant, non superant duplum mercedis opificis manualis; *c*) qui victum sibi procurant ex fructibus industriae aut commercii pro quo-

rum exercitio solvunt taxam certa summa inferiorem..... (1). Puto autem hanc regulam non amplius valere paulo abhinc tempore, saltem in quampluribus locis; cum opifices manuales mercedem obtineant quae longe superat emolumenta personis ordinis medii socialis suo labore obvenientia.

Can. 1915. — *De requisitis ad exemptionem vel deminutionem quoad expensas obtinendam.*

Q. I. *Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, a) quomodo eam postulabit; b) quid et quomodo demonstrabit circa ipsius personam et bona; c) quid probare debet circa causam seu litem?* 697.

R. I. ex § 1. **Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, eam a iudice postulare debet, dato supplici libello, allatisque documentis quibus quae conditio sit postulantis quaeve eius rei familiaris copia demonstret; praeterea probare debet se non futilem neque temerariam causam agere.**

... **supplici libello:** actis adnectendo. Nullum autem dubium quin sufficiet aliquando petitio oretenus facta, in scriptis tamen statim redigenda, ut ostenditur ex locis huic parallelis, scilicet c. 1711, § 2, 1838. — ... **documentis:** quo nomine veniunt hic, ni fallor, attestationes subscriptae a personis quae ratione officii, v. g. parochi, praefecti civilis, etc., aut alterius, qui ob specialia adiuncta perspectam habeant tum *postulantis conditionem* tum *eius rei familiaris copiam*, et super utraque deponant non *de credulitate* sed *de scientia*, rationem suorum dictorum reddentes adnectendo, vel saltem fideliter transcribendo documenta vel particulas documentorum sive publicorum sive privatorum eadem dicta comprobantium, ex. gr. tesseram qua constet postulantem ad aliquod opificium pertinere et ab eodem determinatam mercedem accipere, syngraphan qua appareat summa ab eo solita solvi tamquam annuum vectigal, etc. (ex his enim ostenditur tum conditio postulantis, tum eius rei familiaris copia). — ... **demonstret:** id est, documenta debent continere et probare talia adiuncta, quae fidem iudici faciant de vera conditione postulantis et de eius rei familiaris, ex quibus possit morali certitudine coniicere utrum postulans sit vere pauper vel expensas solvendo impar, et quo gradu. — ... **probare debet:** informatione summarissima, sed sufficienti. — ... **non futilem:**

(1) *Ley de Enjuic. crim.*, art. 123.

qualis esset causa cuius decisio nonnisi ob vanum honorem peteretur. — ... **neque temerariam**: id est, causam levi fundamento innixam, quamvis iustam in se.

698. Q. II. *Iudex, a) quid facere debeat ante postulationem admittendam vel reiiciendam; b) an concessionem revocare valeat.*

R. ex § 2. h. c. **Iudex postulationem nec admittat nec reiiciat, nisi requisitis, si opus sit, notitiis etiam secretis quibus statum rei familiaris ipsius postulantis compertum habere possit auditoque promotore iustitiae; imo concessam potest etiam revocare, si in decursu processus assertam paupertatem non adesse compertum habuerit.**

... **si opus sit**: et quidem saepissime et fere ordinarie opus est; nam experientia ostendit litigantes facillime obtinere attestationes de eorum inopia, maxime si praevideatur iudicem non fore severum in exigendo documenta attestationes comprobatura, aut sollicitum in requirendis aliunde notitiis super veritate et authenticitate praedictorum documentorum. — ... **auditoque promotore iustitiae**: quia interest boni publici ut veri pauperes valeant iura sua gratis vindicare aut defendere in iudicio, falsi autem pauperes non fruantur opibus Ecclesiae quae veris pauperibus destinantur. — ... **potest etiam revocare**: quae facultas est utilissima tum ad reparandam iniustitiam concessione commissam, tum ad praeveniendas postulationes iniustas.

699. **Can. 1916.** — Q. *Ad gratuitum patrocinium, 1) quomodo debeat iudex providere; 2) quid si advocati deficiant.*

R. I. ex § 1. **Ad gratuitum pauperum patrocinium iudex in singulis causis eligat aliquem ex advocatis in suo foro approbatum, qui ab hoc munere explendo, nisi ex causa iudici probata, sese subducere nequit, secus a iudice congrua poena, etiam suspensionis ab officio, plecti potest.**

R. II. ex § 2. **Deficientibus advocatis, iudex Ordinarium loci roget ut aliam idoneam personam, si opus sit, designet ad pauperis patrocinium suscipiendum.**

TITULUS XVII.

De exsecutione sententiae.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio tituli et ordinis.* **700.**

R. Cum iudicia forensia instituta sint ad declaranda iura *non theorice sed practice* et *cum effectu*, sententiae quae illis finem imponunt, iura litigantibus attribuendo, debent quantocius exsecutioni mandari; et quidem non privata partium auctoritate, quod saepe esset periculosum, aliquando vero inhumanum, maxime in criminalibus, sed publica auctoritate: hinc Titulus Codicis continens leges *De exsecutione sententiae*. Quae leges convenienter ultimo loco inter iudiciales ponuntur, post canones *De iuris remediis contra sententiam*, et non immediate post canones *De sententia;* quia exsecutio sententiae non habet locum regulariter nisi postquam praedicta remedia adhibita fuerunt, aut tempus pro iis adhibendis lapsum est, unde sententia transierit *in rem iudicatam*.

Q. II. *Divisio.* **701.**

R. Ratione *obiecti*, alia est *in bonis*, alia *in persona*, ut carceratio; alia si agatur de *actionibus realibus*, alia si de *personalibus*. Ratione *potestatis*, alia est *ordinaria* seu *mera*, alia *extraordinaria* seu *mixta* cum facultate cognoscendi aliquantulum de merito causae: quae quidem nunquam praesumitur. Ratione *subiecti passivi*, alia est *voluntaria*, alia *coacta*, per pignora, sequestrationes, etc.

Q. III. *Vetus disciplina.* **702.**

R. Sequentibus continebatur: *a*) Sententia statim exsecutioni debebat mandari nisi obstaret appellatio *in suspensivo; b*) quamplures erant appellationes *in devolutivo* tantum, et ideo non fuit necessaria *exsecutio sententiae provisoria* quae inducitur Codice: *c*) exsecutio facienda erat *immediate* in actionibus realibus, *intra quadrimestre* in personalibus; *d*) exsecutionem valebat perficere auctor sententiae ordinarius, etiam auctor sententiae appellatae si reformaverat eam, aliter probabilius non, (quoad delegatos ab alio quam a S. Pontifice res non erat pa-

cifica); *e*) exsecutio facienda erat prius in re ipsa si exstabat, deinde in mobilibus minus ad vitam necessariis, tandem in immobilibus; *f*) brachium saeculare, si ad exsecutionem opus erat, invocabatur etiam contra clericum; *g*) ab exsecutore non dabatur appellatio nisi modus in exsecutione excederet; *h*) clerici gaudebant duplici privilegio, altero quod dicebatur *competentiae* ex cap. *Edoardus*, § *De solut.* X, II, 23, vi cuius in actionibus personalibus non criminalibus nec dolosis non poterat cogi ad cedendum *bonis;* alterum ex tit. 29 *De clericis peregrinantibus*, seu potius *Eugenianum*, ex Const. Eug. IV, 3 *De priv. int. extrav. com.*, vi cuius Roma peregrinantes vel Romam venientes litigandi causa protegebantur in suis bonis contra sententias Ordinariorum; *i*) merus exsecutor, licet de merito nequiret cognoscere, poterat tamen et debebat resistere exsecutioni sententiae manifeste invalidae aut iniustae.

Quoad *ordinem* servandum in exsecutione sententiarum utiliter recolitur decretum Conc. Trid. sess. XXV, cap. 3 *De reform.*

Expositio textus.

Can. 1917. — *De sententiis exsecutioni aptis.*

703. Q. I. *Utrum exsecutioni mandari possint omnes sententiae firmae, seu quae transierint in rem iudicatam.*

R. ex h. c., § 1. **Sententia quae transiit in rem iudicatam, exsecutioni mandari potest.**

Sententia : quaelibet. Attamen ob omnimodam paritatem rationis, et quia haec derivat a lege naturali, tenemus esse usque subaudiendam limitationem quam legislator expressit in c. 1699, § 3, et facultatem imo obligationem ibi iudici impositam suspendendi exsecutionem si **aliquod occurrat periculum.** — **...potest:** videlicet, est apta exsecutioni, et proinde ex ea nascitur *actio iudicati* seu *rei iudicatae*, id est, ius parti, cui favet, competens ad postulandam exsecutionem; sed, iuxta can. 1918, **non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis decretum habeatur.** Et notandum est sententias *absolutorias* non indigere exsecutione, nec proinde decreto exsecutorio.

704. Q. II. *Utrum solae sententiae firmae mandari possint exsecutioni, an vero et in quibus casibus et sub qua conditione valeat iudex aliarum exsecutionem provisoriam iubere.*

R. ex § 2. **Iudex tamen potest sententiae, quae non-**

dum transiit in rem iudicatam, provisoriam exsecutionem iubere :

1° Si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis ;

2° Si alia gravis urgeat necessitas, ita tamen ut, concessa provisoria exsecutione, per cautiones, fideiiussiones aut pignora satis consultum sit indemnitati alterius partis casu quo exsecutio revocanda sit.

Can. 1918. — Q. *Utrum sententia firma sit titulus exsecutorius, an vero insuper decretum exsecutorium habendum sit, et a quo edendum, et quale, et ubinam.* 705.

R. **Non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis decretum habeatur, quo scilicet edicatur sententiam ipsam exsecutioni mandari debere ; quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.**

... **iudicis:** non illius qui sententiam exsecuturus est ad normam c. 1920, sed illius qui eam tulit, ut patet ex verbis **vel in ipso sententiae tenore includatur ...** — ... **pro diversa causarum natura:** utputa, in sententiis quarum exsecutio est simplex, decretum exsecutionis in ipso sententiae tenore includitur, in illis vero quarum exsecutio est implexa, decretum separatim editur determinando singula in exsecutione peragenda.

Can. 1919. — Q. *Si inter decretum et exsecutionem redditio rationum sit exhibenda, qualis causa habetur? quisnam de ea cognoscet, et qua forma?* 706.

R. **Si sententiae exsecutio praeviam rationum redditionem exigat, causa incidens habetur, ab illo ipso iudice, servatis de iure servandis, decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam.**

... **causa incidens:** quia eius decisio requiritur (c. 1837) antequam causa principalis definiatur *cum effectu*, id est, applicetur seu exsecutioni mandetur. — ... **servatis,** etc. : id est, regulis datis pro causis incidentibus, can. 1837-1841.

Can. 1920. — Q. *Quisnam sententiam exsecutioni mandare, et per quem mandare debeat,* 1) *regulariter ;* 2) *si praedictus Ordinarius renuat vel negligat ;* 3) *inter religiosos.* 707.

R. I. ex § 1. **Sententiam exsecutioni mandare debet per se vel per alium Ordinarius loci in quo sententia primi gradus lata est.**

... **Ordinarius loci:** id est, Episcopus aut Vicarius Capitularis, etsi de illa non cognoverint, aut ipsemet Vicarius Generalis, qui, quamvis iudicandi potestate careat, gaudet tamen potestate exsecutiva; non autem Officialis aut alius quilibet ex tribunali collegiali, nec delegatus apostolicus, nec, multo minus, delegatus inferior. Uno verbo, iure communi Codicis, iudici qui sententiam tulit non competit hoc ipso, ut iure veteri, nec eo quod sit iudex, potestas exsequendi sententiam, sed ea reservatur Ordinario **loci in quo sententia primi gradus lata est.** — ... **sententia primi gradus:** id est, primae instantiae, seu lata in prima instantia, vel pronuntiata circa determinatam quaestionem prima vice etiam a tribunali Metropolitae qua dioecesano aut a delegato Apostolico.

R. II. ex § 2. **Quod si hic renuat vel negligat, parte cuius interest instante vel etiam ex officio, exsecutio spectat ad iudicem appellationis.**

... **ex officio:** etiamsi agatur de causa privata, nam resistentia aut negligentia iudicis inferioris importat superioris contemptum, cuius reparatio interest boni publici.

R. III. ex § 3. **Inter religiosos exsecutio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit.**

Can. 1921. — *De potestate et officio exsecutoris.*

708. Q. I. *Quo sensu debet exsecutor sententiam exsequi?*

R. ex § 1. **Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet sententiam ipsam, secundum obvium verborum sensum, exsecutioni mandare.**

Exsecutor: licet sit ipse loci Ordinarius et agatur de exsecutione sententiae officialis sui aut sua. — ... **in ipso sententiae tenore,** etc.: et proinde requiritur permissio expressa (aut anticipata reservatio si auctor sententiae sit Ordinarius) et quidem in ipsa sententia, aut in decreto exsecutionis quod est pars sententiam complens. Neque hic habet locum quod de limitatione tacita diximus in com. c. 1917, v. **sententia;** nam exsecutori qua tali nulla competit cognitio, nullum examen, nulla interpretatio de merito causae, ut patet ex § 2. Quapropter,

709. Q. II. *Utrum cuivis exsecutori liceat videre de modo et vi exsecutionis, et an alicui de merito causae; quid autem si scia sententiam esse manifeste iniustam aut invalidam.*

R. ex § 2. **Licet ei videre de exceptionibus circa mo-**

dum et vim exsecutionis, non autem de merito causae; quod si habeat aliunde compertum sententiam esse manifeste iniustam, abstineat ab exsecutione, et partem ad eum qui exsecutionem commisit, remittat.

Licet ei: cuilibet, nam legislator non distinguit in hac parte, uti Doctores hactenus distinguebant inter exsecutorem *merum* ac exsecutorem *mixtum*, et docebant exsecutorem sententiae esse semper *merum*, et non licere illi cognoscere de ullis exceptionibus (1), applicantes vel interpretantes hoc sensu ius romanum (2). — **... circa modum et vim exsecutionis:** ut ecce si, quoad primum, reus exciperet res quae distrahuntur non esse ex illis quae minus ei necessaria sunt (c. 1923); aut, quoad alterum, opponeret, v. g., rem, quam exsecutor exigit pignorari, aut sequestrari, nimium superare valorem debiti ad cuius solutionem condemnatus est. Quod autem dicitur de exceptionibus circa *modum* et *vim exsecutionis* certo certius puto non esse extendendum, ad *ipsam exsecutionem* sententiae vel *impediendam* vel *moderandam*, nec proinde ad exceptiones quae a veteribus vocabantur *Senatus-consulti Macedoniani* aut *Veleiani;* quorum primo filiusfamilias poterat etiam post sententiam opponere exceptionem antea non obiectam de mutua pecunia a foeneratore accepta; altero autem mulieres incaute fideiubentes non tenebantur solvere, et si ad hoc condemnabantur, poterant suam exceptionem, seu privilegium *Senatus-consulti Veleiani* opponere ad impediendam exsecutionem sententiae.

...non autem de merito causae: id est, non licet ei, quamvis loci Ordinario, videre de exceptionibus, quae, extra casus *manifestae* iniustitiae aut nullitatis ut infra dicitur, tendant ad probandum quod causa sit *nulla* aut *iniusta* vel innitantur hypothesi *nullitatis* aut *iniustitiae* causae: ast vero si Ordinarius loci sit ipse auctor sententiae tenetur cognoscere, etiam *ex officio* (c. 1897), de nullitate, etiam non manifesta, per *modum actionis* intra terminos a iure statutos (cc. 1893, 1895); tenetur autem perpetuo si nullitas sit insanabilis et proponatur *per modum exceptionis* (c. 1893). — **...sententiam esse manifeste iniustam:** aut, a fortiori, eandem esse manifeste nullam defectu insanabili (c. 1892), aut, si ea nunquam transeat in rem iudicatam (c. 1903), adesse in promptu nova documenta (c. ibid.).

(1) Schmalzgrueber, *I. E. U.*, Tit. *De exsecut. sent.*, n. 104 sq.; Lega, *De Iudic.*, Vol. I, n. 687.

(2) Ll. 6 et 8 C. *De exsecut. rei iudic.*

— ... **eum qui exsecutionem commisit:** id est, qui sententiam tulit et decretum exsecutorium edidit, Ordinario transmittendum vel alii committendum.

710. **Can. 1922.** — Q. *Quoad terminos pro exsecutione,* 1) *quinam praescribatur quoad actiones reales;* 2) *quinam quoad actiones personales;* 3) *a quo, et in qua mensura possint mutari (termini).*

R. I. ex § 1. **Quod attinet ad reales actiones, adiudicata actori re aliqua, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.**

...**reales actiones:** quid sint, cf. **n. 295** (com. ad Tit. V, Q. VI). — ... **re aliqua:** vel aliquo iure, v. g. regendi paroeciam, vel administrandi aliquam personam moralem. — ... **tradenda est** (res immobilis aut ius): eo modo quo res immobiles et iura traduntur sive in proprietatem sive in possessionem. — ... **statim:** id est, infra tempus quam brevissimum fieri possit, ab exsecutore praefiniendum.

R. II. ex § 2. **Quod vero attinet ad actiones personales, cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, quadrimestre conceditur pro implenda obligatione.**

R. III. ex § 3. **Iudex potest terminum praescriptum vel reducere vel protrahere, ita tamen ut neque infra bimestre coarctetur, neque semestre excedat.**

Can. 1923. — *De moderamine et ordine in exsecutione servandis.*

711. Q. I. *Moderatio et ordo servandi a) in genere; b) in specie, maxime quoad clericos.*

R. ex § 1. **In exsecutione peragenda exsecutor caveat ut quam minimum damnato noceatur, eaque de causa incipiat exsecutionem a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salva honesta eiusdem sustentatione ad normam can. 122.**

... **salvis semper quae eius victui ... deserviunt:** et ideo si constet debitorem, sententia condemnatum ad tradendam creditori certam summam pecuniae, victum sibi comparare tantum ex redditibus illius summae, exsecutor prohibetur vi huius canonis sententiam exsequi. — ... **vel industriae:** ni fallor, si debitor sententia condemnatus victum sibi comparat ex ea industria. Quo in casu exsecutor nequit sequestrare, et

multo minus *sub hasta* vel alias vendere instrumenta agricola aut fabrilia ad illam industriam necessaria. — ... **salva honesta,** etc.: his verbis innovatur privilegium *competentiae* clericis concessum ex famoso cap. *Edoardus.* Quo privilegio aliquid, imo multum confertur clericis quod non competit eis vi praescripti nunc enuntiati pro omnibus fidelibus; manent enim eis salva non modo quae *ad victum* sed quae ad honorem sui status sunt necessaria.

712. Q. II. *Quid sit iudici faciendum in exsecutione privationis beneficii in clericum qui S. Sedem adierit, si sit beneficiatus a) simplex; b) curatus.*

R. ex § 2. **Ad exsecutionem privationis beneficii iudex ne procedat contra clericum qui Sanctam Sedem adierit; sed si agatur de beneficio, cui adnexa sit animarum cura, Ordinarius provideat per designationem vicarii substituti.**

... **iudex:** multo minus exsecutor, licet hic sit Ordinarius loci; quia non ad ipsum praecise qua talem sed ad iudicem spectat iudicialiter cognoscere de veritate recursus ad S. Sedem. — ... **ne procedat:** id est, decretum exsecutorium ne edat, et si iam ediderit revocet vel suspendat et suspensionem Ordinario loci aliive exsecutori denuntiet. — ... **Ordinarius:** quia ad eum non ad iudicem seu Officialem, pertinent de iure huiusmodi provisiones.

713. **Can. 1924.** — Q. *Quoad potestatem exsecutoris coercitivam eiusque usum a) quibus mediis debeat uti in primis; b) an et quomodo possit devenire ad poenas spirituales et censuras.*

R. **Exsecutor utatur prius monitis et praeceptis erga reluctantem; ad poenas autem spirituales et ad censuras ne deveniat, nisi ex necessitate et gradatim.**

Exsecutor: quicunque ille sit; semper autem debet esse clericus, cum non committatur ei nudum ministerium, sed usus potestatis ecclesiasticae coercitivae iure, id est, h. canone, conferatur. — ... **utatur:** qua exsecutor, licet potestas coactiva seu infligendi poenas non competat eidem alias. Hinc Vicarius Generalis, qui qua talis nequit, vi can. 2220, § 2, poenas aut remedia poenalia infligere, qua exsecutor sententiae iudicialis valet, vi h. canonis eisdem uti. — ... **prius monitis et praeceptis:** ad normam c. 2307, 2310. — ... **ad poenas** etc.: quas, cum praeceptum dederit, comminabitur (c. 2310). — ... **gradatim:** v. g. primum imponat privationem sacramentalium

(c. 2291, 6°); deinde suspensionem aut privationem ad tempus pensionis quae ab Ecclesia solvitur (c. 2291, 7°), aut suspensionem ad tempus praefinitum (c. 2298, 2°); postea suspensionem, censuram, praeviis monitionibus ad normam c. 2233; tandem excommunicationem. Cf. c. 1933, § 4.

SECTIO II.

De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis.

Expositio rubricae.

714. Q. I. *Ratio tractationis et ordinis.*

R. Lucidatio propositionis canonum *De Iudiciis* expostulabat ut prius traderentur normae *De iudiciis in genere*, et deinde seu seorsim normae *De iudiciis in specie;* id est, de illis speciebus iudiciorum, quibus peculiares normae debeant aptari praeter normas generales, aut contra ipsas regulas generales; nam si normae speciales proponerentur simul cum generalibus, confusio certe fieret. Hinc *Sectio II*, *De peculiaribus* etc.

715. Q. II. *Divisio materiae.*

R. Cum species desumatur ab obiecto, tot erunt normae iudiciales peculiares quot sunt iudiciorum obiecta *adeo specialia*, quae *peculiares normas* requirant pro cognitione et definitione causarum circa ipsa. Huiusmodi autem materiae sunt *duae*, et quidem ambae *Iuris Publici*, habentes intimas et quotidianas relationes ad Ius Privatum, una *criminalis* alia *matrimonialis*. Ideo Sectio continet *duos Titulos;* quorum unus inscribitur *De iudicio criminali*, alius *De causis matrimonialibus;* sed, ob rationes statim declarandas, praemittitur eis alius, videlicet:

TITULUS XVIII.

De modis evitandi iudicium contentiosum.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio et divisio Tituli; contentiones inter homines variae; diversi modi componendi lites.* 716.

R. Ad *rationem Tituli* probe noscendam praemittere oportet varias esse contentiones inter homines; alias circa *negotia iuris publici* vel potius *internationalis*, alia circa *negotia iuris privati*. Illae vel *per arma* dirimuntur *in bellis*, vel *per pacta* componuntur in *conventibus pacis*. Istae nimirum, quae versantur circa iura privata et vocari solent nomine *litium*, resolvi possunt *auctoritate publica*, id est *per iudicia forensia*, aut *privata auctoritate*, seu *per amicabilem conciliationem*. Cum autem legislator tota *Sectione I* tradiderit normas pro dirimendis litibus *auctoritate publica*, seu *mediante iudicio*, manebat ut proponeret normas pro iisdem componendis *auctoritate privata* seu *mediante conciliatione* vel *concordia* inter partes, quae vellent iudicia evitare. Hinc praesens Titulus. Qui tamen exhibet Rubricam limitatam ad *iudicium contentiosum*, quia, ut videbimus, in contentiosis tantum, et dummodo privati iuris sint, potest haberi *conciliatio*. Quia vero amicabilis seu pacifica litium compositio usque habita est *per transactionem* et *per arbitros*, inde divisio Tituli in duo capita *De transactione*, et *De compromisso in arbitros*.

Q. II. *Ratio ordinis seu connexio materiae.* 717.

R. Videtur quod materia *de conciliatione* seu *pacifica litium compositione*, utpote ordinata ad evitandum iudicium et ante huius initium intentanda, deberet praemitti materiae *de iudiciis*. Huic argumento fortasse innixus est compilator Decretalium S. Raymundus, cum praedictam materiam non digessit in Libro II, ubi *De iudiciis*, sed immediate ante ipsum, id est in postremis Titulis Libri I. Legislator noster aliter rem ordinavit, nec incongruenter, imo congruentius pro nova ratione qua tota Ecclesiae legislatio digesta est.

Attenta enim hac ratione, materia *de amicabili controversiarum compositione* est penitus aliena a tribus prioribus Libris

Codicis, et a Quinto Libro, sedem vero sibi propriam invenit in Quarto; non autem *initio* aut *in fine* Libri Quarti, quasi respiceret et afficeret omnia et singula iudiciorum genera, sed *in medio, post Sectionem I*, tradentem normas *De iudiciis in genere* quae respiciunt praecipue et directe iudicia *in materia contentiosa privata*, in quibus tantum conciliatio locum habet, et *initio Sectionis II*, exhibentis normas *De iudiciis in materia criminali et contentiosa publica* (qualis est materia matrimonialis), a quibus omnis conciliatio excluditur.

718. Q. III. *Concordiae seu conciliationis institutum ante promulgationem Codicis.*

R. Cum publicae societatis cuiuslibet maxime intersit controversias inter cives abbreviare eosque avertere a controversia forensi unde facile inimicitiae nascuntur, patet quod quaelibet sapiens legislatio pacificam litium compositionem fovere debet. Hinc « neque populis ethnicis, ait Lega (1), incognita fuit ratio amice componendi litigia per pacta conventa: Graecis et Romanis magno in honore fuerunt huiusmodi conventiones; quare Romae, prope forum, Concordiae templum dicatum fuit... Ius Canonicum (ibid. n. 4) magnopere, prout Ecclesiae indoles exspostulabat, studuit hoc in mores inducere populorum. Divus Paulus in celebri textu *Epist. I ad Corinth.* cap. VI inculcabat ut fideles a forensibus litigiis, quo magis fieri posset, abstinerent; ad controversias vero dirimendas quasi arbitros eligerent inter se sapientiores, evitatis ethnicorum iudiciis ».

Hoc salutare institutum viguisse ab Ecclesiae incunabulis ostendit Bened. XIV, *De Synodo Dioec.* L. 4, c. 2. Quantum in eo ferendo insudaverit S. Ambrosius testatur S. Augustinus, cum dicit (2): « Secludentibus me ab eius aure et ore catervis negotiorum hominum, quorum necessitatibus inserviebat ». Fere eadem de se ipso confessum fuisse S. Augustinum vidimus in comm. ad c. 1553. Ibidem retulimus textus *Constitutionum* quibus plures Imperatores christiani *laudis* seu sententiis arbitralibus Episcoporum in civilibus negotiis vim tribuerunt.

Medio aevo, hunc publicum Ecclesiae morem epistolae Decretales Summorum Pontificum exceperunt et perfecerunt; pro summa eorundem Summorum Pontificum in universos civiles

(1) *De Iudic.*, Vol. I, n. 5.
(2) *Confess.*, Lib. 6, cap. 37.

populos auctoritate, ad negotia iuris publici extenderunt. Hisce *iuris publici* contentionibus alludit Collector Decretalium inscribens Titul. 34, Lib. I, X, *De Treuga et Pace. Treuga*, quae idem sonat ac *armistitium* seu *indutiae*, inducta est ad hoc ut bella certo tempore suspenderentur. Caput 1, X, *De Treuga et Pace*, refert decretum Concil. Lateran. IV: *Treuga a quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortu solis; ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniae et a Septuagesima usque ad Octavam Paschae, ab omnibus observari praecipimus* ». Huc quoque pertinent duo Tituli Lib. V. Decretalium, scilicet, 13 *De Torneamentis*, ubi prohibebantur pugnae ad spectaculum, et 15, *De Sagittariis*, id est, qui *artem mortiferam et odibilem* (ut ibi dicitur) exercebant, iaculando sagittas ex arcubus et magna saxa ex ballistis.

Porro idipsum, quod eo tempore fecerunt Summi Pontifices publicis legibus, nunc temporis S. Pontificem Benedictum XV vidimus facientem publicis litteris, quibus (ut de minus publicis taceamus), mundiali bello, ut nunquam hactenus omnia devastante, ad pacem plus quam ter est cohortatus; conditiones pacis iustae ac duraturae proposuit, quas Supremi populorum Rectores reprobare nequiverunt; bellum, quo modo navibus subaqueis et aereonavibus aliisque terribilibus mediis fiebat, reprobavit; treugas, licet breves, ac requiem, saltem diei dominicae, quo licuit modo induxit (1).

Ad controversias quod attinet *iuris privati*, idem Collector inscripsit Titulum 36, X, *De transactionibus*, et Titulum 43, *De Arbitris;* quorum praescripta maximi momenti statim, sub Rubrica relativi Capitis, referemus.

Animadvertere iuvat quod hodie in Codicibus populorum civilium fovetur quoque *institutum amicabilis compositionis*, designatis ad hoc officialibus, qui apud Italos vocantur *iudices conciliatores*, apud Hispanos vero *iudices pacis*, et similiter apud Gallos.

(1) Cfr. folium *Fatti e non parole,* in quo, citatis relativis documentis et eorum fontibus, describuntur gesta S. P. Bened. XV in mundiali bello eiusque malis sublevandis.

CAPUT I.

De transactione.

Expositio rubricae.

719. Q. I. *Transactionis notio in genere.*

R. I. Passim, praecipue in foro, vocabula *transactio, amicabilis compositio, concordia*, indiscriminatim usurpantur (1). *Transactio*, ut vox ipsa indicat, est *actus transeundi ab actione*, nimirum, *iudiciali*, seu praetereundi et evitandi iudicium, negotium litigiosum componendo alia forma, praetermissa iudiciali. Tribus modis hactenus accepta est: 1) *Latissime*, pro quacunque negotii definitione; quo sensu loquitur l. 229 ff. *De verb. signif.: Transacta finitave intelligere debemus non solum quibus controversia fuit, sed etiam quae sine controversia sint possessa.* 2) *Late*, pro cessione gratuita vel pacto, initis ad praeveniendam controversiam super re adhuc dubia. 3) *Stricte* et *proprie*, prout est contractus onerosus litibus finiendis ordinatus, et definiri potest: *contractus quo partes, circa rem dubiam, aliquo invicem dato aut retento aut promisso finem imponunt liti iam inceptae et nondum finitae, aut litem forsitan orituram praeveniunt. — Res dubia*, et *pactio non gratuita:* en duo elementa propria *transactionis*. Sed circa verba, *aliquo dato aut retento*, notare oportet, quod ipse recessus ab alea iudicii est bonum pretio aestimabile, et proinde pactio recedendi desinit esse omnino gratuita. Unde, « pluries S. C. Concilii censuit ipsum recessum a lite esse sufficiens motivum pro adprobanda transactione vel fere gratuita » (2).

720. Q. II. *Transactionis species.*

R. Transactio dividitur:

1) In *realem* et *personalem*. *a*) *Realis* dicitur quae afficit *ipsam rem* de qua transigitur, et proinde est *absoluta*, et quoad omnes effectus transit ad heredes vel successores. *b*) *Personalis* est quae fit *de iuribus personalibus;* quapropter controversiam non dirimit absolute, sed dumtaxat *respectu transigentis*, cuius

(1) Lega, *De Iudic.*, I, 6.
(2) Lega, *De Iudic.*, I, 6, nota.

vitam non excedit (1). Cuius distinctionis exemplum et vim exhibet ius vetus cap. 5 h. t.: *Mandamus quatenus nisi praefati monachi transactionem praescriptam auctoritate Apostolica confirmatam esse docuerint, cum alias inter « personas » facta potius quam inter « Ecclesias » videatur, ne pacta inter alios acta aliis obesse patiamur*, etc. Et Item Concilium Trid., sess. VI, c. IV, et sess. XXV, c. VI, revocans huiusmodi transactiones, si a S. Sede non fuerint approbatae in forma specifica, declarat easdem obligare suos auctores, qua *personales*.

Eandem distinctionem refert Fagnanus commentans praedictum cap. 5, et haec, *quoad vim*, advertens: « Nota singulariter, transactionem, a Praelato initam super iuribus Ecclesiae, validam esse in sui praeiudicium et quandiu Ecclesiam possidebit, etiamsi superioris auctoritas non intercesserit; sed non obligare successores cum sit mere *personalis;* at hic est casus multum notabilis secundum Ioan. Andreae et alios » (2). Ipsa autem confirmatio apostolica *in forma specifica* communicat illis pactionibus vim si sint *verae concordiae*, secus si sint *donationes* aut *pacta gratuita:* « quia pactum gratuitum, ait idem Fagnanus, non est concordia; et confirmatio apostolica resolvitur in nudum privilegium quod sublatum est a Concilio ».

2) In *iuratam* vel *poenalem*, prout in maiorem eius firmitatem addatur iusiurandum aut poena conventionalis. Improbatur autem poena quae sit contra bonos mores, veluti si libertatem matrimonii constringeret (3).

Q. III. *Transactionis* 1) *subiectum;* 2) *obiectum;* 3) *effectus.* 721.

R. I. Quatenus est *contractus* nequeunt iure naturali transigere qui non possunt contrahere, ut infantes et omnes qui usu rationis habitualiter carent. Quatenus est *contractus onerosus alienationem secumferens*, nequeunt transigere qui lege positiva prohibeantur alienare. Igitur iure ecclesiastico nequeunt transigere de rebus immobilibus, vel de rebus mobilibus pretiosis, ecclesiarum et personarum moralium Rectores et Administratores, nisi *de iusta causa* et *servatis sollemnitatibus a iure praescriptis;* id est, iure veteri, nisi adessent *a*) ecclesiae necessitas vel utilitas; *b*) consensus Episcopi et Capituli Ecclesiae Cathedralis; et *c*) post Constitutionem *Ambitiosae*, *beneplacitum*

(1) Cap. 5, X, *De Trans.*, I, 36.
(2) Fagnanus, *Comm. in Ius Decret.*, Tit. 36, n. 2.
(3) Gasparri, *De Matrimonio*, Vol. I, § 59, sq.

Apostolicum. Quod beneplacitum S. Sedes solebat exprimere per S. C. Concilii; et, si adessent contradictores, edebatur in forma iudiciali (1). De causis et sollemnitatibus requisitis iure novo cf. can. 1926, 1927.

R. II. Quoad *obiectum*. 1) *Ipso iure naturae* prohibita est transactio *de re non dubia*. Hinc qui certo sciens rem dubiam non esse, transactionem proponit aut acceptat, et aliquid retinet vel recipit praetextu transactionis, indebite retinet alienum et obligatione restituendi adstringitur. Possunt videri apud Pallottini species et resolutiones S. C. Concilii in quibus initae transactiones reprobantur, quia de re non dubia. Ast dubium potest esse sive *a) de iure et de facto;* quod dubium manet donec controversia non sit finita modo legitimo, sed cessat cum sententia devenerit *res iudicata*, nisi ipse valor rei iudicatae in dubium vertatur per propositionem remedii extraordinarii *restitutionis in integrum:* sive *b) de facto* tantum; quod quidem dubium adest non modo quando ius est controversum et adhuc non definitum, sed etiam postquam fuit definitum si adversarius renuat usum iuris restituere nisi per media exsecutiva iudicialia (2).

2) *Iure quoque divino* vetita est transactio *super matrimonio* quoad illius dissolutionem, vel *de re intrinsece spirituali*, v. g. iurisdictione, vel *de re temporali inseparabiliter adnexa rei spirituali*, si in utroque casu interveniat *datio*, aut *retentio*, aut *promissio rei temporalis pro spirituali* (cf. c. 727, 1927), id est, fiat transactio vere et proprie talis.

R. III. Quoad *effectus*. 1) Transactio *finem naturaliter imponit liti motae* vel *movendae*. Proinde ea tolluntur actiones, obligationes, instrumenta quae in contrarium militant. Attamen in casu dubii circa horum valorem collatum cum valore transactionis, haec, licet fruatur favore iuris quatenus a legislatore commendatur, strictissimam interpretationem recipit.

2) *Aequiparatur rei iudicatae;* et proinde uni parti non licet, altera invita, a transactione resilire, nec immediatam exsecutionem rei transactae recusare. Nihilominus, cum transactio sit quidam contractus, potest fieri locus *a) declarationi nullitatis* ob defectum consensus, aut ob inhabilitatem transigentium aut ratione obiecti prohibiti; necnon *b) rescissioni*, vel mutuo partium consensu, vel si dolus aut metus gravis inciderint, vel si error substantialis adfuerit et error quidem potius facti quam

(1) Cfr. Lega, *De Iudic.*, Vol. I, n. 9.
(2) Cfr. Lega, *De Iudic.*, I, 10.

iuris, utputa si instrumentum, quod partem, de suo iure certam, coegit haesitare et exinde transigere, evaserit falsum.

Q. IV. *Disciplina vetus circa transactionem in re criminali.* **722.**

R. Praetermissis notis historicis quoad cetera iure mere ecclesiastico veteri statuta circa transactionem, quia vix aut ne vix quidem differunt a praescriptis Codicis, si demas ea quae ex praescripto c. 1926 consequuntur, aliquid innuamus de iure veteri quoad transactionem in re criminali.

Et quidem non convenit inter Canonistas an iure canonico ante Codicem admissa fuerit transactio in hac materia. Sententiam Hostiensis et plurium aliorum negantium amplexus est Lega (1) cum de Angelis contra Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgr. et Santi cum communi, qui, innixi legibus romanis, transactionem admitti posse docuerunt in delictis quae ius romanum vocavit *privata*, ut *furtum*, *rapina*, *iniuria*, *damnum iniuria datum*. « Atqui delicta privata, ait recte Lega, in disciplina canonica admitti non possunt. Finis enim Ecclesiae est bonum spirituale singulorum, cui bono obtinendo neve fideles neve publica auctoritas renuntiare valent (quod facerent admittendo transactionem), sed eidem obtinendo totis viribus adlaborare debent. » Hanc sententiam Codex firmavit c. 1927, § 1.

Expositio textus.

Can. 1925. — Q. *Transactio* 1) *a quo, qualiter, et in quibus* **723.** *negotiis procuranda;* 2) *quo tempore proponenda;* 3) *per quem perficienda?*

R. I. ex § 1. **Cum valde optandum sit ut lites inter fideles evitentur, iudex exhortationes adhibeat, ut cum aliqua contentiosa controversia quae privatum eorum bonum respiciat, ei proponitur iudicii forma dirimenda, per transactionem, si qua concordiae spes affulgeat, lis componatur.**

. . . **ut lites inter fideles evitentur :** haec est ratio *immediata* transactionis ; ratio *mediata* est quia litibus in foro agitatis dissidia acuuntur, odia foventur, pax perimitur. — . . . **iudex :** non autem quilibet officialis minister tribunalis, v. g. promotor iustitiae. — . . . **exhortationes :** unde sequitur transactionem nunquam esse obligatoriam nec posse imponi. Et merito, quia includit renuntiationem iuris, quae, nisi sit voluntaria,

(1) *De Iudic.*, I, 11.

non concipitur. — ... **contentiosa** (controversia): non autem criminalis, quia in hac non admittitur transactio ut dicitur c. 1927. — ... **controversia**: quae quidem subaudit rem dubiam, nam de re aut iure indubiis nemo disputat. Unde sequitur transactionem debere esse semper de re dubia; ita ut si vel ob ignorantiam alterutrius transigentis vel ob fictionem et fraudem alterius fiat transactio de re certa est invalida iure naturali ex defectu consensus, ut fusius explicatum est supra, **n. 721.** — ... **privatum eorum bonum**: his verbis praescribitur transactionem admitti posse tantum in causis iuris seu boni privati, sed esse excludendam in causis boni publici, etiam mere ecclesiastici, utputa in causis minorum, et eorum qui iure minorum gaudent, quales sunt ecclesiae ceteraeque personae ecclesiasticae morales (c. 99) etenim ius publicum non subest pactis privatorum. Idcirco Praelati, Rectores vel Administratores personarum moralium, si, non observatis sollemnitatibus iuris ad normam can. 1530-1532, transegerint, se ipsos obligant non illas personas, ut iure veteri declaratum fuit (cf. **n. 721**).

R. II. ex § 2. **Huic officio iudex satisfacere poterit sive antequam partes in iudicium vocentur, sive cum primum iudicio steterint, sive denique quocunque tempore et efficacius et opportunius id tentari posse existimaverit.**

R. III. ex § 3. **Convenit tamen dignitati iudicantis ne ipse per se, regulariter saltem, hoc negotium suscipiat tractandum, sed ut illud alicui sacerdoti, praesertim ex iudicibus synodalibus, committat.**

724. **Can. 1926.** — Q. *Normae servandae in transactione.*

R. **In transactione serventur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri divino vel ecclesiastico adversentur et salvo praescripto canonum qui sequuntur.**

... **a legibus civilibus loci**: quemadmodum in can. 1529 praescriptum est quoad omnes contractus in genere et in specie. Et merito, nam contractus versari solent circa res temporales, quae congruenter reguntur legibus latis ab auctoritate prosperitati et rebus temporalibus consulente, et quidem legibus civilibus loci, cum huc maxime spectet illud principium, *locus regit actum*. — ... **nisi ... sequuntur**: haec clausula, duabus propositionibus coalescens, copulatis particula **et**, indicat quod in can. 1927 non recensentur omnes casus in quibus transactio vetita est iure divino aut ecclesiastico.

Can. 1927. — *De causis in quibus prohibetur, et de rebus de quibus permittitur transactio.*

Q. I. *Qualiter prohibetur transactio a) in causa criminali;* **725.** *vel b) de matrimonio; aut c) de materia beneficiaria; aut d) de rebus spiritualibus?*

R. ex § 1. **Transactio fieri valide nequit sive in causa criminali, sive in contentiosa in qua agitur vel de matrimonio dissolvendo, vel de materia beneficiaria, cum de ipso beneficii titulo disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas, nec de rebus spiritualibus quotiescunque interveniat solutio rei temporalis.**

...**in causa criminali**: quia, cum finis Ecclesiae sit spirituali saluti singulorum prospicere, non admittuntur iure canonico *delicta privata*, ut admittebantur nonnulla iure romano et veteri germanico, necnon hodierno iure italico (C. P. art. 372, § 2) ratione parvitatis materiae; sed omnes causae criminales sunt *iuris publici*, excepta tantum, et, certo quodam modo, causa iniuriarum aut diffamationis inter laicos (can. 1938, § 1). Quapropter iure Codicis (c. 1934) **actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur,** etiam in ipso crimine iniuriarum inter laicos, et praedicta accusatio sufficit ad hoc ut Ecclesia valeat, nullius instantia requisita (praeterquam in praefata causa inter laicos), in delinquentem procedere ad ipsius emendationem vel ad tollendum scandalum aliorum; aut, e contra, valeat a processu proprie iudiciali libere abstinere, si aliter bono publico et delinquentis possit consuli, ad normam c. 1947. Iam transactio a promotore iustitiae inita cum delinquente obesset fini Ecclesiae et esset graviter criminosa; nam ipse proderet officium publicum, in eo praecipue consistens quod crimina persequatur et criminales accuset, ut, correptione sive paterna sive iudiciali, vel etiam criminali iudicio adhibitis, in meliorem frugem reducantur. Neque habetur exceptio huic regulae ex c. 2218, § 3, ubi dicitur **mutua iniuria compensatur, nisi** etc.; etenim illa compensatio non provenit ex voluntate partium sed ex ipsa rei natura, et ideo non est transactio.

...**de matrimonio dissolvendo**: etenim matrimonium est iure divino indissolubile, sive sit *consummatum* sive sit tantummodo *ratum*. Quod si matrimonium ratum dissolvitur ingressu in Religionem, et dispensari potest a Summo Pontifice, in utroque casu non habetur effectus transactionis inter coniuges, sed

dispensationis divinae legis, aut vi ipsius iuris canonici aut voluntate Vicarii Iesu Christi etiam contra voluntatem alterutrius coniugis. Dicit legislator, **de matrimonio dissolvendo**; id est, vinculo matrimoniali dissolvendo, nam quoad dissolutionem consortii coniugalis, vel separationem tori, mensae et habitationis, admittitur amicabilis compositio, modo ne controveniat normis ab Ecclesia statutis, praecipue in c. 1128, seq.

... **de ipso beneficii titulo**: quia cum beneficium sit munus publicum, receptio ad illud vel reiectio ab eodem non potest esse effectus transactionis privata auctoritate initae, etiamsi detur aut retineatur aliquid spirituale, sed iniunctionis aut permissionis publica auctoritate proditae (1). Inde reg. iur. in VI°: *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione ecclesiastica obtineri* (2); et praescriptum Codicis nostri: **transactio fieri valide nequit ... nisi legitima accedat auctoritas.** Ast vero alia iura quae beneficiato cohaerent qua tali, seu innituntur titulo beneficii, v. g. circa redditus ex eo provenientes, possunt venire in transactionem et pacta iuxta regulas iuris, aut generales aut speciales.

... **nec de rebus spiritualibus:** scilicet, spiritualibus intrinsece, v. g. administratione sacramentorum, exercitio ecclesiasticae iurisdictionis, largitione indulgentiarum, concessione consecrationis, etc., **quotiescunque interveniat solutio rei temporalis;** etenim hoc esset **studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem...** et **simonia iuris divini** (c. 727, § 1).

Nota. Recolatur quod, vi c. 1534, Ecclesiae competit actio contra indebite alienantes, et c. 2347, § 3 infliguntur poenae in eosdem.

726. Q. II. *An et quomodo transactio fieri possit, si quaestio sit a) de bonis ecclesiasticis mere temporalibus; aut b) de rebus temporalibus separabiliter adnexis spiritualibus.*

R. ex § 2. **Sed si quaestio fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt, transactio fieri potest, servatis tamen, si materia id postulet, sollemnitatibus a iure statutis pro alienatione rerum ecclesiasticarum.**

(1) Argum. cap. X, 12, X, *De foro comp.*, II, 2.
(2) Cfr. cap. 3, X, *De Inst.*, III, 7.

... bonis temporalibus ecclesiasticis : id est, quae *a*) non sunt beneficialia seu non constituunt *dotem* alicuius beneficii (c. 1409, 1410), nec *b*) sunt sacra, seu **consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata** (cf. c. 1497, § 2 et com. ad c. 1553). — **... rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt ;** et solent dici *separabiliter adnexae*, quales sunt, v. g. quaestiones de fructibus beneficii, de exsecutione contractus iuramento confirmati et aliae de quibus factus est sermo in com. ad c. 1553, **n. 44. — ... servatis tamen, si materia id postulet**, etc.: id est, si agatur de re temporali immobili, aut mobili pretiosa.

Can. 1928. — Q. *Transactionis* 1) *effectus quomodo vocatur ?* 2) *expensas quis solvet?* 727.

R. I. ex § 1. **Effectus transactionis ad exitum feliciter perductae dicitur** *compositio* **seu** *concordia.*

R. II. ex § 2. **Expensarum, quas transactio postulaverit, nisi aliud expresse cautum sit, utraque pars dimidium solvat.**

CAPUT II.

De compromisso in arbitros.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis.* 728.

R. Inter *iudicium*, quod est modum dirimendi lites *auctoritate publica*, et *transactionem*, quae constituit modum componendi eas *auctoritate privata* et sola voluntate propria contendentium, adest quasi medius alius modus, qui dicitur sive *arbitrium*, id est, iudicium aut *sententia arbitrorum*, sive *compromissum in arbitros :* quo, nimirum, lites componuntur auctoritate privata litigantium, sed dependente a voluntate aliorum, qui dicuntur *arbitri*, in quos ipsi *compromittunt*, idest definitionem controversiae illis committunt a committentibus acceptandam. Congruenter igitur legibus *De iudiciis in genere* et *De transactione* succedunt normae *De compromisso in arbitros.*

Q. II. *Arbitrorum notio et divisio* 1) *iure veteri ; 2) iure Codicis.* 729.

R. I. *Arbiter*, iure romano antiquo, dicebatur saepe iudex

a praetore datus, aut aequus existimator (1). In Digesto adest appositus Titulus *De receptis qui arbitrium susceperunt ut sententiam dicant;* et in Codice Iust. *De receptis arbitris.* Porro *receptum* significabat pactum quo quis acceptabat compromissum decidendi in se factum. Iure canonico *arbiter* dicebatur stricto sensu persona idonea, sive voluntate litigantium (*arbiter compromissarius* seu *voluntarius*) sive imperio legis (*arbiter iuris* seu *necessarius*) constituta, quae rem controversam ad instar iudicis seu iudicialiter definiat per sententiam sive *laudum*, cui compromittentes stare debebant, remota appellatione. Lato sensu dicebatur arbiter, sed proprio sensu *arbitrator* ille compromissarius voluntarius cui controversia committebatur definienda ad *instar boni viri*, id est probi et periti, et proinde *ex aequo et bono*, *et extraiudicialiter*, et per sententiam appellabilem quae vocabatur *arbitramentum*. Ex quibus patet quid esset *compromissum in arbitros*, sive *necessarium*, sive *voluntarium*, tum *strictum* vel *proprium*, tum *latum* et *improprium*.

R. II. Notio compromissi, et divisio arbitrorum iure Codicis, habetur in c. 1929.

730. Q. III. *Notae historicae circa institutum arbitrale.*

R. Quod iam *apud Indianos et Graecos* viguerit *arbitrorum institutum* edocet Mattirolo (2). — Quoad *veteres Romanos* huc spectare videtur quod scripsit Cicero (3): « Neminem voluerunt maiores nostri, non modo de existimatione cuiusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima, iudicem esse nisi qui inter adversarios convenisset ». Constantinus Magnus, cum Imperii romani administrationem ordinaverit, morem christianorum adeundi Episcopos tanquam arbitros convertit in legem civilem suis const. a. 321, 331, etsi una pars tantum Episcopum invocaret. Sed iure praecipue Iustinianeo idem institutum accurate explicatum fuit in Digestis, titulo *De receptis* etc., supra citato, et in Codice *De receptis arbitris.* Quantum iure canonico consultum fuerit eiusdem instituti normis perficiendis et praxi promovendae patet ex Tit. Decretal. 43, *De arbitris.*

« *Ius Germanorum antiquum*, ait Lega (4), praecipue innixum et informatum iuri familiarum habuit sibi connaturale systema arbitrale: probat Schupfer (*op. cit.*, Lib. III). In Italia,

(1) Lib. 19, § 1 ff. *De comm. dividendo.*
(2) *Trattato di Diritto Giudiz. Ital.*, I, pag. 619.
(3) *Pro Client.*, 13.
(4) *De Iudic.*, I, 16.

per mediam aetatem, constitutiones municipales maxime favebant iudiciis arbitralibus: cf. Pertile (*Storia del Diritto Ital.*, vol. VI, *Procedura*, § 216). »

« *Iure hodierno*, ait idem, apud civiles nationes compromissum in arbitros maximo habetur in honore et plus minusve urgetur ». Neque in iure privato tantum, verum etiam in iure publico internationali. Sufficiat indicare compromissum receptum a S. Pontifice Leone XIII anno 1886 in discordia inter Hispaniam et Germaniam super possessione Insularum Carolinarum.

Ad Ecclesiam quod attinet, iam primis saeculis confirmatus est canonibus Conciliorum antiquus mos ab Apostolo inductus confugiendi ad arbitros, ut patet ex c. 10 Conc. Hippon. (396), c. 13 Conc. Carthag. (418) etc. Quantum vero Summi Pontifices incubuerint huic mori firmando et opportunis regulis perficiendo ostenditur abunde ex Tit. 43 Lib. Decretal. *De arbitris*. Porro, etsi Ecclesia in instituto arbitrali leges romanas saepe canonizaverit ut praecipue apparet ex cap. 10, X, *De arbit.*, I, 43, nihilominus eas iam medio aevo quandoque correxit aut mutavit, ut videre est in cap. 2 *De arbit.* in VI°. Serius coepit hoc institutum minus frequenter applicari, praecipue quoad *arbitros iuris* seu *necessarios*. Hanc postremam praxim excipiens legislator in Codice, usum arbitrorum nullo in casu iniunxit, sed relinquit omnino liberum ut constat ex c. 1929 ; quoad normas vero, cum arbitrium sit quidam contractus, se remittit ad leges civiles, servatis servandis.

Expositio textus.

Can. 1929. — Q. *Ad evitandum iudicium, a) utrum partes,* 731. *et quaenam, possint aut aliquando debeant inire compromissum in arbitros ; b) quotupliciter possint procedere compromissarii ; et c) quo nomine appellentur in quolibet casu.*

R. **Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt quoque inire conventionem, qua controversia committatur iudicio unius vel plurium qui ad normam iuris quaestionem dirimant, vel de bono et aequo negotium pertractent et transigant; illi** *arbitri*, **isti** *arbitratores* **proprio nomine appellantur.**

. . . **partes**: *ordinario* quaelibet, si agatur de compromisso in arbitros proprie tales, quia, cum hi debeant quaestionem dirimere ad normam iuris, pars generatim nulli iuri renuntiat; si autem iure civili loci secumferat renuntiationem alicuius iuris, v. g. appellationis, aut agatur de compromisso in arbi-

tratores, cum hi **de bono et aequo negotium pertractent et** revera **transigant** et generaliter absque beneficio appellationis, possunt compromittere dumtaxat partes quae transigere seu iuribus controversis renuntiare valent. — ... **possunt**: sed minime *coguntur* unquam, dum, e contra, iure veteri cogebantur *a)* in casu exceptionis iudici oppositae (1); *b)* si dubitaretur quisnam verus iudex esset ex pluribus per successivas litteras delegatis (2); *c)* in causa inter Episcopum et clericum ipsi subiectum (3).

... **conventionem**: ergo compromissum importat quendam contractum, et quidem duplicem, alium inter partes, alium inter easdem et compromissarios; et quoad utrumque requiritur in unaquaque parte capacitas diversa prout negotium definiendum committant vel arbitris vel arbitratoribus. — ... **unius vel plurium**: sive numero pari sive impari nihil refert, quamvis hoc ultimum magis expediat. — ... **ad normam iuris**: id est, ad apices iustitiae et servatis iudiciorum regulis iuris tum canonici tum civilis, ad normam c. 1930, et proinde, salvo iure appellandi, si causa aut casus ferant, et lex civilis non prohibeat in materia sibi subiecta. — ... **vel de bono et aequo**: nimirum, iuxta arbitrium *boni viri*, idest secundum aequitatem et prudentiam viri *probi* et *periti* et absque appellatione, nisi aliud caveat lex civilis in materia non ei subtracta. — ... **transigant**: id enim, videlicet facultatem transigendi, secumfert potestas collata compromissariis arbitratoribus. — ... **illi « arbitri », isti « arbitratores » ... appellantur**: at non ea potestate ac iuribus pollent quae iure veteri his nominibus adnectebantur et supra explicata sunt, **n. 729,** sed illis quae leges civiles loci caveant, ut dicitur in c. seq.

732. **Can. 1930.** — *Q. Compromissum a) quanam forma celebrari debeat; et b) in quibus causis celebrari possit.*

R. **Praescripta can. 1926, 1927 etiam compromisso in arbitros applicentur.**

733. **Can. 1931.** — *Q. Quinam prohibeantur ab arbitri munere valide gerendo.*

R. **Prohibentur ab arbitri munere valide gerendo laici in causis ecclesiasticis, excommunicati et infames post**

(1) Cap. 39, X, *De offic. Iudic. Del.*, I, 29.
(2) Cap. 14, X, *De rescript.*, I, 3.
(3) Argum. can. 46, causa 11, q. 1.

sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; religiosi vero munus arbitri ne suscipiant sine venia Superioris.

... **ab arbitri munere:** qui, nempe ad normam iuris quaestionem dirimat, minime vero qui *de bono et aequo* negotium pertractent, nam isti *arbitratores* proprio nomine appellantur (c. 1929), verba autem legis, maxime prohibitivae, debent intelligi sensu proprio. Insuper, hoc modo intelligebatur ius vetus iuxta canonistas passim. — ... **laici in causis ecclesiasticis:** quia arbitri proprie tales exercent iurisdictionem et ideo debent esse clerici. Cf. Lega et canonistas passim de arbitris. — ... **excommunicati et infames:** ob eandem rationem prohibentur. — ... **religiosi:** prohibentur, nisi habeant veniam Superioris, quia, ultra quod *non habent velle et nolle*, cum ad instar iudicis procedant, suscipiunt obligationem reparandi damnum ad normam c. 1625, quod ex aere proprio reparare non possunt, vel saltem non debent absque licentia Superioris.

Can. 1932. — Q. *Quomodo dirimenda erit controversia si nec* **734.** *in transactionem nec in compromissum in arbitros vel arbitratores partes consentire velint.*

R. **Si nec in transactionem nec in compromissum in arbitros vel arbitratores partes consentire velint, controversia dirimenda erit per formale iudicium ad normam Sectionis Primae.**

TITULUS XIX.

De iudicio criminali.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio ordinis et sensus rubricae.* **735.**

R. I. Inter iudicia habentia obiectum peculiare quod expostulat normas processuales peculiares, eminet procul dubio *iudicium criminale*, tum quia obiectum et finis immediatus valde admodum differunt ab obiecto et fine ceterorum iudiciorum etiam circa bonum publicum, tum quia ipsum iudicium est, ratione subiecti passivi, universalius prae aliis iudiciis specialibus, et, ratione usus, frequentius. Idcirco de eo primum disserit legislator.

R. II. De hoc Titulo possumus dicere, ut de nonnullis

iuris veteris dictum fuit, quod *nigrum latius patet rubro;* etenim rubrica sonat *De iudicio criminali,* textus autem continet aliquid amplius, scilicet materiam *De correptione iudiciali,* quae non est iudicium, sed adhibetur *loco criminalis iudicii* (c. 1847), postquam tamen hoc fuerit inceptum. Quod quidem hunc Titulum reddit similem, et quoad *rubricam* et quoad *sensum,* Titulo parallelo Decretalium (V, 1) qui inscribitur *De accussationibus, inquisitionibus et denuntiationibus,* id est, de tribus modis antiquis procedendi in delinquentes, quorum duo primi erant iudiciales, tertius vero non iudicialis, ut abunde ostendit Lega (1). Nec mirari oportet de huiusmodi similitudine, cum Ecclesia sit usque sibi constans, indoles autem ipsius sit ut in die irae recordetur misericordiae, id est, simul ac *poenam parat* tanquam iudicii criminalis effectum *in expiationem delicti,* ad subeundam simplicem *correptionem invitat,* tanquam *medicinam delinquentis.*

Q. II. *Iudicii criminalis* 1) *definitio;* 2) *elementa in genere;* 3) *praecipuae divisiones.*

736. *R.* I. Nomine *iudicii criminalis* intelligitur: *controversiae in re criminali, seu circa delictum et eius auctorem et relativam poenam, de quibus Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico legitima disceptatio et definitio* (Cfr. com. ad c. 1552). Vel ampliori circuito, quo singula eius elementa contineantur: *Legitima series actuum et sollemnitatum quibus controversia de crimine a partibus, seu accusatore et reo, coram tribunali ecclesiastico, super facto criminali et eius auctore ac relativa poena, sive infligenda sive declaranda, sive exsequenda proponitur et disceptatur, atque a tribunali definitur ad restaurationem ordinis ecclesiastici per emendationem rei aut per damni vel scandali reparationem* (Cfr. com. ad c. 1552). Iuvabit aliquid exponere de singulis elementis indicatis in definitione, incipiendo a *causa finali,* cum in iudiciis, velut in moralibus, ex fine mutuent suam naturam quaelibet instituta.

737. *R.* II. Igitur 1) Quoad *finem,* possumus considerare in iudicio criminali finem *intrinsecum* et finem *extrinsecum;* hunc autem tum *proximum* tum *remotum.*

A) Vocari potest finis *intrinsecus* ipse effectus eius essentialis, qui quidem est duplex, videlicet: *a*) *ens iuridicum* seu *delictum declarare* sive quoad *factum* sive quoad *imputabilitatem*

(1) *De Iudiciis,* Vol. IV, n. 110, sq.

vel auctorem, necnon *b*) *poenam infligere* pro delicto aut *eandem declarare incursam*. Ex quo non sequitur quod declaratio delictorum et poenarum, et istarum inflictio non possint fieri nisi per iudicium, nam sunt nonnullae poenae quae possunt infligi aut declarari extraiudicialiter, ut dicetur infra in expositione textus, ad c. 1933, § 4.

B) Finis *extrinsecus* est idem finis poenae, de quo acriter inter Doctores disputatur. De hoc agetur data opera in Libro Quinto; in praesentiarum sufficit, et ceteroquin opus est innuere sequentia:

a) Finis poenae est absdubio diversus in societate civili ac in Ecclesia. Quoad utramque vero asserenda sunt duo, ex Divo Thoma, ni fallimur. Primum est quod poenae finis *in genere* est *restauratio ordinis*, nam « quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit; et ideo ab ipso ordine consequens est ut deprimatur; quae quidem depressio poena est » (1). Alterum est quod, quatenus deordinationi medentur, « poenae sunt medicinales, conferentes vel ad emendationem personae peccantis, vel ad bonum reipublicae, cuius quies procuratur per punitionem peccantium » (2). At usus invaluit vocandi non *medicinales* sed *vindicativas* eas quae deordinationi sociali seu intranquillitati reipublicae medentur.

b) *In specie*, ad Ecclesiam quod attinet, cum finis eius, uti societatis, sit *sanctificatio animarum*, seu *aeterna salus fidelium*, tum *in genere*, suppeditando universis necessaria *media* inter quae sunt praecipua *ordo externus moralis*, (non praecise *ordo externus iuridicus*, seu *relationes externae iuridicae*) (3), in libero exercitio virtutum consistens, et proinde *quies communis*, vel exemptio a timore impedimentorum virtutum ac sanctificationis, necnon tollendo haec impedimenta, nimirum *scandala*, tum *in particulari*, impellendo singulos fideles ad utendum mediis salutis et fugiendum illius impedimenta, *finis poenae in Ecclesia immediatus* est *delinquentis emendatio* (c. 2215) per reversionem illius ad ordinem moralem vel reparationem damni supernaturalis proprii, necnon *delicti punitio* (ibid.), et veluti *vindicta* et *expiatio*, id est, destructio delicti, non in se ipso quippe fuit actus qui amplius non exsistit, sed in suis effectibus, per reparationem scandali aut damni erga homines. Attamen in huiusmodi vindicta includitur *ex se*, licet ab auctoritate humana

(1) II-II, q. LXXXVII, art. 1. - Cfr. Soto, *De iustitia et iure*.
(2) II-II, q. LXVIII, art. 1.
(3) Cfr. Lega, *De delictis et poenis*, edit. altera, n. 19, pag. 21, nota 1.

non intentetur *per se*, *delicti expiatio* (c. 2285) etiam quatenus est aliqualis reparatio offensae Dei, vel *iustitiae absolutae satisfactio* seu *Divinitatis placatio*, quae omnia habentur eo ipso ac potestas humana malum passionis pro malo actionis retribuit iuxta quantitatem scandali aut damni ab ipsa cogniti. Hoc arguitur ex c. 2223, § 3, 2°, iuxta quem, etiam perfecte emendato delinquente et reparato scandalo, manet adhuc iudici facultas applicandi poenam, et quia, ut ait D. Thomas (1), « homines, qui in terris super aliis constituuntur, sunt quasi Divinae Providentiae exsecutores », utique pro modulo, quo ordinem Divinae Providentiae et Iustitiae laesum esse cognoverint, eundemque in hoc mundo reparari posse aut expedire perspexerint.

Quia vero per emendationem rei obtinetur, ut dictum est, *restauratio ordinis moralis* commissa Ecclesiae a Deo, et per reparationem scandali *restauratio ordinis socialis* divinitus quoque Ecclesiae commissa, per utrumque autem *restauratio ordinis ecclesiastici*, ita dicti quia eius custodiam et restaurationem Deus commisit Ecclesiae, dicendum est quod *finis poenae mediatus* est *restauratio ordinis ecclesiastici*.

Ex quibus omnibus sequitur quod finis *extrinsecus immediatus* iudicii ecclesiastici criminalis est *delinquentis emendatio*. et *delicti punitio* vel *expiatio*, in sensu supra explicato, *mediatus* vero est *restauratio ordinis ecclesiastici*, ita dicti quia eius tuitio commissa est Ecclesiae. Porro, ordo quem Ecclesia tuetur, comprehendit : « relationes *morales*, tum hominis ad seipsum, tum hominis ad Deum, tum hominis ad alios et ad integram societatem, tum societatis ad Deum » (2), quia *lex moralis* seu *iuridico-moralis* respicit haec omnia, sed tuitio non spectat praecise et « *in primis* relationes *iuridicas externas sociales* » (ibid.) : et ideo *ordo ecclesiasticus* non consistit praecise et in primis in his relationibus, id est, hominis ad alios et ad societatem.

738. 2) *Obiectum* iudicii criminalis est duplex, vel, si mavis, triplex : aliud *remotum*, videlicet, *crimen* seu *delictum* (quae vocabula hodie indiscriminatim accipiuntur), aliud *proximum* vel *immediatum;* et hoc rursus duplex, nimirum, *actio criminalis*, si agatur de crimine in ordine ad poenam irrogandam vel declarandam, et *actio poenalis*, si agatur ad exigendum exsecutionem poenae iam irrogatae aut declaratae. Quid sit utraque actio vide in **n. 293** sq. *De actionibus;* quaenam delicta in specie

(1) *Summa contra Gentes*, L. III, cap. CXLVI.
(2) Lega, *De delictis et poenis*, edit. altera, n. 19, pag. 21, nota.

constituant obiectum remotum videbitur in c. 1933 et eius commentario.

3) *Subiectum passivum* est praecipue *reus*. In materia cri- 739.
minali *reus* dicitur *a reitate* seu culpabilitate quae in eo inter iudicandum praetenditur, post sententiam praesumitur. Reus autem dicitur quis sive argumenta reitatis directe se exhibeant ut contingit in *delicto notorio aut certo*, quae causam immediatam praebent *accusationi*, sive resultet *ex inquisitione speciali*, quae instaurata fuerit occasione *inquisitionis generalis*, vel *denuntiationis*, vel *rumoris*, etc. (Cf. c. 1939). Igitur, ante inceptam accusationem vel expletam inquisitionem specialem nemo dicendus est reus ne quidem praetensus.

Iam vero potest esse reus, et proinde subiectum passivum iudicii criminalis, quicunque sit capax delicti: est autem capax delicti quicunque est capax doli; *dolus* vero, in materia criminali, est **deliberata voluntas violandi legem, eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis et ex parte voluntatis defectus libertatis** (c. 2200, § 1). Quinam sint doli et delicti capaces, et qualiter eorum imputabilitas aggravetur, minuatur, aut omnino tollatur vide in c. 2199-2208. Tandem reus potest esse *unicus* vel *multiplex*, *principalis* aut *accessorius*, etc., etc., ut videre est in c. 2209-2211.

Accusator, id est, promotor iustitiae, necnon illi qui, ad normam cc. 1935, § 1, 1938, § 1, *querelam* instituunt **ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum,** sunt, suo quisque modo, subiectum passivum iudicii criminalis; *denuntiator* autem, seu qui solo **studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem** (ibid.) delictum manifestat iudici, non est subiectum iudicii ullo modo, ut ex dicendis patebit.

4) *Subiectum activum* est *tribunal competens;* quod est di- 740.
versum prout reus sit persona insignis aut communis, saecularis aut religiosus, vel agatur de delictis contra fidem aut de ceteris aliis, ut dictum fuit in Tit. *De foro competenti* et recoletur infra in com. ad c. 1936.

5) Quod attinet ad *formam* quae est quartum elementum 741.
intrinsecum seu consecutivum iudicii (cf. **nn. 16, 23**), ea quae dicitur et est *intrinseca*, scilicet, ut propositio et discussio accusationum fiant *in contradictorio* inter promotorem iustitiae et ipsum reum, strictius et longe severius servanda est in criminalibus quam in contentiosis, maxime vero si iudicium versetur circa delictum cuius poena importat, ut dicitur, *diminutionem capitis*, ex. gr. depositio aut degradatio. Hinc non modo testium de-

positiones sed et eorum nomina debent semper reo manifestari tempore opportuno, id est, dum libellus accusationis formalis ei traditur aut perlegitur, ut infra dicetur.

Quoad *formam extrinsecam*, si eam consideremus sub aspectu *iuris constituendi*, *quadruplex* fingi potest, et inde *quadruplex species iudicii criminalis ratione formae*. Discrimen inter eas movet a diversitate personae quae accusationem criminis proponit et urget, prout liquebit ex sequenti analysi :

a) Si proponens accusationem sit persona physice distincta a iudice, et privata, habetur *forma iudicii accusatoria privata* seu *accusationis privatae*.

b) Si accusator sit persona physice distincta a iudice sed publica, id est designata a publica auctoritate societatis ad accusandum crimina quae committi contigerit, et accusationem proponit et urget iuxta probationes habitas absque praevia inquisitione speciali facta a Superiore, resultat *forma iudicii accusatoria publica*, vel *accusationis publicae*, quatenus facta a publico magistratu, qui dici solet *procurator reipublicae* vel *promotor fiscalis*, et iure can. *promotor iustitiae*.

c) Si delictum defertur iudici non voce alicuius personae tanquam accusantis, id est, manifestantis crimen et suscipientis in se obligationem probandi illud coram iudice, sed quasi voce famae, aut quasi clamore indiciorum, aut voce quidem alicuius personae sed tanquam denuntiantis tantum, id est manifestantis crimen absque onere probandi illud, et in his casibus iudex ipse probationes criminis quaerat, easdemque in iudicium deducat, et contra responsiones rei defendat, habetur *forma iudicii inquisitiva*.

d) Si tandem delictum innotuerit iudici sive ex fama, sive ex denuntiatione cuiuscunque, etiam promotoris iustitiae, sive alia quavis ratione, et ex dispositione iuris aliquis a iure vel a Superiore designatus *inquisitionem specialem secretam* instituerit ad normas legum, et tunc solum cum ex expleta inquisitione constiterit saltem probabilitas delicti proponitur a publico accusatore actio criminalis seu instauratur verus processus criminalis, habetur *forma iudicii mixta*, nempe *ex inquisitione* et *accusatione*, quae sibi succedunt, quin inter se misceantur, saltem in totum, ita ut confundantur et *tertium quid* exhibeant quod non sit neque inquisitio neque accusatio.

Ratione *formae extrinsecae* sub aspectu *iuris constituti*, agnoscitur duplex iudicium, nempe, *accusatorium purum* et *mixtum*, ut subinde dicetur.

R. III. Iudicium criminale ecclesiasticum *dividitur:* 742.

1) Ratione *finis*, in *emendatorium*, si eo intenditur, saltem praecipue, *emendatio delinquentis*, et in *vindicativum*, si eo intenditur, saltem praecipue, *vindicta criminis* seu *reparatio scandali.*

2) Ex parte *actionis* seu *obiecti proximi*, in *criminale* stricte tale, in quo agitur de crimine comperiendo in ordine ad poenam sive infligendam sive declarandam, et in *poenale*, in quo agitur ad exsecutionem poenae iam irrogatae aut declaratae.

3) Quoad obiectum *remotum*, iudicium *criminale proprium* subdividitur in *condemnatorium*, quod instituitur ad ferendam sententiam condemnatoriam, vel quod, praeter cognitionem de facto criminoso et eius auctore, secum fert vel *determinationem* poenae non determinatae in ipsa lege aut praecepto (cf. c. 2217, § 1, 1°) vel *applicationem* poenae (cf. c. 2223) determinatae in lege aut praecepto; et in *declaratorium*, quod instituitur ad ferendam sententiam declaratoriam; idest, quod declarat *a*) factum tanquam certum et vere criminosum, *b*) autorem facti tanquam vere delinquentem, *c*) poenam, a iure vel ab homine latam, ipso facto tanquam certe incursam.

4) Ratione *formae*, si *ius historicum* consideretur, iudicium seu processus dividitur, ut dictum est, in *accusatorium privatum*, *inquisitorium*, *accusatorium publicum* et *mixtum;* nam his quatuor modis, vel, ut dicitur, *systematibus criminalibus* usa est Ecclesia in diversis temporibus. Eorum notiones habentur in responsione praecedenti, et amplius illustrabuntur in Quaesito sequenti. Spectato autem *iure constituto*, id est, iure canonico quod viget, et ad tribunalia et iudicia ordinaria quod attinet, id est, abstrahendo a tribunalibus S. Officii et pro causis beatificationis et canonizationis, duplex est processus iudicialis, scilicet, *accusatorius publicus*, et *mixtus* ex inquisitione et accusatione, ut patebit ex dicendis, et quorum structuram exponemus in num. sequentibus.

Q. III. *Systema criminale* seu *poenale* 1) *iure romano antiquo;* 2) *eodem iure post Diocletianum;* 3) *iure canonico prioribus Ecclesiae saeculis;* 4) *eodem iure maxime post* Innocentium III *usque ad editionem* Instructionis S. C. EE. et RR. 11 Iun. 1880; 5) *postremis annis ante promulgationem Codicis;* 6) *ex hodiernis Codicibus civilibus.*

R. I. Cum ex omni delicto duplex damnum oriatur, alterum *immediatum* et *specificum*, quod privatum civem percellit, 743.

et diversimode pro diversa delicti specie, alterum vero *mediatum*, *generale* et *semper idem*, quod afficit societatem, id est, omnes sodales vel magnam eorum partem quibus *quietem*, seu *bonum pacis et securitatis* tollit ingerendo ipsis *timorem* ne illis contingat quod aliis evenit, aut alii vel ipsimet ad imitandum delinquentem alliciantur et veluti trahantur exemplo, ius romanum antiquum utrique damno obviare voluit inducendo systema iudiciale quo unicuique privato civi, committebatur defensio non modo iuris *proprii* si ipse damnum immediatum sustinuerat (defensio contentiosa, *actio civilis*), sed et iuris *reipublicae* damno mediato laesi (defensio criminalis, *actio criminalis*). Hinc accusatio seu *actio criminalis* vocabatur et fuit *actio popularis*, quia cuilibet de populo comparata erat.

Huius actionis exercitium opportunis normis gradatim evolutum fuit. Videlicet: *a*) cum accusatio spectet *ex se* ad societatem, privatus civis *veniam* seu *mandatum* a iudice impetrabat per *postulationem actionis* quam iudex denegare poterat, eo quod accusator non esset fide dignus, etc. (1); *b*) dein subsequebatur *inscriptio:* « haerebat in tabulis publicis, ait Cicero (2), reus et accusator », qui et nomen criminis scripto manifestabat; *c*) accusator ipse probationes exquirebat et urgebat, iudice, quoad hoc, passive se habente, imo permittente ut ille testes interrogaret (3); *d*) graves poenae in accusatores, calumniatores indictae erant, quas accusator se inscribendo acceptabat (aetate Imperatorum (4) ordinaria constituta erat *poena Talionis*, oculus pro oculo, dens pro dente etsi non adeo materialiter sumpta); *e*) accusator, pendente iudicio, fruebatur *libera custodia*, id est, manebat liber, sed iudicis erat eum ponere, si expediret, *sub custodia*, scilicet militum.

744. *R.* II. Non obstante systemate accusationis privatae seu actionis popularis, iam a remotiore tempore reipublicae Romanae constituti fuerunt *accusatores publici* qui detegendis et compescendis gravioribus criminibus incumberent, et vocati sunt *quaestores* vel *quaesitores:* antiquissimi sunt *quaestores parricidii*. Sic eos describit Varro, V, 81: « Quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias et maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt; ab his postea, qui quaestionum iudicia

(1) Arg. l. 1. 2, 5, 12, 15, ff. tit. 2, *De inscriptionibus et accusat.*, lib. XLVIII; *item*, tit. 11, *De his qui accusare non possunt*, et tit. 2, *De inscript. et accusat. Cod.* IX.

(2) *Pro Client.*, 31, 36.

(3) Cic. *in Verr.*, II, 26, 4; IV, 66.

(4) L. VI, ff. tit. 15 *De praevaricat.*, lib. XLVII.

exercebant, quaestores dicti. » Huius institutionis ratio fuit quia systema accusationis privatae, quod, utpote simplicius, quia in eo distincte apparent tres personae cuilibet iudicio essentiales videlicet, *iudex*, *actor*, *reus*, prius tempore reperitur apud civiliores populos, non satisfacit suo scopo, nisi cives sint maxime honesti et de bono publico admodum solliciti. Propterea Respublica romana, cum, progressu temporis, et maximo potita imperio honestatem morum amisisset, coacta est leges ferre quibus accusatores praemiis constitutis alliceret, ut fecit lex Alicia *Repetundarum* (1). Sed neque hoc remedium fuit satis ad hoc ut cives amore boni publici vincerent in se ipsis timorem inimicorum et aliorum damnorum quae ex assumpto onere privatae accusationis necessario proveniunt; unde factum est ut quae *extraordinaria* dicebantur et erant iudicia, a quaesitoribus provocata et coram ipsis instaurata, devenerint *ordinaria* tempore Diocletiani. Quod ius iudiciarium *inquisitorium*, in dies firmatum, Iustinianus in *Digesto* definitive inductum exhibet et laudat his verbis: « Congruit bono et gravi praesidi curare ut pacata et quieta provincia sit; quod non difficile obtinebit si sollicite agat ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat; nam et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere ».

745. *R.* III. Ecclesia iam a suis primordiis *systema accusationis privatae* excepit, etsi non exclusive, et insuper modificatum prout indoles suae potestatis poenalis expostulabat, ut, ex testimonio auctoris *Constitutionum Apostolicarum*, L. II, 46-55, et Tertulliani, *Apologet.*, c. 39, docent canonistae passim. « Id postremo addam, scribit Devoti (2), criminalia iudicia in foro exteriori apud Episcopos eodem fere ritu, quem Lex Romana constituerat, expediri consuevisse. Generatim in omnibus iudiciis ecclesiasticis, uti supra animadverti, cunctae non adhibebantur sollemnitates civilium iudiciorum; sed saepe etiam hae sollemnitates, saltem quae praecipue erant, observatae diligenter sunt. Id ex collatione Iuris civilis cum ecclesiastica historia manifestum est. Iure civili accusatio instituitur libello, cuius formula exstat in l. 3 ff. *De accusat.*, quique actis inseritur. Accusatorium libellum Eusebius Dorilaei Episcopus adversus Eutychen Presbyterum et Archimandritam proponit ut eum haereseos accuset, eumque relegi vult et inferri monumentis

(1) Cic. *pro Balb.* 25, 45, et *De off.* 11, 14, 50.
(2) *Inst. can.*, lib. IV, tit. 1, § 5, nota 4.

actorum, sicut patet ex Conc. Constantinop..... ». Et ita quoad singulos actus processus accusatorii pergit probare eruditissimus auctor.

Ut nunc nunc innuimus, iure canonico systema accusationis privatae, et quidem iuxta leges romanas, adoptatum fuit, sed non absque modificationibus, nec exclusive. Quoad primum, inter alia « illud singulare fuit, ait Lega (1), iam ab origine Ecclesiae, in eius processu, ut, quod postulabat ratio poenarum ecclesiasticarum (Vol. III, n. 13) propria, accusationi praecederet monitio *fraterna aut caritativa* (iuxta textum Matthaei XVIII, 15, seq.), non secus ac proprium est Ecclesiae poenas *medicinales* experiri antequam deveniatur ad *vindicativas* ». Ita doctissimus Cardinalis, qui recte advertit (2) quod per *denuntiationem* de qua sermo est in Titulo 1 *De accusat., inquisit. et denunt.* Lib. V *Decretal.* non inducta fuit, ut generaliter traditum est, nova ratio procedendi, distincta ab accusatione et ab inquisitione, quia denuntiatio non dabat locum iudicio, sed dumtaxat inquisitioni extraiudiciali, qua prospiceretur utrum crimen denuntiatum esset dignum quod examini et disceptationi iudiciali submitteretur vel secus.

746. *R.* IV. « Verum ratio systematis poenalis ecclesiastici, ait Lega (3), si bene aptatur processui *accusatorio*, tamen excusare non valet Praesules Ecclesiae ab exercenda *inquisitione ex suo officio* ad detegenda crimina, unde ruina procedit spiritualis et singulorum hominum et universae societatis. Hac de causa in Ecclesia maximam applicationem habuit systema inquisitivum, praecipue adversus haereticos; cf. c. 46, caus. 2, q. 7 (S. Greg. Magn.); 6, caus. 2, q. 5 (Greg. M.); 7, c. 2, q. 5 (Greg. M.) 20, c. 2, q. 1 ». « Verum processus inquisitivus, prosequitur idem cl. auct. n. 108, plenam applicationem nactus est dumtaxat opera Innocentii III et Bonifatii VIII, qui eiusmodi procedendi formam ordinarunt, potissimum, ad coercendam haereticam pravitatem ».

Et quidem ordinatio eo spectabat ut probe declararetur qualiter esset possibile, et statueretur quo pacto deberet fieri ut in processu inquisitivo adessent *tres* personae, *iudex*, *actor* et *reus*, distinctae saltem moraliter, sed vere. Subiungit Lega (4): « ita ordinandus erat hic processus, ut responderet

(1) *De Iudiciis*, Vol. IV, n. 107. Cf. potius edit. alter., n. 10, sq.
(2) *De Iudic.*, Vol. IV, n. 111 (qui deest), pag. 158.
(3) *De Iudiciis*, IV, n. 107.
(4) *De Iudiciis*, IV, n. 108, pag. 153.

necessariis iudicii formis. Cfr. cap. 17, X, *De accusat.* V, 1. Inquam, *necessariis* iudicii *formis;* etenim usque ad aetatem Innocentii III, habitus est uti extraordinarius iste processus, quia visum est neminem posse *iudicari et damnari priusquam legitimos habeat praesentes accusatores;* arg. can. 5 caus. 3, q. 9. et ita passim in aliis innumeris fragmentis apud Gratianum. Re sane vera, ne iudex, *ex officio inquirens*, partes *iudicis* et actoris seu *accusatoris* explere videretur, statuendum erat quomodo *accusationi* fieret locus in exercenda *inquisitione ex officio*. Innocentius III huc adlaboravit, nimirum ad *inquisitionem ex officio* conciliandam cum *accusatione*, et ratus est processui inquisitivo se omnem contulisse perfectionem quando in cap. 24, X, *De accusat.* etc., V, 1, statuit inquisitioni esse locum, quum, *denuntiante fama* vel *deferente clamore*, quasi *accusatore* praeeunte, iudex suum exsequitur officium, inquirendo an iste rumor revera criminis accusat auctores ».

Huiusmodi distinctio personarum in iudicio essentialium amplius perfecta est decursu temporis occasione institutionis Promotoris Fiscalis ab aliquibus nationibus seu societatibus civilibus inductae in ius patrium, maxime criminale, ut innuimus quando de promotore iustitiae sermonem fecimus (cf. com. ad c. 1586, **n. 144**). Quam praxim cum Ecclesia imitata fuisset, ex tunc habita est distinctio non modo *moralis* sed *physica* inter iudicem et accusatorem, cuius personam incepit gerere Promotor fiscalis, maxime in criminalibus. Praxis vero devenit prius in pluribus locis *statutum particulare*, tandem evecta est ad *legem generalem* per *Instructionem* S. C. EE. et RR. 11 Iun. 1880; quae, licet edita pro Italia, tamen natura sua est universalis, et de facto universaliter acceptata fuit. Notandum est tamen Ecclesiam, eo quod instituerit promotorem iustitiae, non expulisse methodum *accusationis privatae* seu non abolevisse *actiones populares*. Hoc tantum fecit cum Codicem promulgavit, committendo promotori iustitiae *monopolium* accusationis, ut infra videbitur.

R. V. Praedicta Instructio super processu in causis cri- **747.**
minalibus et disciplinaribus clericorum, conservans methodos procedendi *per viam inquisitionis* et *per viam accusationis* sive privatae sive etiam publicae ope promotoris iustitiae, induxit novum processum, videlicet, *mixtum* ex inquisitione et accusatione. Novum, inquam, non quia resultaverit quaedam ratio procedendi, quae non sit neque inquisitio neque accusatio, sed quia constat ex inquisitione et accusatione successive in eodem processu peragendis, quarum prior ad alteram necessario ordi-

natur, haec vero priorem necessario praesupponit. De qua rescripsit Lega (1): « Denique innuenda est quaedam forma processus criminalis, nempe mixti ex accusatione et inquisitione, cuius processus nulla habetur mentio in fontibus iuris canonici, et hactenus etiam apud canonistas ignota fuit, saltem quoad formam extrinsecam et ordinationem processualem, quamvis hodie, veluti occulto pede, nempe parum expressa in textu legum et in commentariis DD., haec procedendi ratio irrepserit in curias ecclesiasticas per Instructionem editam a S. C. EE. et RR. die 11 Iun. 1880 ».

748. *R.* VI. Postquam saeculo XIII processus inquisitivus magnam perfectionem et maximam applicationem nactus est opera Innocent. III et Bonifatii VIII, a curiis ecclesiasticis « pertransiit ad saeculares curias, et iudicia criminalia in Europa usque ad initium saeculi XVIII, fere ubique ordinabantur processu fere inquisitivo » (2). Postea inolere coepit processus *mixtus*, qui hodie ubique viget. Coalescit ex inquisitione et accusatione, tanquam duabus partibus successivis unius eiusdemque iudicii. Prima pars, *secreta*, solet vocari *instructoria*, *indagatoria*, *summaria*, etc.; altera, *publica*, dicitur *plenaria*, *publicum iudicium*, vel, simpliciter, *iudicium*, etc. Accusatio reservatur publico Magistratui seu Promotori Fiscali seu Procuratori Reipublicae, neque unquam admittuntur accusatores privati nisi forte *adhaerentes Promotori Fiscali*.

Tanquam *instituta iuridica particularia* institutionis iudiciariae criminalis civilis vel saecularis solent in omnibus nationibus recenseri duo, a quibus Ecclesia abhorret, nimirum *publicitas iudiciorum*, de qua locuti sumus in com. ad c. 1640, et *iudices iurati*.

749. Q. IV. *Mutationes a Codice inductae in systemate iudiciali criminali et earum causae: duplex processus accusatorius et mixtus, et usus uniuscuiusque.*

R. I. Cum 1) processus pure inquisitivus iamdiu de facto exoleverit extra tribunal S. Officii; et 2) processus accusationis privatae necnon denuntiationis iudicialis, quae ei aequiparabatur, saltem iure consuetudinario, adeo exosi devenerint hodiernis populis ut ex Codicibus civilibus fuerint expuncti; et 3) in legibus super processu accusationis publico plura essent

(1) *De Iudiciis crim.*, Vol. IV, n. 113.
(2) Lega, *De iudic. crim.*, IV, n. 108.

vere antiquata; 4) processus mixtus recenter inductus non satis perspectus esset, unde in praxi tribunalium non semper recte distinguebantur ea quae fieri debent in periodo inquisitiva ab illis quae locum habent in periodo accusatoria; legislator priorem processum, seu *inquisitivum*, silentio suo implicite quidem sed vere (c. 6) revocavit; alterum, sive *accusatorium privatum* stricte talem sive denuntiatorium, expresse suppressit c. 1934; tertium, seu *accusatorium publicum*, illustravit ac perpolivit; quartum denique, id est *mixtum* ex inquisitione et accusatione, accurate digessit, clare significando quaenam acta respondeant inquisitioni seu periodo inquisitivae, quaenam vero accusationi vel periodo accusatoriae.

Alia mutatio valde notabilis est obligatio Ordinariis imposita substituendi iudicio criminali *correctionem iudicialem*, quoties reus confiteatur certa delicta (c. 1947, sq.); quocirca iudicia devenient minus frequentia. Nec praetereunda est quaedam alia species innovationis, qua iudicia restringuntur ad delicta *publica de facto*, et ideo quoque minus frequentabuntur, ut dicetur in com. ad c. 1933.

R. II. Igitur, iure Codicis duplex habetur processus iudicialis criminalis: unus *accusatorius publicus*, alter *mixtus ex inquisitione et accusatione publicis*, id est, publica auctoritate et successive peragendis et mutuo inter se ordinandis. Processus *accusatorius* adhibetur tantum in quolibet ex his duobus casibus: 1) si agatur de delicto notorio aut omnino certo (arg. c. 1939): 2) si agatur de comperiendo aut declarando delicto in quo non est locus correptioni (argum. c. 1947). In ceteris casibus adhibetur processus *mixtus:* id est, iudicium instauratur praevia inquisitione et subsequente accusatione.

Q. V. *Materia huius Tituli, et eius divisio.* 750.

R. I. Legislator, ut ipse advertit in c. 1959 et iam innuerat inscriptione Sectionis, non proponit hic omnes normas pro iudicio criminali, sed eas tantum quae sunt eiusdem iudicii peculiares, ita ut: **In reliquis serventur regulae in Sectione Prima huius Libri traditae et in inflictione poenarum sanctiones in Libro Quinto statutae.**

R. II. *Materiam* distribuit in *quinque partes*, contentas canone 1933 tanquam praeliminari et quatuor capitibus. In praedicto canone agit de *obiecto* et *fine* iudicii criminalis. In capite I, sub titulo *De accusatoria actione*, tractat de *subiecto activo accusatoriae actionis*, quam in posterum uni promotori

iustitiae reservat (c. 1934), necnon de *denuntiatione* et *querela*, quas, ex consequenti, considerat uti actus extraiudiciales. In cap. II, normas tradit *De inquisitione*, nimirum, *speciali*, seu de modo praeparandi, secreto et prudenter, aut iudicium, aut correptionem quando crimen non est notorium vel omnino certum. In cap. III, praescribit *quomodo* et *quando iudicium criminale*, sive praecesserit inquisitio sive non, *vitari possit* aut *debeat*, utendo, loco ipsius, *correptione* delinquentis, si hic, delictum confessus, resipiscat, et iudicium non sit necessarium reparationi damni et restitutioni iustitiae. In cap. IV, indicantur *normae pro introductione*, *instructione* et *conclusione* processus, tum *accusatorii*, tum etiam *mixti* post expletam inquisitionem, tunc enim incipit esse verus processus criminalis. *Indicantur*, inquam, non omnes proponuntur, nam Legislator in postremo canone (1959) indigitat *ius suppletorium*, desumendum ex Sectione Prima huius Libri et ex Libro Quinto.

Eidem canoni apponitur a nobis duplex *conspectus generalis*, referens *structuram et ordinem actuum iudicii criminalis*, *tum accusatorii tum inquisitivi*, et, in Appendice, aliud, referens *ordinem actuum in causis dimissionis religiosorum*.

Expositio textus.

Can. 1933. — *De obiecto et fine iudicii criminalis ecclesiastici, et de eius necessitate pro irrogandis aut declarandis aliquibus poenis, non autem omnibus.*

751. Q. I. *Quaenam delicta ecclesiastica cadunt sub criminali iudicio?*

R. ex h. c., § 1. **Delicta quae cadunt sub criminali iudicio sunt delicta publica.**

Delicta: ex quo verbo, et ex eodem repetito in § 2, patet quod ad hoc ut aliqua actio externa (de internis non iudicat Ecclesia) sit obiectum iudicii ecclesiastici criminalis requiritur quod sit *delictum* et quidem verum seu proprie tale, nam leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem (c. 18), nec sufficit quod sit *peccatum*, etiam grave. Porro ex c. 2195, § 1, **Nomine delicti, iure ecclesiastico, intelligitur externa et moraliter imputabilis legis** (aut praecepti, ex § 2) **violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata.** Et cum poena dicatur *determinata*, **si in ipsa lege vel praecepto taxative statuta sit**; *indeterminata*, **si**

prudenti arbitrio iudicis vel Superioris relicta sit sive praeceptivis sive facultativis verbis (can. 2217, § 1, 1°), additio vel adnexio illius potest esse facta *a*) in ipso momento conditionis legis, et planum est, *b*) vel postea, ut eruitur ex can. 2221, *c*) vel antea, id est, vi can. 2222, **si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat,** necnon canonis 2229, § 4. Igitur, legis violatio, cui aliquo ex his modis sit adnexa poena, et insuper sit *moraliter imputabilis* eo gradu quo lex ecclesiastica praescribit ad hoc ut consideretur tanquam delictum, nempe, sit *dolosa* aut saltem *culposa* ad normam canonum 2201-2207, ita ut nullo suffragio iuris excusetur, constituit delictum; alias est peccatum tantum. Quapropter, si auctori violationis faveat aliqua causa illum a poena determinata excusans, v. g. ignorantia (etiam graviter culpabilis si agatur de violatione legis habentis verba, *praesumpserit*, *ausus fuerit*, etc., ex c. 2229, § 2), et praeter illam poenam nulla alia indeterminata sit adnexa nec quidem antecedenter seu vi cc. 2222, 2229, § 4, non constituit delictum iure ecclesiastico, et proinde, licet sit forsitan peccatum mortale, non potest esse obiectum iudicii criminalis, nec materia punitionis stricte talis, infligendae processu iudiciali.

... publica: non delicta occulta, sive materialiter sive formaliter. Atqui ex c. 2197, **Delictum est: 1°** *Publicum*, **si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri ... 4°** *Occultum*, **quod non est publicum;** *occultum materialiter*, **si lateat delictum ipsum;** *occultum formaliter*, **si eiusdem imputabilitas.** Haec praescripta valde differunt a praescriptis iuris veteris, vel saltem ab interpretatione illis passim data. Illud enim delictum dicebatur publicum in ordine ad iudicium, id est, aptum ad hoc ut posset in iudicium deferri, quod poterat ibidem probari; ad quod, si adhiberentur testes, sufficiebant duo, omni exceptione maiores. Exinde oritur magnum discrimen inter iudicii criminalis obiectum iure veteri et iure Codicis: hoc iure obiectum iudicii est magis restrictum, et idcirco iudicia erunt rariora.

Q. II. *Quaenam delicta etiam proprie talia et publica, non sunt obiectum iudicii?* 752.

R. ex § 2. **Excipiuntur delicta plectenda sanctionibus poenalibus de quibus in can. 2168-2194.**

Excipiuntur: ita ut non cadant sub criminali iudicio. Et

merito excipiuntur quia, attenta indole delinquentium et natura delictorum de quibus ibi agitur, melius providetur et emendationi eorum et bono publico per sanctiones poenales in h. c. indicatas quam per iudicia.

753. Q. III. *Quandonam Ordinarii debeant iudicio ecclesiastico submittere vel secus delicta mixti fori.*

R. ex § 3. **In delictis mixti fori Ordinarii regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit.**

... **regulariter:** quia regulariter periculum fere certum adest ne laici, utpote de officiis suis erga Ecclesiam minus edocti quam clerici, contemnant iudicem ecclesiasticum eos vocantes, utique puniendos generatim, postquam a magistratu civili poenas solverint. — ... **cum reus laicus est:** quid si est clericus? In hoc casu, nisi vi legis ecclesiasticae concordatae cum potestate civili, haec tantum procedere valeat, Ordinarius clericum semper iudicio ecclesiastico submittat, quia ratione immunitatis personalis clericorum non licet ei valedicere iuri et officio persequendi eorum crimina ad expiationem et emendationem. Nec excipitur casus quo Ordinarius praeventus fuerit a potestate civili, nam, attenta conditione clericali, ex se et natura sua non consulitur sufficienter bono publico ecclesiastico si sola potestas civilis animadvertat in clericos. — ... **publico bono satis consulit:** aliter procedat; utputa si civilis magistratus, condemnans et puniens aliquem ob homicidium vel percussionem commissa in ecclesia, nullam omnino habuerit rationem circumstantiae loci.

Quaestio, certe diversa, sed huic analoga, et pro praxi similis et utilis, proponi potest: utrum, nempe, duo Superiores ecclesiastici debeant aut possint suo quisque tribunali et iudicio submittere reum unius eiusdemque delicti, utrique subditum; ut ecce, si parochus religiosus suo muneri parochi graviter desit (quo in casu in sanctitatem sui status religiosi quoque delinquit), an tum Episcopus tum Praelatus regularis possint aut debeant iudicialiter procedere in eum, si delictum debeat iudicialiter puniri. Putamus respondendum esse affirmative, *ordinarie;* quia ex c. 2224, § 1, **Ordinarie tot poenae quot delicta;** delicta autem in eodem subiecto multiplicantur ob violationem, etiam unico actu, diversarum legum; et tandem leges diversificantur etiam pro sola diversitate legislatorum (cf. c. 2224); quapropter in unoquoque horum nascuntur ex facto violationis ius et officium coercendi eam, etiam per iudicium. Adde quod in his

casibus, regulariter non satis consulitur bono delinquentis et publico si unus tantum Superior animadvertat in reum. Dixi *ordinarie*, quia ratione parallelismi debent, ni fallor, applicari hic praescripta h. canonis § 3, et canonis 2224, § 2, circa moderationem poenarum.

Q. IV. 1) *Utrum finis intrinsecus iudicii crim. eccl. sit delicta investigare et poenas declarare et infligere;* 2) *an ad poenas infligendas aut declarandas iudicium sit regulariter necessarium;* 3) *an vero non sit necessarium quoad nonnullas, et quales;* 4) *quinam Superior, quibus poenis aut aliis coercitivis mediis, quando, contra quos et quomodo uti possit extra iudicium.*

R. I. Affirmative; ut patet ex eo quod iuxta h. canonem iudicium criminale ecclesiasticum versatur semper circa delicta et poenas, licet non circa omnes poenas et omnia delicta. 754.

R. II. Affirmative: ut, *quoad inflictionem* poenarum eruitur, a sensu contrario, ex § 4 h. c. infra transcribendo; nam ex eo quod legislator permittit ibi aliquas poenas, in casu *delicti certi*, infligere extra iudicium, licet non quomodocunque sed *per modum praecepti*, id est, observando quemdam processum extraiudicialem, deducitur quod, praeter illas poenas et illum casum, ceterae nequeunt a Superiore infligi nisi adhibendo iudicium. Dixi a Superiore, et quidem quando agit tanquam merus Superior; nam quando agit ut verus Legislator vel ad instar legislatoris, uno verbo, quando legem aut praeceptum condit, potest, ut planum est, poenas extra iudicium infligere, et revera eas infligit, quoties easdem in lege vel praecepto fert ipso facto incurrendas. Ad *declarationem* poenarum quod attinet, eruitur, pariter a sensu contrario, ex c. 2225 ubi dicitur: **si vero poena latae vel ferendae sententiae inflicta sit ad modum praecepti particularis,** (et proinde *ab homine*) **scripto aut coram duobus testibus ordinarie declaretur:** scilicet, extra iudicium. Ergo ex adverso, si poena sit *latae sententiae* (quae sola est obiectum declarationis) et *a iure*, vel *ab homine* quidem, sed lata *per statutum* aut *praeceptum generale*, nequit declarari nisi per iudicium. Utrumque confirmatur ex canonibus 2307, sq., ex quorum textu et contextu patet remedia poenalia et poenitentias imponi extra iudicium. 755.

R. III. ex h. c., § 4. **Poenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium.** 756.

Poenitentia, remedium poenale: infligi possunt extra iudicium, quia sunt poenae non valde graves, et potius medicinales, imo praeservativae, et suapte natura tendentes ad vitandum iudicium propter eius gravitatem, difficultates et ambages, aut ad illud congruenter praeparandum. — ... **excommunicatio... interdictum:** possunt extra iudicium quoque infligi, quia sunt poene medicinales, et insuper facilioris exsecutionis, utpote quae non indigent ministerio alicuius; iamvero magnopere expedit, ut Superior ecclesiasticus aliquas poenas, etiam graves, habeat in promptu, quasi ad manus, ut malo aliquando urgenti valeat cito mederi absque ambagibus iudicii. Sed quoad has tres poenas intelligi debet quod infligi possunt *ad normam praecepti* vel *extra iudicium*, id est, **scripto, vel coram duobus testibus**, quando latae seu comminatae fuerint quoque **per modum praecepti** *particularis*, ut patet ex citatis verbis c. 2225, **si vero poena latae vel ferendae sententiae**, etc.; nam, si sunt *latae sententiae a iure*, nequeunt declarari nisi in iudicio declaratorio, si vero sint *ferendae sententiae a iure*, *aut ab homine per praeceptum generale*, nequeunt irrogari nisi in iudicio condemnatorio, ut dictum est; imo pro irrogatione aut declaratione excommunicationis *a iure*, vel *ab homine per praeceptum generale*, requiritur tribunal trium iudicum (c. 1576, § 1, 1°).

757. *R.* IV. *A) Ordinarius*, ad quem (minime vero ad Superiorem non Ordinarium neque ad iudicem qua talem) spectat determinare quandonam sit locus processui iudiciali, ut dicetur in comm. ad c. 1947, Ordinarius, inquam, si delictum, *quoad factum* seu in *ratione facti*, a nemine sciatur, aut innotescat paucis personis [« personarum vero magis quam numerus, indoles et propositum pensanda sunt », ait Card. Lega (1)] nunquam illud divulgaturis (delictum *occultum materialiter* ex c. 2197, 4°), aut quoad factum sit vere divulgatum, sed quoad *imputabilitatem* seu verum eius auctorem in ordine morali innotescat paucis tantum qui possent ferre testimonium, de quibus vero constet talis esse indolis ut prudenter credatur non esse notitiam divulgaturos (delictum *occultum formaliter*, ex eod. c.), non instaurabit iudicium sed, **dummodo delictum certum sit** (h. c., § 4 et c. 2233, § 1), et constet **non esse legitime praescriptum** (c. 2233, § 1), et ipsi non sit abdicata potestas poenalis, qualiter abdicatur Vicario Generali (c. 2220, § 2), potest adhibere:

(1) *De delictis et poenis*, n. 112, nota 1.

1) *Remedia poenalia secreta* (cfr. c. 2309, § 5) in reum cuius imputabilitas constet sufficit ex argumentis in moralem certitudinem ex se inducentibus, licet reo non contestatis, utputa ex indiciis et dicto vel unius personae fide dignae; cum ex usu horum remediorum delinquens fere nullum detrimentum temporale capiat, adiumentum vero ordinis supernaturalis accipere possit non parvum, si velit;

2) *Remedia poenalia publica* (cf. c. 2309, § 3) in **reum de delicto convictum vel confessum**, et convictum quidem legaliter, idest, ex argumentis probabilibus eidem pro impugnatione contestatis, utrumque autem extraiudicialiter, videlicet, vel per confessionem extraiudicialem delinquentis, scienter et libere factam, vel ex dicto duarum personarum fide dignarum, etsi ob iustas causas non sint paratae ad testimonium ferendum in iudicio;

3) *Censuras*, sed ad normas *a*) c. 2220, § 1 et 2221, id est, vel ad modum legis aut praecepti generalis si polleat potestate legifera, vel alias ad modum praecepti particularis; *b*) et canonis 2242, § 2, nempe solummodo in reum actu contumacem; *c*) et canonum 2233, § 2, 2242, §§ 2, 3, videlicet, praemittendo monitiones, et *d*) c. 2258, § 2, iuxta quem *una* Sedes Apostolica potest decernere ut aliquis excommunicatus sit vitandus.

4) *Suspensionem ex informata conscientia* in clericos suos subditos, si delictum sit occultum (c. 2186, sq.);

5) *Aliquam iustam poenam*, etiam non praevie comminatam, **si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat** (c. 2222, § 1); dummodo poena sit (et planum est) ex iis quae, vi paragraphi 4 quem commentamus, infligi possunt extra iudicium, et, insuper, certa sint *scandalum* ex delicto aut *gravitas* transgressionis.

6) *Processum summarium* cum relativis poenis, de quo in cc. 2168-2185, si est Ordinarius loci;

7) *Eiectionem religiosi* ad normam c. 653, vel *eiectionis declarationem* ad normam c. 646, si est Ordinarius religiosus;

8) *Interdictionem ascensus ad ordines* ad normas cc. 970, 2222, § 2, et proinde *denegationem dimissorialium* ad normas cc. 958, 964;

9) *Provisiones gubernativas* de quibus in c. 2222, § 2; et quidem quoad *interdictionem ascensus ad ordines* cfr. cc. 970, 958, 964, ex quibus apparet in quo, pro diversitate Superiorum consistat; circa *amotionem* autem *ab officio* notanda sunt verba **ad normam iuris,** quibus, ni fallor, significatur quod praescripto canonis 2222, § 2 legislator dispensat tum super *causa* amo-

tionis, ita ut sufficiat *necessitas vitandi scandalum* et non requiratur delictum *certum* ac *minime praescriptum*, tum super *forma*, ita ut, cum non sit opus probatione iuridica nec legitima accusatione, non oporteat adhibere processum iudicialem ; sed non dispensat in ceteris, nec, proinde, facultatem amovendi confert Superiori qui eam non habet.

10) *Provisiones gubernativas*, de quibus in c. 1340, §§ 2, 3 (cf. *Normae pro sacra praedicatione*, S. C. Consistor. 28 Iun. a. 1917, n. 29, sq.);

11) *Inquisitionem specialem* in reum, si delictum non sit notorium aut omnino certum (c. 1989, § 1), et, iuxta illius exitum, *decretum*, quo *a*) vel inquisitio declaretur insubsistens (c. 1946, § 2, 1°), vel *b*) reus moneatur (ibid., 2°), vel *c*) citetur reus ad comparendum (ibid., 3°), et *d*) iuxta exitum examinis et naturam delicti fiat *correptio iudicialis* (c. 1947, sq.), aut instauretur iudicium (c. 1954).

758. *B*) *Superior quoque non Ordinarius*, potestate non dominativa tantum sed iurisdictionali pollens,

1) Potest uti *censuris* iuxta normas pro Ordinariis indicatas sub n. 3), litteris *b*), *c*), *d*), sed ad modum praecepti particularis ; id est, *a*) eas *ferre* seu *comminari*, ipsas, sive l. sive f. sententiae, adnectendo iussibus a se datis singulis subditis, esto pluribus, sed uti singulis ; quia, cum sit verus Superior cum iurisdictione ecclesiastica externa ad regendam Communitatem, licet imperfectam, potest ferre praecepta, et proinde poenam eisdem adnectere ex c. 2220, § 1 ; *b*) easdem (censuras), si legitime constent, scripto aut coram duobus testibus *declarare*, si fuerint l. s., vel *irrogare* si fuerint f. s. (c. 2225) ; *c*) illas pariter declarare aut infligere, quae fuerint *latae a suo praedecessore* per legitimum documentum aut coram duobus testibus (cfr. c. 24), quia poena, uti accessorium, sequitur principale, nempe praeceptum, ac proinde perdurat, et insuper, ex c. 2226, § 4, **Poena reum ... tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur.**

2) Potest *a*) in casu gravis scandali religiosum eiicere ad normam c. 653 ; *b*) delinquentem **aliqua iusta poena punire si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat,** ad normam c. 2222.

3) Non potest censuras *a*) *ferre*, idest, comminari eas *ad modum statuti* seu praecepti generalis, quia hoc aequiparatur legi ; *b*) declarare aut irrogare eas latas *lege aut statuto*, quia

huiusmodi declaratio aut irrogatio debet fieri in iudicio, ut eruitur, a sensu contrario, ex c. 2223, v. **Si vero;** Superior autem non Ordinarius caret potestate iudiciali ex iure communi expresso in c. 1579, § 2. Quod si Superior localis gaudeat, ut in Ordine Praedicatorum, potestate iudiciaria, nihilominus nequit iudicium instaurare sive condemnatorium, sive declaratorium, nisi praecesserit decretum Ordinarii, quo vi argumentorum repertorum in inquisitione (c. 1946, § 3), a se vel ab alio peracta (c. 1940), vel rationum allegatarum a promotore iustitiae in libello materiali seu denuntiatione facta Ordinario sive istius istigatione, sive proprio motu promotoris, ut dicetur in comm. ad c. 1955, praecipiat ut acta inquisitionis, et correptionis, si quae habuit locum, tradantur promotori iustitiae ad normam can. 1954.

4) Non potest *monitiones* aut *correptiones* facere aut cetera *remedia poenalia* aut *poenitentias* infligere aut *inquisitionem* criminum peragere, nec infligere *suspensionem ex inf. conscientia*, quia omnia hae reservantur Ordinario ut patet ex c. 2307, sq.

759. *C*) *Superior maior, non Ordinarius*, seu Religionis quae non sit clericalis exempta, potest: 1) religiosum eiicere vi canonis 653, aut eiectum declarare ad normam c. 646; 2) adhibere provisiones gubernativas de quibus in c. 2222, § 2; quarum prior in eo est quod vi c. 956 et eiusdem c. 2222 deneget testimoniales requisitas canone 993, 3°.

760. *D*) *Quilibet Superior* 1) vi c. 2222, § 2 potest, ad scandalum vitandum, prohibere clerico sibi subdito exercitium sacri ministerii, et etiam eum ab officio amovere ad normam iuris; 2) vi potestatis dominativae et oeconomicae potest suis subditis infligere poenas *constitutionales*, idest regula vel constitutionibus statutas aut permissas; 3) vi voti obedientiae, potest suis subditis aliquid praecipere *in virtute sanctae obedientiae*, et proinde sub peccato mortali; quod quidem coactio quaedam est; 4) ex c. 595, § 3: **Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere.** Quae tamen prohibitio rationem poenae canonicae non habet. — Tria postrema conveniunt quoque Superiorissis.

761. *E*) Negotium facessunt quoad Superiores non Ordinarios *monitiones* et *praecepta*, quippe quae videntur ipsis inhiberi et Ordinariis reservari, ut supra diximus, et habetur ex citatis

c. 2309, sq. Sed difficultas solvitur hac animadversione : monitiones et praecepta, si adhibeantur in poenam aut correptionem, sunt remedia poenalia et tunc reservata sunt Ordinariis; cum autem monitio adhibetur tanquam comminatio censurae, et proinde constituens non poenam sed commonitionem de futura poena, et praeceptum adhibetur tanquam quoddam iussum aut quaedam prohibitio sive sine adnexione alicuius poenae, sive etiam cum poena adnexa, quae in hoc casu est quid accessorium praecepto, possunt fieri a Superioribus non Ordinariis.

CAPUT I.

De accusatoria actione et denuntiatione.

Expositio rubricae.

762. Q. I. *Accusationis, seu actionis tum criminalis tum poenalis a) notio, b) subiectum iure veteri ac iure Codicis, c) divisio.*

R. a) Actio criminalis, proprie talis, est *ius accusandi delinquentem, seu persequendi in iudicio crimen in ordine ad poenam infligendam vel declarandam uti incursam* (cfr. **n. 376**). *Actio poenalis*, proprie talis, est *ius persequendi in iudicio exsecutionem poenae* (cfr. **n. 377**).

b) Iure veteri actio criminalis seu poenalis erat *popularis*, seu concedebatur cuilibet de populo, ut dictum est, **nn. 743-746**; iure Codicis, uni promotori iustitiae reservatur (c. 1934).

c) Criminalis aut poenalis actio, ratione durationis, potest esse *annualis*, *triennalis*, *quinquennalis* vel *decennalis*, prout uno anno, vel triennio, etc., perimatur (cfr. c. 1702).

763. Q. II. *Denuntiationis notio, divisio, discrimen a querela.*

R. Denuntiatio in praesenti materia, est *manifestatio alieni delicti Superiori facta*. Eius plures sunt species, et quidem ratione finis. Etenim

1) Alia est *evangelica* seu *caritativa*, quae, nimirum, ordinatur *ad correctionem delinquentis*, non *ad persequendam poenam*, et habetur quando crimen *dicitur Ecclesiae*, seu manifestatur Superiori, postquam monitio fraterna nullo modo profuit. Inducta est iure divino ex c. XVIII, 15 et 17 Matthaei: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae.* Huc spectat denuntiatio de qua fit mentio in Decretalibus, et « succedit, ex ipsa norma in

Evangelio Matthaei tradita, monitioni fraternae seu caritativae, prouti Innocentius III explicat in c. 13, X, *De Iudic.*, II, 1 » (1).

2) Alia dicta est *iudicialis;* quae, Decretalibus incognita et solis moribus inducta, ut ostendit Lega (2), hactenus spectabat ad persequendam criminis poenam, non praecise delinquentis correptionem Subdividitur autem in *simplicem denuntiationem*, quae intendebat poenam ad vindictam publicam seu ad restaurationem ordinis socialis, et in *querelam* quae *a*) vel intendebat *indemnitatem* obtinendam ipsa *luitione poenae*, v. g. petendo publicam retractationem calumniae, vel *b*) intendebat *poenam praeter indemnitatem* (3). Querela differebat ab *actione civili ex delicto*, quia haec nullo modo postulabat poenam. Iure autem Codicis vix differt, nam actor privatus non potest amplius petere directe nisi indemnitatem.

3) Alia dicta est hucusque *canonica*, quia non lege civili sed sola lege ecclesiastica viget; quae tamen denuntiatio latius patet, nam est manifestatio criminis alicuius personae (c. 904, et 2336, § 2), vel impedimenti pro recipiendis sacris ordinibus (c. 999) aut celebrando matrimonio (c. 1027).

Q. III. *Materia huius capitis.* 764.

R. Agit de *subiecto activo* accusationis seu actionis criminalis (c. 1934); de *querela* seu *denuntiatione criminali*, idest, denuntiatione criminis quidem sed ad *satisfactionem* vel *indemnitatem* non *ad poenam* (cc. 1935, § 1, et 1938, § 1); de denuntiatione *canonica*, nimirum, vel criminis vel impedimenti studio iustitiae aut boni communis (c. 1935, § 2); de *modo* faciendi denuntiationes (cc. 1936, 1937).

Expositio textus.

Can. 1934. — Q. *Cuinam, et quomodo competit accusatio seu actio criminalis.* 765.

R. **Actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur.**

Actio seu accusatio criminalis: id est, *ius persequendi in iudicio crimen et poenam.* Quod quidem ius secumfert plura iura et officia, videlicet, 1) offerendi iudici libellum ad normam can. 1954, 1955, prout fusius explicabitur in com. ad c. 1955;

(1) Lega, *De Iudiciis*, IV, n. 110.
(2) *De Iudiciis*, IV, n. 111, pag. 158, 159.
(3) *De Iudiciis*, IV, n. 110, pag. 155.

2) exhibendi et exsequendi coram iudice probationes prout resultent ex actis inquisitionis, si processus sit inquisitivus, vel ex rumore, indiciis, denuntiationibus privatis, inquisitione Ordinarii generali, etc., sponte emergant; 3) opponendi exceptiones non modo contra personam et probationes rei seu accusati, verum etiam contra tribunal aut eius ministros, si iustitia exigat; 4) exarandi et perorandi defensiones suarum petitionum, postquam defensiones rei et advocatorum suorum perlegerit; 5) impugnandi sententiam certo nullam aut iniustam, aliter non, si quid opinor.

. . . **uni promotori iustitiae:** cui, vi huius praescripti non modo ius competit, sed officium incumbit utendi hac actione ad normas canonum huius Tituli; at vero si promotor desit suo muneri, negligentiam aut defectum eius suppleat Ordinarius designando alium, nam accusatio delictorum spectat ad bonum commune, a cuius cura non eximitur Ordinarius ob *institutum promotoris* (**n. 140**). — . . . **ceteris omnibus exclusis:** et proinde etiam querelante, et multo magis denuntiatore. Ratio huius omnimodae exclusionis petenda est non ex facto quod fideles sint nunc temporis minus solliciti aut strenui in bono publico promovendo per accusationem delictorum, sed ex iure, quo Ecclesia usque non modo gavisa sed et usa est, limitandi, intuitu eiusdem publici spiritualis boni, ius accusationis quod eisdem concesserat primaevis temporibus, cum mores populorum id expostulabant.

766. **Can. 1935.** — Q. *Utrum et quando cuilibet fidelium maneant adhuc denuntiationis* 1) *ius*, 2) *obligatio.*

R. I. ex § 1. **Quilibet tamen fidelium semper potest delictum alterius denuntiare ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum, vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem.**

Quilibet: nemine excepto etiam alias inhabilis; nam Superior non procedit innixus fidei denuntiantis, sed motus argumentis ab eo exhibitis. Quod attinet ad denuntiationem factam ad scopum provocandi iudicii, iam veteri iure, quando iuxta interpretes denuntiatio iudicialis gerebat vices accusationis, et, proinde, in rigore iuris, inhabilis ad accusandum erat etiam inhabilis ad faciendam denuntiationem publicam seu criminalem, nihilominus scribebat Reiffenstuel (1): « Notat tamen Ludovicus

(1) *I. C. U.*, l. V, t. I, n. 1.

Ameno (*Prax. crim.* Tit. 9, § 3, num. 15) ex communi tribunalium praxi ac recepta consuetudine, hodie quemvis, licet alias inhabilis, admitti ad denuntiationem publicam seu criminalem, eo quod per denuntiationem solum sternatur via ad inquirendum ».

. . . **ad satisfactionem petendam**: utpote, si quis diffamatus est aut iniuriam passus; quo in casu denuntiatio vocari solet *querela*. — . . . **vel damnum sibi resarciendum**: ex delicto ortum, vel directe, v. g. amissio rei furto ablata, vel indirecte, ex gr. quanti interest alicuius ut filius eius non fuerit occisus; in hoc casu denuntiatio appellatur *actio civilis ex delicto* (c. 2210, § 1, 2°) et vocari etiam potest *querela*. — . . . . . **ad alicuius scandali** (reparationem): id est, mali spiritualis, quod consistit in externo incitamento ad peccandum, et spirituali hominis praeiudicio inde consequenti in ordine ad aeternam salutem. Interest autem cuiuslibet denuntiare delictum, seu potest quilibet illud denuntiare studio iustitiae actus, quia unicuique Dominus mandavit de proximo suo. — . . . **vel mali reparationem**: sive spiritualis v. g. fidei vel religionis periculum, quamvis sint alii quibus illud reparare incumbat *ex officio*, sive etiam temporalis; sed in hoc postremo casu puto ius restringi debere ad malum publicum vel iuris publici, v. g. minorum vel aliorum non valentium sibi consulere sufficienter, ut innuitur ultimis verbis § 2.

R. II. ex § 2. **Imo obligatio denuntiationis urget quotiescumque ad id quis adigitur sive lege vel peculiari legitimo praecepto, sive ex ipsa naturali lege ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum.**

. . . **sive lege** (ecclesiastica): v. g. ea quae praecipit omnibus fidelibus libros quos perniciosos iudicaverint ad locorum Ordinarios vel ad Apostolicam Sedem deferre (c. 1397), clericos et religiosos, nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus, denuntiare Sacrae Congregationi S. Officii (c. 2336, § 2), sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel Sacrae Congregationi S. Officii (c. 904). — . . . **vel peculiari legitimo praecepto**: utputa quod a Superioribus vel Visitatoribus imponi solet initio visitationis. — . . . **naturali lege ob fidei** etc.: v. g. si quis noverit aliquem secreto ideas haereticas spargentem, vel usus spiritisticos inducentem, vel proditionem patriae molientem.

767. **Can. 1936.** — Q. *Quibus, et qua forma debet fieri denuntiatio* (canonica)?

R. **Denuntiatio scriptis a denuntiante subsignatis vel oretenus fieri debet loci Ordinario, vel cancellario Curiae vel vicariis foraneis vel parochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda.**

... **loci Ordinario ... parochis**: si agatur de denuntiatione quae solet vocari *canonica* seu quae ordinatur ad evertendum malum vel promovendum aliquod bonum et fit in adimplementum obligationis impositae a sacris canonibus, indicatae in canone praecedenti. Si vero agatur de *querela* ad satisfactionem acceptae iniuriae, aut de *denuntiatione* quae vocatur *actio civilis ex delicto* et ordinatur ad damnum sibi resarciendum aut de *simplici denuntiatione*, quae hactenus vocabatur et adhuc vocari potest *iudicialis*, eo sensu quod spectat ad provocandum inquisitionem specialem seu iudicialem, ut ea quae studio iustitiae adhibetur ad reparandum aliquod scandalum, uno verbo, quoties agatur de denuntiatione quae fit in exercitium iuris de quo in h. c. § 1, facienda est, quoad possibile sit, ipsi Ordinario, aut promotore iustitiae, ut innuit c. 1937, ne aliis delictum innotescat absque necessitate; non autem Officiali aut iudici ob rationes afferendas in comm. ad c. 1955 circa accusationem per promotorem iustitiae. Non loquimur de denuntiatione quae dicitur *evangelica*, de qua Codex silet, et merito, quia obligationem et processum in eius exercitio tradere pertinet potius ad Theologiam Moralem.

768. **Can. 1937.** — Q. *Qualiter adiuvare possit et debeat promotorem iustitiae denuntiator delicti* (denuntiator iudicialis)?

R. **Qui delictum denuntiat debet promotori iustitiae adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem.**

Can. 1938. — *De actione iniuriarum aut diffamationis: an sit quoque reservata promotori iustitiae.*

769. Q. *Haec actio* 1) *sub qua conditione regulariter reservatur promotori;* 2) *quomodo si agatur de clerico vel religioso.*

R. I. ex § 1. **In causa iniuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur, requiritur praevia denuntiatio aut querela partis laesae.**

... **requiritur praevia denuntiatio aut querela partis laesae**: tanquam conditio regulariter necessaria, quia iniuriatus habet

ius remittendi iniuriam quatenus est malum eundem afficiens, et potest evenire quod hoc faciat; quo in casu interventus iudicis, et proinde promotoris iustitiae, nullum habet scopum, nisi aliunde delictum noceret bono publico ut evenit in casu de quo in § 2.

R. II. ex § 2. **Sed si agatur de iniuria aut diffamatione gravi, clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto, illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis institui potest etiam ex officio.**

Ratio est quia iniuria aut diffamatio gravis, sive illata clerico aut religioso, sive ab illis illata laedit statum clericalem vel religiosum, id est, Ecclesiam quae hoc duplici honoro sodalium coetu maxime commendatur; quapropter, etsi iniuriati remittant iniuriam, quoad ipsorum est, actio criminalis institui potest etiam *ex officio*.

CAPUT II.

De inquisitione.

Expositio rubricae.

Q. I. *Inquisitionis notio et divisio.* **770.**

R. I. *Inquisitio*, sensu generico accepta, est alicuius rei investigatio; in specie, seu in hac materia, est investigatio criminis et auctoris eius.

R. II. Ratione *obiecti:* 1) alia est *generalis*, quae respicit crimen sive in genere sive in specie, id est, in particulari, et eius auctorem in genere; veluti si inquiritur utrum in *aliqua* societate vel communitate, perfecta vel secus, v. g. paroecia, dioecesi, monasterio, etc., *aliqua* (in genere) vel *certa* (in particulari) delicta committantur et a quibus (in genere); 2) alia est *specialis*, quae respicit crimen in specie et auctorem in specie quoque, in sensu iuris, id est, in individuo; ut si inquiratur utrum *tale delictum* commissum fuerit a *tali persona*. Huiusmodi notio inquisitionis specialis eruitur ex toto hoc capite, maxime ex cc. 1939, § 1, 1941, § 1. — Nonnulli diviserunt inquisitionem in *generalissimam*, *generalem* et *specialem;* alii in *generalem*, *specialem* et *specialissimam;* alii in *generalem*, *specialem* ac *mixtam;* sed quoad substantiam non differunt. Quod innuere sufficiat, ne quis discrimen quod perspi-

ciat in vocabulis transferat ad ipsas notiones. Lega *specialissimam* vocat, quae « exercenda est a promotore, scil. quando iam instaurata est criminalis instantia » (1). Haec, saltem novo iure, videtur potius vocari *accusatio* vel exercitium accusationis.

771. Q. II. *Subdivisio et notio inquisitionis, prout sit praevia remediis poenalibus aut iudicio criminali.*

R. Inquisitio specialis subdividitur: ratione *finis* mediati et immediati, ac *formae*, in *iudicialem* et *extraiudicialem*. Ista, considerato *fine mediato*, est quae praemittenda est (2) remediis poenalibus (c. 2306 sq.); et est *extraiudicialis* (3) quia ordinatur ad finem mediatum extraiudicialem, cuiusmodi sunt praedicta remedia. Illa est quae praecedit iudicium criminale, quando adhibetur *processus mixtus*, videlicet, quoties delictum non est notorium vel omnino certum (c. 1939, § 1); et *appellatur* iudicialis quia *a*) « obtinetur per regulas iudiciales » (4); *b*) ordinatur ad scopum iudicialem, nimirum, ad instaurandum iudicium, quod terminatur per pronuntiationem sententiae ad tramites rigoris iuris, nisi forte sit locus correptioni iudiciali (c. 1950), et *c*) debet exigi ad normas iudiciales, et proinde peragi coram actuario et ab hoc redigi in scriptis et subscribi cum inquisitore.

Inspecto *fine immediato*, inquisitio *extraiudicialis* adhibetur ad comparandam *quandam* facti notitiam, quae rationabilem reddat usum remedii poenalis, quod ex se leve est, et quae inquirenti sufficiat pro sua defensione contra *recursum*, si quem inquisitus, remedio poenali correptus, fecerit ad Superiorem; *iudicialis* vero adhibetur ad obtinendam *pleniorem* causae notitiam, qualis necessaria est ad reddendum rationabilem processum criminalem, qui est res gravis, et ad sententiam sufficienter muniendam contra *appellationem* vel aliam impugnationem (5). Nihilominus etsi pro adhibendis remediis *secretis* (c. 2309, § 1), sit notitia sufficiens ea quae habetur ex *semiplena* probatione, ut cum DD. asserit Lega (6); eadem non sufficit si agatur de remediis *publicis*, nam c. 2309, § 3 requirit ut reus sit *convictus* vel *confessus*, certe extraiudicialiter; ad

(1) *De Iudiciis*, IV, n. 141.
(2) *Instr.* S. C. EE. et RR. 11 Iun. 1880, art. 5; Lega, *De Iudic.*, IV, n. 279.
(3) Lega, *De Iudiciis*, IV, n. 297.
(4) Lega, *ibid.*
(5) Lega, *ibid.*
(6) *De Iudiciis*, IV, n. 287.

convincendum vero legaliter aliquem requiruntur duo testes, vel alia similis probatio *plena*.

Spectata *forma*, inquisitio *extraiudicialis* satis consulit *a*) *formae internae* si probationes reo inaudito colligantur, nec ei ostendantur extra casum recursus, aut nisi agatur de monitione vel correptione *publicis*, quae non possunt adhiberi nisi **in reum convictum vel confessum...**; (putamus autem non esse *legaliter* convictum, esto extraiudicialiter, illum cui factum criminosum et istius probationes non fuerint contestata, reticitis quidem nominibus testium ut planum est, sed modo sufficienti pro ipsius defensione), *b*) *formae* autem *externae* et auctoritati probationum in ea collectarum, si de iis constet ex aliquo actu, v. g. confessione inquisiti, depositione, si possibile est subscripta etsi non iurata, duorum vel trium personarum fide dignarum, etc. At vero in inquisitione *iudiciali*, regulae quoad *formam internam*, utpote vere iudiciales, informantur huic principio fundamentali, nempe, *omnia acta et probata confici debere in contradictorio*; ob quam causam probationes in inquisitione compertae debent esse tales et talibus documentis roboratae, ut, si reus in processu accusatorio expostulet, ut potest, ea *legitimari*, id est, eidem plene ostendi etiam cum nominibus testium, impugnationis ergo, non possit iure inficiare earum valorem. Dixi, *ut potest*, quia probationes adversus reum collectae in inquisitione speciali iudiciali « non possunt dici firmae ad effectum *condemnationis*, quousque has discusserit accusatus in sui defensionem » (1); idest, inserviunt tantum *pro informatione Curiae non pro decisione causae*, et nullum habent valorem iudicialem donec in processu a reo *legitimentur*, vel a iudice (non ab inquisitore) audito reo et promotore iustitiae, habeantur uti legitimae per testium *repetitionem* aut *confrontationem* (cf. com. ad c. 1772) (2). Quapropter, ad *formam externam* quod attinet, de omnibus actibus inquisitionis debet constare *modo stricte iuridico*, et, cum sint iudiciales, sensu supra dicto, debent exigi ad normas iudiciales, et proinde peragi coram actuario, et ab hoc redigi in scriptis et subscribi cum inquisitore (3).

(1) Lega, *De Iudiciis*, IV, n. 242.
(2) Cfr. Lega, *De Iudiciis*, IV, n. 297, sq.
(3) Lega, *De Iudiciis*, IV, n. 297.

Expositio textus.

772. **Can. 1939.** — Q. *Inquisitio specialis* 1) *quandonam, a quo, et ad quem finem praemittenda est iudicio criminali;* 2) *an praemittenda sit etiamsi agatur de irrogandis censuris vel declarandis quibuslibet poenis?*

R. I. Facienda est *a*) si delictum nec notorium sit nec omnino certum; *b*) ab Ordinario; *c*) ut constet an et quo fundamento innitatur imputatio.

Ita ex § 1. **Si delictum nec notorium sit nec omnino certum, sed innotuerit sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta, sive alia quavis ratione, antequam quis citetur ad respondendum de delicto, inquisitio specialis est praemittenda ut constet an et quo fundamento innitatur imputatio.**

. . . **nec notorium sit:** sive *notorietate iuris*, **post sententiam iudicis competentis,** aut condemnatoriam aut declaratoriam, quae in rem iudicatam transierit, vel **post confessionem delinquentis in iudicio factam** ad normam c. 1750; sive *notorietate* facti, **si publice notum sit,** id est, iam divulgatum saltem *in ratione facti*, **nulloque iuris suffragio excusari possit** *in ratione delicti*, seu quoad imputabilitatem auctoris cui tribuitur. — . . . **nec omnino certum:** est autem certum illud delictum cuius probationes 1) *actu* habentur, non *in spe* tantum ut contingit quoad probationes a denuntiante *indicatas* sed nondum ab Ordinario perpensas nec quidem extraiudicialiter; 2) sunt talis indolis ut moraliter probabile sit (cf. c. 1946, § 2, 3°) quod valebunt resistere cuilibet impugnationi iudiciali; 3) excussae iudicialiter sint, saltem probabiliter (c. 1946, § 2, 3°), aptae ad ingerendam moralem certitudinem de delicto tam in ratione delicti quam in ratione facti (cf. c. 1869). Porro, ad delictum notorium vel saltem omnino certum reducitur illud de quo constat ex transgressione monitionum aut praeceptorum adhibitorum ad normas c. 2306, sq.; et ideo in talibus delictis « nulla praevia instituenda est iudicialis inquisitio, ut constituatur basis criminis, sed sufficit exhibere ad acta processus seu stadii accusatorii textum praecepti eiusque transgressionem probare » (1).

. . . **ex rumore:** qui est *insinuatio plurium ex incerto*

(1) Lega, *De Iudiciis*, IV, n. 303.

auctore. Et insinuatio quidem est *manifestatio indirecta*, quatenus plures de ea re loquuntur; *manifestatio*, si enim fiat *directe* Superiori aut promotori iustitiae, est *denuntiatio*. Est autem *plurium*, nimirum, ex civitate, vicinia, communitate etc. quando aliqua pars notabilis « puta, media, vel tertia, vel quarta ita loquitur » (1). — ... **et:** nota bene: ac si dicat, *insuper*.

... **publica fama:** est autem *fama* duplex, iuxta Fagnanum (2): *fama hominis* seu *de homine*, et *fama inter homines*. Prior dicitur opinio hominis vel de homine apud alios, seu aliorum existimatio de illo. De hac non est heic sermo. Altera, de qua hic agitur, est *publica seu communis insinuatio vel proclamatio ex sola suspicione, et certo auctore proveniens*. Ita Reiff. l. c.; quem, attenta praxi Ecclesiae (interrogandi super auctore), sequimur contra aliquos asserentes famam posse exsistere licet insinuatio proveniat ex incerto auctore. Dicitur ex sola *suspicione*, quia in illis qui asserunt seu insinuant non requirenda est certitudo moralis de re, tunc enim essent testes; at requiritur in iisdem ut sint *providi* et *honesti*, non *malevoli et maledici* ut dicitur in c. 2, X, *De accusat.* V, 1. Tandem huiusmodi fama potest esse vel *generalis*, quod, nimirum, *talis* persona sit *non bona* aut habeat *tale vitium*, vel *specialis*, seu *de determinato crimine*, quod, videlicet *talis persona* commiserit *tale delictum:* et de ista agitur hic (3).

... **ex inquisitione generali:** quae in casu est *assidua vigilantia qua Ordinarius curat cognoscere quaenam et a quibus ex suis subditis fiant contra legem aut spiritualem ordinem custodiae Superioris ecclesiastici commissum, ut ea praeveniat aut eliminet*. Proinde non agitur de sola inquisitione quae continetur et fit Visitatione expresse indicta, et materialiter generali seu respiciente totam communitatem vel maiorem eius partem. Si igitur occasione, tum Visitationis canonicae, sive generalis sive particularis, tum vigilantiae quotidianae qua oretenus vel litteris exquiruntur informationes de vita et moribus subditorum, delictum alicuius innotuerit Ordinario, potest esse locus inquisitioni speciali iudiciariae, ad normam c. 1942. Quod confirmatur verbis quae sequuntur: **sive alia quavis ratione.** — Nulla mentio fit de necessitate praeviae diffamationis illius qui inquisitioni speciali est subiiciendus.

... **antequam ... citetur:** ergo ista inquisitio, etsi iudicialis,

(1) **Lega**, *De Iud. crim.*, IV, n. 303.
(2) **Reiff.**, *I. C. U.*, lib. II, tit. 20, § 12.
(3) C. 27, *De cohab. cleric. ac mulier*.

eo sensu quod ordinatur ad iudicium instaurandum, in quo sententia dabitur iuxta probationes in ea collectas, debet peragi inscio inquisito. — . . . **inquisitio specialis:** ita merito dicta quia respicit tum delictum tum auctorem *in specie iuridica*, id est, *tale delictum* et *talem personam*, ut dictum est in expositione rubricae. — . . . **ut constet:** scilicet, ut quaerantur et obtineantur tales probationes quae postea, id est, in processu accusatorio seu post citationem, inquisito ostensae et ab eo impugnatae et forsitan destructae, nihilominus conservent ex se vim sufficientem ad demonstrandum quod fundamentum **cui innititur imputatio** est verum et, abstrahendo ab impraevisa impugnatione, saltem probabiliter sufficiens (c. 1946, § 2, 3°) ad eum condemnandum.

R. II. Affirmative ex § 2. **Huic regulae locus est sive agatur de irroganda poena vindicativa vel censura, sive de ferenda sententia declaratoria poenae vel censurae in quam quis inciderit.**

Sed notetur quod si censura irrogetur aut declaretur per modum praecepti seu extraiudicialiter, ut potest fieri iuxta superius exposita in com. ad c. 1933, § 4, inquisitio specialis, quae in utroque casu praemitti debet vi canonis quem commentamus, est extraiudicialis; cuius discrimina a iudiciali innuimus in **n. 771** in expositione rubricae, et usque prae oculis habenda sunt, praecipue quae spectant ad formam inquisitionis tum internam seu intrinsecam, tum externam.

773. **Can. 1940.** — Q. *A quonam inquisitio specialis iudicialis a) peragi potest semper sed non debet; b) peragi debet ex generali regula; c) peragi potest ex peculiari ratione.*

R. **Haec inquisitio, quamvis ab ipso loci Ordinario peragi possit, ex generali tamen regula committenda est alicui ex iudicibus synodalibus, nisi eidem Ordinario ex peculiari ratione alii committenda videatur.**

Haec inquisitio: nimirum, de qua hic agitur ex professo et principaliter, seu inquisitio specialis praemittenda iudicio criminali, et exinde iudicialis, non inquisitio de qua loquitur c. 1939, § 2 quando praemittitur irrogationi aut declarationi censurae quae declaratur aut irrogatur per modum praecepti seu extraiudicialiter, nam tunc inquisitio est extraiudicialis (cfr. **n. 771**), et libere potest Ordinarius eam facere per se vel per alium, ut patet ex c. 2306, sq.

Can. 1941. — Q. *Inquisitor* 1) *utrum possit delegari ad universalitatem causarum;* 2) *quasnam obligationes habeat;* 3) *an possit iudicem agere in eadem causa.* **774.**

R. I. Negative ex § 1. **Inquisitor delegetur non ad universitatem causarum, sed toties quoties et ad unam causam.**

. . . **non ad universitatem causarum :** etenim, 1) certo quemlibet pigeret munus suscipere quod eum reddit odiosum quampluribus, scilicet, omnibus sive vere sive specie tenus delinquentibus; 2) cum pars inquisitiva processus criminalis sit eo magis difficilis et longior, nonnisi aegre et cum nimia dilatione administrationis iustitiae posset unus confectionem omnium processuum inquisitivorum explere.

R. II. ex § 2. **Inquisitor tenetur iisdem obligationibus quibus iudices ordinarii, ac praesertim praestare debet iusiurandum de secreto servando deque officio fideliter implendo et abstinere ab accipiendis muneribus ad normam can. 1621-1624.**

R. III. Negative ex § 3. **Inquisitor nequit in eadem causa iudicem agere.**

. . . **nequit :** id est, ni fallor, prohibetur, et ideo non debet seu non potest licite, sed utique valet seu potest valide; nam prohibitio non fit sub conditione nullitatis, prout ad invaliditatem requiritur ex can. 1680. Et merito **nequit** seu *prohibetur*, cum instructor causae praesumatur suspectus, id est, determinato modo affectus erga eam, quam rationabiliter coniicitur velle definiri iuxta instructionem a se expletam. Qua tamen exceptione suspicionis maior est Ordinarius propter eminentiam muneris, et ideo non prohibetur inquirere et iudicare in eadem causa (c. 1940).

Can. 1942. — Q. *Quoad argumenta ad inquisitionem instaurandam* 1) *cuinam committitur iudicare de sufficientia eorum in genere;* 2) *quaenam denuntiationes sunt nihili faciendae?* **775.**

R. I. ex § 1. **Prudenti Ordinarii iudicio committitur statuere quandonam ea, quae praesto sunt argumenta, sufficiant ad inquisitionem instituendam.**

. . . **Ordinarii:** etiam Vicarii Generalis, nam canon non excipit; minime vero Officialis, quia licet inquisitio dicta iudicialis pertineat ad genus iudicii quatenus ad iudicium ordinatur, attamen non est iudicium, et proinde ad Officialem non pertinet inquirere. Siquidem exercitium eius officii, vi potestatis ordinariae iuxta c. 1573, § 1, incipit in re criminali quando revera

exorditur iudicium, id est quando promotor iustitiae exhibet ei libellum accusationis (c. 1955), vi autem potestatis delegatae quando Ordinarius, aut officialis ipse de mandato tamen speciali Ordinarii, praecipit ut citetur reus (c. 1946, § 3), vel ut **acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae** (c. 1954). — ... **quae praesto sunt argumenta**: quibus verbis significatur inquisitionem specialem non posse institui quando argumenta seu probationes habeantur *in spe*, sed cum habeantur *prae manibus*.

R. II. ex § 2. **Nihili faciendae sunt denuntiationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, vel anonymae iis adiunctis iisque aliis elementis carentes, quae accusationem forte probabilem reddant.**

... **ab inimico manifesto**: a quo, nempe, reus damnum certo grave recepit, vel cui ipse, quamvis nolens, grave damnum intulit. Si inimicitia sit dubia redit regula statuta in § 1. — ... **ab homine vili et indigno**: id est, conditionis abiectae moraliter ob crimen aut vitia, non materialiter, nisi abiectio materialis secumferat, ut non raro accidit, abiectionem et indignitatem in ordinem morum. — ... **anonymae iis adiunctis** (carentes): id est, indicatione loci et circumstantiarum delicti, documentorum, si quae sint, et loci ubi inveniri possint, nominum, domicilii et qualitatum testium, ut dictum est c. 1936. — ... **iisque ... elementis**: iuxta prudens iudicis arbitrium opportunis. — ... **forte probabilem**: quae verba indicant denuntiationes anonymas ordinarie non reddere denuntiationem probabilem sed tantummodo in determinatis rerum adiunctis, utputa, si non levis fama aut notabilis rumor concurrant cum denuntiatione, unde haec deveniat forte probabilis.

776. **Can. 1943.** — Q. *Haec inquisitio a) utrum debeat esse semper secreta; b) quibus cautelis ducenda; c) et ad quid.*

R. **Inquisitio secreta semper esse debet, et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur.**

... **secreta semper**: quo prospiciatur 1) iuri quod inquirendus habet ad famam; 2) prudenti deliberationi Praelati si exitus inquisitionis sit *negativus*, id est, non conducens ad cognitionem criminis eiusve auctoris; 3) scandalo fidelium vitando. — ... **cautissime**: cautela, igitur, debet esse accuratissima, et quidem duplex, vel tendens ad duplicem scopum immediatum (qui ad obtinendum triplicem scopum mediatum

praedictum ordinatur), videlicet; 1) ne rumor delicti diffundatur si vel ipsa notitia inquisitionis ad aliquorum aures perveniat qui non sint interrogandi aut interrogentur plures quam necessarii aut qui sint talis indolis ut inquisitio seu interrogatio etiam sub secreto eos impellat ad delictum magis evulgandum; 2) neve bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur, si in causa interrogentur de crimine qui de eo non sunt edocti, aut sine vera necessitate interrogentur illi quibus inquisitus est magis notus, etc.

Can. 1944. — *De ratione peragendi inquisitionem seu exquirendi probationes.*

Q. I. *Quaenam et quo ordine sint probanda, quibus mediis seu probationibus et qua forma.* 777.

R. I. Quoad *obiectum* et *ordinem*, duo et quidem ex ordine immutabili debet probare inquisitor: primo *factum criminosum*, deinde *imputabilitatem* seu reitatem inquisiti. « Equidem, ait Lega (1), in primis hoc advertatur, non fas esse aliquem postulare de aliquo crimine seu formaliter submittere iudiciali examini (etiam inquisitivo) nisi constet *de corpore delicti* seu adsit *basis facti criminosi* »; id est, nisi prius de delicto constiterit per exhibitionem *corporis delicti*, ut dicebant veteres canonistae cum iuristis, seu *basis facti criminosi*, ut loquitur *Instructio* S. C. EE. et RR. 1 Iun. 1880; et quidem magis proprie « quia laesiones in disciplinam eccles. ut plurimum, constituunt delictum facti transeuntis, semper (saepe?) vero continent aliquod facinus, quod non praesefert ea elementa materialia proprius vocata corpus delicti, veluti cadaver hominis occisi, vel res furto ablatas, aut instrumenta, quibus crimen perfectum est » (Id., *l. c.*).

R. II. Inter *probationes* iure canonico legitimas (cf. c. 1747, sq.), *a*) saepe praecipua in inquisitione et regulariter prior tempore est quae dicitur *visitatio corporis delicti*, vel proprius, in re ecclesiastica, *inspectio ocularis* aut *recognitio realis*, veluti, si inquisitus denuntiatus fuit quasi fugitivus a Conventu, visitatio Conventus a quo ille aufugisse dicitur, nisi aliunde satis constet de fuga; *b*) succedunt *informationes authenticae*, ut loquitur praefata Instructio, quales sunt « relationes authenticae factae a viris aut personis fide dignis, vel a publicis administris, veluti a promotore fiscali, a Vicario fo-

(1) *De Iudiciis crim.*, Vol. IV, n. 303.

raneo, a Parochis » (Id., *l. c.*); item *c*) *confessiones extraiudiciales* ut dicit citata *Instructio*, « factae nempe ab ipso inquisito, ad acta (inquisitionis) deductae vel per documenta scripta vel per *attestationes* vel per *indicia* », constituto tamen ante oculos quod, cum non agatur **de negotio aliquo privato** (c. 1751) confessiones, etsi confirmatae postea in periodo accusatoria, non relevant promotorem ab onere probandi (Id., *l. c.*); denique, *d*) *testium depositiones* (Instr. cit.), quae « sunt fons ordinarius et communis in criminalibus » (Id., *l. c.*). Idcirco de hac sola specie probationum fit mentio in hoc canone; non quod respuantur aliae, praecipue probationes per documenta, v. g. informationes authenticae, aut per confessiones extraiudiciales, tanquam indicia utilissima.

R. III. *Quoad formam*, 1) *Omnes* probationes colliguntur et perpenduntur *inscio reo et inaudito*, habitis tamen prae oculis *a*) hoc « principio, fundamentali in re iudiciali, nempe omnia acta et probata confici per *processum contentiosum* (seu *in contradictorio*), cuius valorem inficiari non possit ipse reus » (1); *b*) applicatione ipsiusmet huius principii, quod inquisitus expostulare potest ut omnia acta iudicialia, eo inaudito confecta, *legitimentur* (Id., *l. c.*), seu *contradictioni* ipsius proponantur in periodo *accusatoria*. 2) In *probatione per testes*, ii adigi debent ad secretum servandum iuxta praescriptum h. c. § 1 et ex arg. c. 1623, § 3, cum cuiuslibet causae criminalis, dum *in periodo inquisitiva* versatur, **natura talis sit ut ex actorum . . . evulgatione aliorum fama periclitetur,** etc. 3) Quoad *qualitates*, *iusiurandum*, *examen*, *indemnitatem*, *etc. testium*, *recognitionem documentorum*, designationem *peritorum*, etc., et cetera alia ad probationes pertinentia, serventur regulae statutae in c. 1747, sq. quatenus locum habere possint *in parte inquisitiva* processus, ut quoad testes expresse praecipitur. Sic v. g. *confrontatio testium* inter se vix fieri potest absque periculo revelationis secreti, recognitio realis non semper potest fieri secreto, etc. Cum autem inquisitio explenda seu finienda sit ante citationem inquisiti (c. 1946), puto nunquam habere locum in ea *testium confrontationem cum inquisito*, nec *personalem inquisiti recognitionem* per testem aut ipsum inquisitorem, si iste inquisitum cognoscit, non distincte in personam, sed tantum per generales personales notas.

(1) Lega, *De Iudiciis crim.*, Vol. IV, n. 297.

Q. II. *Regulae quoad personas interrogandas servandae* 1) *ante earum examen;* 2) *in earundem examine.* 778.

R. I. ex § 1. **Ad finem suum assequendum potest inquisitor aliquos, quos de re edoctos censeat, ad se accire et interrogare sub iureiurando veritatis dicendae et secreti servandi.**

Ad finem suum assequendum: id est, ad haurienda **certa vel saltem probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta** (c. 1946, § 2, 3°). — ... **potest:** et tenetur, si alia argumenta desint. — ... **aliquos:** viros praecipue, ut ipsum verbum innuit et secretum huius inquisitionis postulat, sed non exclusive, si necessitas absit, nam sub eodem verbo veniunt quoque mulieres; utrosque autem non multos, huc enim maxime pertinet praescriptum c. 1762: **Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi;** nam in criminalibus attestatio est magis onerosa et specialiter odiosa, et multitudo testium diffundit nimis notitiam criminis, et minuit bonum nomen inquisiti. — ... **de re edoctos censeat:** vel ob adiuncta *residentiae, similis vitae rationis*, etc., in quibus tum ipsi tum auctor criminis versabantur tempore perpetrationis; vel ob damnum quod ex delicto persentiunt; vel etiam eo quod delictum denuntiarunt. — ... **ad se accire:** mediante decreto ad instar citationis iuxta c. 1724. — ... **interrogare:** tum de *ipsa re*, nimirum, de *facto criminoso* et *de eius auctore*, utroque in specie, tum *de rebus connexis*, maxime *de sociis delicti*, et *de antecedentibus criminalibus* auctoris, id est, an sit recidivus, an de aliis delictis fuerit condemnatus, vel accusatus, aut inquisitus, aut diffamatus. — ... **sub iureiurando**: ad normam can. 1767, § 1, omisso, ut planum est, praescripto § 2, et c. 1769.

R. II. ex § 2. **In eorum examine servet inquisitor, quantum fieri potest et natura inquisitionis patitur, regulas statutas in can. 1770-1781.**

... **quantum fieri potest et natura inquisitionis patitur:** sic, cum inquisitio explenda seu finienda sit antequam inquisitus citetur (c. 1946), nunquam habet locum *confrontatio testium* cum reo, nec *personalis inquisiti recognitio* per testem aut ipsum inquisitorem, quae ceteroquin esset opportuna si isti inquisitum cognoscunt, non distincte in personam sed tantum per generales notas personales.

Can. 1945. — *De personis inquisitioni intervenientibus.*

779. Q. I. *Quasnam personas inquisitor adhibere* 1) *debeat;* 2) *possit.*

R. I. Debet adhibere *actuarium*, necnon *cursores* **nisi alia sit probata tribunalis consuetudo** (cf. c. 1591, § 1). Primum patet ex eo quod 1) versamur in re quae reducitur *ad genus iudicii* in quo quidem actuarius est absolute necessarius iure positivo (c. 1585, § 1); 2) inquisitori examussim, imo a fortiori, congruit quod Lega (1) dicit de iudice: « . . . non fas est iudici partes quoque explere actuarii, quoniam actuarius fidem facere debet publicam de *actis* tum a iudice tum a partibus litigantibus confectis, et *nemo testis in causa propria* ». Quocirca ius vetus (2) statuebat: *Processus confectio* (inquisitio) *committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante Actuario.* Alterum suadetur quoque ea ratione quod inquisitio spectat ad rem iudiciariam, quatenus est praeparatio iudicii ; in quo ius positivum requirit cursores, iuxta c. 1591, § 1. Quapropter ius vetus (3) sic habebat: *Quatenus pro intimationibus et notificationibus haud praesto sit Apparitorum Curiae opera, supplebitur exhibitione eorundem expleta per qualificatam personam.*

R. II. Videtur inquisitor posse assumere *assessorem*, certo autem potest uti opera *promotoris iustitiae.* Hoc expresse permittitur in h. c.; illud deducitur ex eo quod 1) inquisitio seu instructio processus inquisitivi pertinet ad rem iudicialem ; 2) eadem est basis accusationis seu instructionis processus accusatorii; 3) ipsamet est pars difficilior processus criminalis ; 4) nemo regulariter prohibetur consilium exquirere, quin saepe quis tenetur in re gravi et difficili. His autem rationibus ostenditur quod, si, ex c. 1575, **unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest,** valet ipse, ex quo iudicium praeparat inquirendo iudicialiter sive per se sive per alium, eos assumere.

780. Q. II. *Quomodo et quando possit inquisitor interventum promotoris iustitiae exquirere.*

R. **Inquisitor, antequam inquisitionem claudat, potest promotoris iustitiae consilium exquirere quoties in aliquam difficultatem inciderit, et cum eo acta communicare.**

(1) *De Iudiciis crim.*, Vol. IV, n. 154.
(2) *Instructio* S. C. EE. et RR. 1 Iun. 1880, art. 12.
(3) *Ibid.*, art. 14.

... **consilium exquirere**: quia inquisitor, dum processus conficit non intendit probationes in inquisitum congerere ut de eius persona vindicta sumatur, cum de reitate non constet, sed ut satisfaciat debito iustitiae, cuius tutela non solum contra reum sed pro ipso commissa est promotori; qui proinde merito in adiutorium inquisitionis permittitur. — ... **consilium** circa **aliquam difficultatem**: specialem, minime autem talem interventum ut promotor processum conficere videatur; non enim veluti casu sed apposite et sapientissima quidem providentia legislator, sententias favore gaudentes inter hodiernos criminalistas habens prae oculis, ita ordinavit iudicium criminale ut regulariter (c. 1941, § 3), *a*) alius sit processus inquisitivi *instructor*, nempe *inquisitor*, *b*) alius criminis *accusator*, videlicet *promotor iustitiae*, *c*) alius causae *cognitor* et *definitor*, id est, *iudex*. Hac ratione, ait Lega (1), « inquisitio est magis remota a suspicionibus, quibus forte fieret locus ob secretum processum. Nam cum alius sit qui probationes comparat, alius qui probationes collectas obiicit, utpote accusator, seu promotor fiscalis, et alius qui ex actis et probatis sententiam edit condemnatoriam aut absolutoriam, eiusmodi probationum argumenta maiorem sibi conciliant fidem apud honestos cives et magis reddunt immunem a studio partium animum iudicis » — ... **quoties ... inciderit**: facillime enim contingit ut inquisitor, utputa qui raro huic rei dat operam, non sit adeo peritus in ea ut promotor iustitiae cui ex officio incumbit eandem rem callere. — ... **cum eo acta communicare**: non obstante secreto inquisitionis, nam illa communicatio est necessaria ut consilium promotoris sit prudens et opportunum.

Can. 1946. — *De citatione in processu sive mixto sive accusatorio.*

Q. I. *Quid facere debeant, expleta inquisitione* 1) *inquisitor;* 781.
2) *Ordinarius vel Officialis, a) si denuntiatio appareat infundata, b) si indicia habeantur sed nondum sufficientia, c) si praesto sint saltem probabilia argumenta.*

R. I. ex § 1. **Expleta inquisitione, inquisitor, addito suffragio suo, omnia referat ad Ordinarium.**

... **addito suffragio suo**: id est, adiuncta relationi inquisitionis sua sententia super *a*) veritate facti denuntiati, *b*) vera

(1) *De Iudiciis crim.*, Vol. IV, n. 114. Cfr. sent. S. R. C. *Colonien. seu Monasterien.*, Suspens. et iurisdict., 31 Maii 1912.

imputabilitate physica personae cui factum tribuitur, *c*) vera imputabilitate morali seu reitate. — **... omnia referat:** in scriptis, ut planum est (cfr. **n. 771**), cum subscriptione sua et notarii.

R. II. ex § 2. **Ordinarius vel de eius speciali mandato officialis suo decreto iubeat ut:**

1° Si appareat denuntiationem solido fundamento esse destitutam, id declaretur in actis et acta ipsa in secreto Curiae archivo reponantur;

2° Si indicia criminis habeantur, sed nondum sufficientia ad accusatoriam actionem instituendam, acta in eodem archivo serventur et invigiletur interim moribus imputati, qui pro prudenti Ordinarii iudicio erit opportune super re audiendus, et, si casus ferat, monendus ad normam can. 2307;

3° Si denique certa vel saltem probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sint, citetur reus ad comparendum et procedatur ad ulteriora ad normam canonum qui sequuntur.

... de eius speciali mandato: quod requiritur quia nondum inceptum fuit iudicium criminale nec quidem ex parte et imperfecte per citationem, et proinde officialis non potest aliquid praecipere vi mandati generalis quod ei datur ad peragendum officium iudicis cum potestate ordinaria (c. 1573, § 1). — **... denuntiationem:** quod verbum, ni fallor, ponitur hic pro *manifestatione* in genere, id est pro **quavis ratione,** v. g. rumore, inquisitione generali, etc. (cfr. c. 1939, § 1), qua delictum Ordinario fuit manifestum vel notum. — **... in secreto Curiae archivo reponantur:** etenim, cum saepe saepius et fere ordinario accidat quod Ordinarius semel inquisitum cogatur iterum inquisitioni submittere ob novas denuntiationes vel nova iudicia, valde expedit ut acta prioris inquisitionis in archivo reponantur ad hoc ut facta denuntiata et eorum indicia inter se conferantur; quia vero agitur de re secretissima, debent reponi acta in archivo.

... Si indicia ... nondum sufficientia: iudicio Ordinarii, perpenso suffragio inquisitoris, et audito, si Ordinario placuerit, promotore iustitiae. — **... opportune super re audiendus** (imputatus): sive statim, sive serius; sed notetur quod supponitur plene expleta inquisitio. — **... certa vel saltem probabilia ... argumenta:** sufficiunt autem *probabilia*, nec requiruntur *certa* qualia requiruntur ad pronuntiandam sententiam, quia aliquem *accusare*, licet publice, est longe minus grave quam eum *condemnare:* ad hoc necessaria est *certitudo moralis* saltem imper-

fecta, ut diximus in com. ad c. 1869, ad accusandum vero sufficit *opinio solide probabilis* quod imputatus est culpabilis et ideo societati probabiliter noxius. — ... **praesto sint**: nimirum, iam parata.

... **citetur** (reus): vel decreto Ordinarii vel eius iussu, uti dicitur in principio huius paragraphi, non autem ab officiali nisi de illius *mandato speciali*, cum in criminalibus **gradus fiat ad formale iudicium** tunc quando Ordinarius praecipit ut **acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae** (can. 1954), aut, si agatur de processu accusatorio, acta sessionis in qua reus citatus primo comparuit, vel pressius, quando promotor iustitiae libellum *de mandato Ordinarii confectum* (c. 1954) porrigit iudici, id est, officiali in tribunali dioecesano; et, proinde, tunc primum incipit officialis munus suum exercere. Porro haec citatio, cum fiat *ad comparendum* non autem *ad respondendum libello formali* promotoris iustitiae, debet 1) exprimere *a*) nomen *Ordinarii*, non *iudicis; b*) causam *verbis generalibus* indicatam; *c*) locum et tempus; 2) esse munita sigillo Ordinarii, et subscripta ab eo et a notario (Cf. can. 1715).

... **reus**: quo nomine vocatur iam deinceps imputatus quia, licet non sit reus praesumptus, est tamen reus rationabiliter suspectus, vel praetensus, ob indicia ex inquisitione emergentia. — ... **ad comparendum**: coram quo? Coram Ordinario, nisi hic expresse iniunxerit reo comparere coram officiali. Et ratio est quia nondum factus est gradus ad formale iudicium; decernere autem an et quando fiet spectat in re criminali ad Ordinarium. — ... **procedatur ad ulteriora**: id est, ad ea quae inquisitioni succedunt, quae quidem sunt duo, alternative tamen, videlicet, vel *a*) *correptio delinquentis*, vel *b*) *instructio iudicii* seu processus criminalis. De priore agit statim legislator; sed nobis expedit prius perpendere sequens quaesitum.

Q. II. *A quo debet fieri citatio in processu accusatorio?* 782.

R. Puto citationem faciendam esse quoque ab Ordinario in processu accusatorio, non ab officiali, nisi de eius speciali mandato, reumque debere exinde comparere coram eodem Ordinario, nisi in decreto caveatur expresse ut compareat coram officiali, et ab illo interrogari. Ratio est quia etiam in delictis notoriis aut omnino certis ad Ordinarium spectat correptionem facere (c. 1946) et decidere et proinde perpendere utrum sit locus correptioni; in illis vero in quibus indubium sit non esse locum correptioni, natura Ecclesiae, utpote societatis religiosae, exigit

(cf. com. ad c. 1947) ut unus Ordinarius decidat utrum delictum quod dicitur notorium aut omnino certum sit revera tale, cum plura dicantur notoria quae non sunt (cf. **n. 444**) maxime autem utrum delictum deducendum sit *statim* in iudicium, aut, e contra, sit opportunum vel forte necessarium accusationem *differre* per aliquod tempus. Hinc si accusatus iussus fuerit comparere coram Officiali, hic acta *examinis*, aut saltem *exitum auditionis* eiusdem, debet reddere nota Ordinario ut hic vel *decernat correptionem*, vel **praecipiat ut acta tradantur promotori iustitiae** iuxta can. parallelum 1954. Tandem sequitur citationem hanc, cum fiat *ad comparendum* tantum, debere exhibere easdem *materiam* et *formam* indicatas in Q. praecedenti, v. **citetur**.

CAPUT III.

De correptione delinquentis.

Expositio rubricae.

783. Q. I. *Ratio* 1) *huius capitis*, 2) *rubricae*, *ac* 3) *ordinis*.

R. I. Cum emendatio delinquentis sit prae primis intentio systematis poenalis Ecclesiae, illa autem possit ex se obtineri quandoque aliis mediis mitioribus processu et sententia iudicialibus, nihil mirum si sacri canones praescribant ut etiam quando, per praeviam inquisitionem specialem aut alio modo, licet publico sed certo, constet de delicto eiusque auctore, non statim iudex properet ad instaurandum iudicium, sed prius adhibeatur aliquod emendationis experimentum, extra illos casus in quibus praeiudicium afferatur alteri fini poenarum et iudicii ecclesiasticorum, videlicet, reparationi scandali, seu quando delictum taliter aedificationi fidelium nocuerit ut damnum nequeat sola emendatione delinquentis reparari. Et quia ad emendationem conferunt naturaliter *suasiones* quae intellectum convincant, *exhortationes* quae voluntatem accendant, *castigationes* quae animum excitent, hinc canones huius capitis III *De correptione delinquentis*, quae illa omnia continet.

R. II. Correptio, de qua hic agitur, appellatur *correptio iudicialis*, licet fiat ab Ordinario non quatenus iudice, quia fit aut intentatur *a*) loco iudicii, *b*) immediate ante aut inter ipsum iudicium, et *c*) ob delicta seu transgressiones graves et publicas quae sunt obiectum iudicii, et ex se debent coerceri ordine seu

processu iudiciario et poenis processui iudiciali congruentibus, semper gravioribus quam quae extra iudicium infliguntur (arg. c. 1952, § 2). Potest autem appellari correptio iudicialis *praecipue medicinalis*, ut discernatur a correptione iudiciali quae fit **a iudice pro tribunali sedente** (c. 2309, § 3) et potest dici *stricte poenalis* quia est vel medicinalis vel vindicativa et **fit ad augendam poenam** (ibid., § 4).

R. III. Quamvis *correptio iudicialis medicinalis* fieri et intentari possit incepto iudicio, dummodo ante conclusionem in causa (c. 1950), tempus magis opportunum ut fiat, et quo saltem intentari debet, est illud quod immediate succedit inquisitioni; quapropter heic legislator agit de illa.

Q. II. *Correptionis iudicialis praecipue medicinalis definitio,* **784.** *et eius discrimen ab extraiudiciali, et a iudiciali stricte poenali.*

R. Correptio iudicialis praecipue medicinalis est *exprobratio delicti cum opportunis suasionibus et adhortationibus reo confesso et poenitenti facta ab Ordinario ad modum actus iudicialis, et eiusdem rei plerumque castigatio per remedia salutaria mitiora, cum comminatione poenae gravioris si promissionem emendationis non servaverit.* Differt a correptione *extraiudiciali*, etiam publica, de qua in c. 2306, sq., quia haec sufficit ut fiat coram notario, aut duobus testibus vel per epistolam ad normam c. 2309; illa autem debet praecise fieri ad modum actus iudicialis, id est coram notario iudiciali seu actuario. Differt a correptione *iudiciali stricte poenali* quia haec fit *a iudice* per sententiam, seu pro tribunali sedente, et ad augendam poenam sententia iudiciali inflictam, forte vindicativam, illa vero est semper medicinalis et datur ab *Ordinario* non per sententiam iudicialem.

Expositio textus.

Can. 1947. — *De auditione rei et de requisitis pro correptione iudiciali.*

Q. *a) Quisnam reus admitti possit ad correptionem; b) de* **785.** *quibusnam debeat reus interrogari in auditione seu primo examine; c) quaenam responsio requiratur pro correptione; et d) a quo facienda sit correptio.*

R. **Si reus interrogatus delictum confiteatur, Ordinarius, loco criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali si eidem locus sit.**

Si reus: sive inquisitus sive accusatus, nam etiam in processu accusatorio oportet ut **Ordinarius, loco criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali, si eidem locus sit,** ut patet ex eo quod legislator rubricam *De correptione delinquentis* apposuit capiti diverso a capite II, *De inquisitione*, non autem alicui articulo vel alteri divisioni capitis II. — ... **interrogatus**: et primum quidem **de generalibus personae adiunctis, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio** (cfr. c. 1774) ad statuendam personae *comparentis* identitatem cum persona *inquisita*; deinde *de particularibus*, scilicet, **quae causam ipsam respiciunt** (ibid.). Circa haec autem arbitror quod, iure novo, in prima sessione vel vadimonii exsecutione, utpote ordinata regulariter ex eodem iure, vi huius c., ad scopum decidendi utrum procedendum sit *ad correptionem iudicialem* an *ad iudicium* seu *instructionem processus accusatorii*, reus debet interrogari *certo quodam modo generali* tantum, videlicet: 1) *quare stet coram Ordinario* (si forte sponte se stiterit, ut innuit c. 1711, § 2), vel (alias) *utrum sciat cur et ad quid sit ab Ordinario citatus;* 2) postquam ei contestatae sint conclusiones inquisitionis aut capitula generalia accusationis, *utrum se agnoscat reum* delicti de quo fuit inquisitus vel de quo est accusatus; 3) si ex natura rei aut ex inquisitione vel accusatione constet de sociis criminis, *an et quos socios delicti habeat;* 4) *utrum fuerit aliquando ob idem delictum comdemnatus, accusatus aut inquisitus;* 5) *an idipsum illi evenerit ob alia delicta.*

Haec nostra sententia confirmatur ex eo quod haec sessio in qua fiunt reo primae interrogationes non vocatur a legislatore *constitutum*, id est, verum examen rei, ut vocabatur iure practico veteri quo non aderat praescriptum *de correptione facienda* loco iudicii, et ideo scopus interrogationum erat valde diversus, scilicet, intentare *litis contestationem*. Porro *litis contestatio* in prima sessione vel in aliis immediate successivis, sed materialiter tantum diversis (utpote habentibus eundem scopum) perficiebatur, *a*) datis accusatori terminis *ad proponendum capitula* seu *positiones*, super quibus reus debebat interrogari pro recte determinando obiecto controversiae et probationum (in quo consistit litis contestatio) et *ad respondendum capitulis* forte a reo propositis; *b*) reo pariter praefixis terminis *ad respondendum capitulis* accusatoris et ad *proponendum capitula* eidem. Sed iure Codicis vox *constitutio* rei, vel *constitutum* seu verum eius examen pro perficienda litis contestatione (ut

videbitur ad c. 1955), reservatur indicenda, ut habet rubrica capitis IV, pro alia sessione formaliter diversa, quia alium habet scopum, et quidem *indicenda formaliter, non ab Ordinario sed a iudice*, postquam Ordinarius declaraverit *locum esse instructioni iudicii criminalis*, et exinde praeceperit ut acta, sive accusationis sive inquisitionis necnon primae sessionis, tradantur promotori iustitiae pro conficienda et proponenda formali accusatione, quae, utpote initium formalis contestationis litis, debet huic praecedere. Quae omnia clarius patebunt ex his quae statim exponuntur.

Si . . . delictum confiteatur: en conditio necessaria ut sit locus correptioni. — . . . **Ordinarius**: etiam Vicarius Generalis, si habuerit mandatum speciale ad inquirendum et corripiendum, quod requiritur c. 2220, § 2; minime vero si fuisset merus delegatus ad inquirendum, nam tunc non egisset tanquam Ordinarius: neque etiam Officialis, qui nunquam venit nomine Ordinarii. Quocirca si in decreto citationis reus iussus fuit comparere coram Vicario Generali agenti ex delegatione, aut coram Officiali, acta sessionis auditionis inquisiti mittant ipsi ad Ordinarium, qui unus decidet utrum sit locus correptioni, et an et quando procedendum sit ad iudicium. Cur autem legislator ecclesiasticus hanc decisionem reservavit Ordinario? Ni fallor, quia in societate ecclesiastica, utpote religiosa, ad pastores animarum, id est, ad Episcopos et Praelatos, non autem ad magistratus iudiciarios, spectat prospicere bono spirituali totius communitatis et singulorum fidelium, et proinde determinare in singulis casibus quo modo utrique bono providendum sit.

Can. 1948. — Q. *In quibus delictis, et in quibus casibus non habet locum correptio iudicialis?* 786.

R. **Correptio iudicialis locum habere nequit:**

1° In delictis quae poenam secumferunt excommunicationis specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae, aut privationis beneficii, infamiae, depositionis aut degradationis;

2° Quando agitur de ferenda sententia declaratoria poenae vindicativae vel censurae in quam quis inciderit;

3° Quando Ordinarius existimet eam non sufficere reparationi scandali et restitutioni iustitiae.

. . . **In delictis . . . degradationis**: uno verbo, in gravioribus delictis quae committi possunt, et in quibus ipse legislator existimavit emendationem **non sufficere reparationi scan-**

dali et restitutioni iustitiae. — . . . de ferenda sententia declaratoria, . . . inciderit: quia in his casibus, si delictum fuerit revera commissum, poena vel censura iam sunt incursae, et proinde urget instituere iudicium quo declaretur delictum commissum fuisse vel secus; verbum enim **sententia** supponit quod heic sermo est de poenis vel censuris quae nequeunt declarari nisi per iudicium; iuxta dicta in com. ad c. 1933. — . . . **non sufficere reparationi scandali** etc. : quia, etsi *emendatio delinquentis* sit finis magis principalis iudicii criminalis ecclesiastici, attamen *vindicta criminis* seu *reparatio scandali* et *damni* iniuste illati est finis eius quoque principalis, cuius assecutionis non potest non haberi ratio.

787. **Can. 1949.** — Q. *Quoties potest locus esse correptioni: et quid si post alteram reus idem delictum commiserit?*

R. I. ex § 1. **Correptioni locus esse potest semel et iterum, non autem tertio contra eundem reum.**

R. II. ex § 2. **Quare si post alteram correptionem reus idem delictum commiserit, criminale iudicium instrui aut inceptum continuari debet ad normam can. 1954 seqq.**

788. **Can. 1950.** — Q. *Quonam temporis momento, et intra quos fines possit correptio adhiberi: a quo adhibenda si iudicium sit inceptum; quandonam iudicium dicatur inceptum; et quid de iudicio in casu correptionis.*

R. **Intra fines can. 1947, 1948 potest correptio ab Ordinario adhiberi non solum antequam gradus fiat ad formale iudicium, sed etiam eo incepto ante conclusionem in causa; ac tunc quidem iudicium suspenditur, nisi tamen prosequendum idcirco sit quia correptio in irritum cesserit.**

. . . **antequam gradus fiat ad formale iudicium**: id est, antequam hoc sit inceptum. Porro iudicium, *ex parte*, id est, quod attinet ad actorem vel accusatorem, et proinde, veluti *materialiter*, incipit oblatione libelli et prosequitur citatione rei; sed non incipit, vel potius non constituitur *integre*, videlicet, quoad utrumque litigantem, et idcirco non incipit aut constituitur *formaliter* nisi per litis contestationem, quando actoris petitioni vel accusationi reus citatus respondet *coram iudice*, negando cum animo litigandi. Quod si negatio fiat *in genere*, videlicet, *non commisi tale delictum*, contestatio litis dicitur *inchoata*, quia obiectum controversiae et probationum determinatum est in genere tantum; quando vero facta sit *in specie* per responsiones negativas ad singula capitula proposita circa

singula facta particularia ex quibus delictum vel coalescit vel dignoscitur fuisse perpetratum a reo, litis contestatio dicitur *perfecta* seu *completa*. Dixi autem, *coram iudice*, quia litis contestatio est actus stricte iudicialis; quapropter responsiones rei *coram Ordinario*, licet negativae et exprimentes animum litigandi, non videntur habendae ut litis contestatio, sed potius ut litis contestandae intentio. — Cetera sunt plana.

Can. 1951. — Q. *In casu querelae damni ex delicto* 1) *utrum* 789.
correptio adhiberi possit; 2) *an et quomodo ipse Ordinarius videre possit de damno;* 3) *an, quando et quomodo liceat eidem consulere diversa forma quaestionibus de damno et reparationi scandali.*

R. I., II. et III. § 1. **Correptio adhiberi etiam potest, cum interposita fuit querela damni ex delicto.** — § 2. **Quo in casu Ordinarius potest de bono et aequo, partibus consentientibus, videre et dirimere quaestionem de damno.** — § 3. **Sed si censuerit quaestionem de damno difficulter de bono et aequo posse definiri, licet ipsi, remissa ordini iudiciario solutione huius quaestionis, per correptionem consulere reparationi scandali et emendationi delinquentis.**

. . . **potest:** ac si dicat: peculiari modo suadetur ut concordiam intentet, quam modo generali invitatur procurare c. 1925, § 2. — . . . **de bono et aequo:** et ideo non tanquam *iudex* nec quidem ceu *arbiter* sed velut *arbitrator*, qui quaestionem *transigendo* pertractet, non ad normas *iuris stricti* dirimat, iuxta c. 1929. — . . . **licet ipsi:** et quidem opus erat hanc facultatem disiungendi utramque quaestionem expresse attribuere Ordinario ob contrarium praescriptum c. 1567: **ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae.**

Can. 1952. — Q. *Correptio iudicialis* 1) *in quo consistat, vel quid contineat;* 2) *qualis rigoris debeat praebere remedia.*

R. I. ex § 1. **Correptio iudicialis, praeter monita salutaria,** 790.
debet plerumque coniuncta habere quaedam opportuna remedia, aut poenitentiarum vel piorum operum praescriptionem, quae valeant ad publicam reparationem laesae iustitiae aut scandali.

Correptio iudicialis: id est, delicti reprehensio vel potius exprobratio, facta ab Ordinario ad modum iudicii, seu coram notario. — . . . . . **monita salutaria:** ut sunt adhortationes ad vitanda aliqua quae habeant speciem mali, monitiones de abstinendo a certis actibus ex quibus **scandalum vel gravis**

ordinis perturbatio oriantur, praeceptum de fugienda **proxima occasione delictum committendi,** comminatio poenarum: omnia ad normam c. 2306, sq.— . . . **plerumque**: ergo sola criminis exprobratio potest quandoque sufficere, v. g. quando doloris signa sint adeo vehementia et publica ut scandalum evadat hac ipsa publicitate reparatum. — . . . **opportuna remedia**: utputa propriorum dictorum retractatio, vel factorum reprobatio, vel utrorumque accommoda declaratio in publica ephemeride editae: quod postremum, utpote mitius, praeferri debet, si iustitia aliud non exigat, et insuper possibile sit, veluti si agatur de dicto vel facto quae declarationem et consequentem inde excusationem admittunt, v. g. praesentia clerici in loco vel actui generatim prohibitis, oblocutiones vel actus regulariter illiciti erga Praelatum vel aliquem coetum personarum, etc. — . . . **poenitentiarum vel piorum operum**: ex eis, nempe, quae recensentur in c. 2313.

791. *R.* II. ex § 2. **Salutaria remedia, poenitentiae, pia opera reo praescribenda, mitiora et leviora esse debent iis, quae in criminali iudicio per sententiam condemnatoriam ipsi infligi possent et deberent.** — Et planum est.

792. **Can. 1953.** — Q. *Quandonam correptio censeatur inutiliter adhibita.*

R. **Correptio censetur inutiliter adhibita, si reus remedia, poenitentias et pia opera sibi praescripta non acceptet aut acceptata non exsequatur.**

. . . **non acceptet aut acceptata non exsequatur**: aut, quantumvis acceptaverit et exsecutus fuerit, **post alteram correptionem reus idem delictum commiserit** (c. 1949, § 2); et planum est.

CAPUT IV.

De instructione processus criminalis et de rei constitutione.

Expositio rubricae.

793. Q. I. *Ratio ordinis et materia capitis.*

R. I. Tradita methodo iudicii criminalis silenter prudenterque *praeparandi per inquisitionem specialem* quando delictum, licet publicum (cfr. c. 1933, § 1), non est notorium aut saltem omnino certum, necnon proposita ratione *eiusdem evitandi*, si possibile sit, substituendo illi correptionem iudicialem, quamvis

delictum sit certum, legislator gressum facit ad praescribendas regulas pro *ordinatione formalis iudicii* seu *instructione processus criminalis*, si tandem iudicium sit instaurandum eo quod correptio non habeat locum, aut inutiliter adhibita fuerit. Hinc praesens caput *De instructione processus*, etc.

R. II. Singulare est in hoc capite quod rubrica latius patet quam textus, nam quoad *instructionem processus* vix alia exprimuntur quam modus illum inchoandi (c. 1954) et nonnullas cautelas adhibendi erga eum qui processui subiicitur (cc. 1956, 1959): cetera sumenda sunt ex Sect. I. h. Libri. Quod attinet ad *constitutionem rei*, nihil expresse dicitur in textu, sed ex eo quod de illa fit sermo in rubrica et quidem post verba **De instructione processus,** legislator satis manifestavit eam esse actum ponendum postquam processus fuerit inchoatus per formalem libelli oblationem. Ad quorum pleniorem intelligentiam proponitur sequens quaesitum:

794. Q. II. *Quid veniat hic nomine* 1) *processus et instructionis processus;* 2) *constitutionis seu constituti rei, a) iure veteri practico, b) iure Codicis.*

R. I. Nomine *processus* in re iudiciaria significatur quandoque *totum iudicium* ex parte actuum, id est, *series actuum quibus causa introducitur, disceptatur et definitur;* frequenter vero significantur *determinati iudicii actus*, videlicet, *probatorii* et *defensivi*, seu pars probatoria et pars defensiva iudicii, continentes exhibitionem tum probationum tum defensionum quibus causa veluti construitur et redditur praeparata definitioni: tandem, frequentius, *periodus seu actus probatorii*. Heic processus accipitur in primo sensu, sed coarctatur ad partem seu *periodum accusatoriam*, nam de parte *inquisitiva*, quando praemittitur, egit legislator in canonibus praecedentibus.

R. II. *Constitutio* vel *constitutum rei* appellatur in criminalibus primum examen illius per interrogatorium quod ipsi praesenti in iudicio proponitur in ordine ad litis contestationem. Hoc examen dictum est *constitutum* vel *constitutio rei*, quia eius relatio in actis solet incipere: *Constitutus* N. *personaliter* coram Rev.mo N. vel tribunali... (1). Iure veteri practico donabatur eo nomine quodlibet rei examen, continens initium litis contestationis sed in genere. Quapropter pragmatici, ut Pellegrini, loquuntur de *primo et secundo*, etc. *constituto*, sed re-

(1) Pellegrini, *Praxis Vicarior. Pract. Cr.*, P. IV, Sect. IX, n. 27.

quiritur, iuxta eundem (1), « ut examen fiat antequam formentur et dentur ipsi reo capitula... », id est, antequam incipiat peragi litis contestatio in specie (cfr. com. ad c. 1950). Iure Codicis, cum legislator in rubrica h. capitis loquatur simul *de instructione processus* et *de rei constitutione*, prius autem de instructione processus, qui quidem instauratur libelli formalis oblatione per promotorem iustitiae (cfr. **nn. 799**, **800**), oblationem vero sequitur necessario *citatio* rei, *constitutum* videtur significare *citationem et examen rei iuxta interrogationes, seu capitula vel positiones, a promotore iustitiae formulata in libello formali* (Circa libell. cfr. com. ad c. 1955).

Expositio textus.

Can. 1954. — *De opportunitate et requisitis immediatis pro instauratione iudicii formalis, de deputatione advocati, propositione exceptionis declinatoriae fori et aliarum dilatoriarum, et favore defensionis.*

795. Q. I. *Quandonam seu in quibus adiunctis fiat gradus ad formale iudicium, vel ad instructionem processus; ad quem spectet hoc decernere; et quodnam praeceptum debeat contineri decreto.*

R. **Si correptio iudicialis vel insufficiens sit ad reparationem scandali et restitutionem iustitiae, vel adhiberi nequeat quia reus delictum denegat, vel inutiliter adhibita fuerit, Episcopus, aut officialis, de eius speciali mandato, praecipiat ut acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae.**

Si correptio... inutiliter adhibita fuerit: his verbis indicantur *tria* adiuncta in quibus, et non aliter, procedi potest criminaliter contra aliquem, sive eum promotor iustitiae sponte et vi muneris sui accusaverit ob crimen notorium aut omnino certum, sive contra eundem Ordinarius inquisitionem specialem instituerit ob delictum non omnino certum. Iuvabit singula enucleare prout sequitur: **Si ... insufficiens**: sive ex declaratione iuris, nimirum, si agatur de casibus indicatis in canone 1948, 1° et 2°, sive ex existimatione Ordinarii iuxta eundem can. 3°. — **... vel... reus delictum denegat**: vel in ratione facti, vel in ratione delicti praetendendo suum excusare facinus. — **... vel inutiliter adhibita fuerit**: sive quia **reus**

(1) Pellegrini, *l. c.*, n. 45.

remedia . . . non acceptet aut acceptata non exsequatur (c. 1953), sive quia **post alteram correptionem . . . delictum commiserit** (c. 1949, § 2). — . . . **Episcopus, aut officialis, de eius speciali mandato,** etc.: his verbis exprimitur quinam possit decernere ut aliquis processui criminali subiiciatur. Nomine *Episcopi* venit heic quicunque sit Dioecesis immediatus Praepositus, uti Vicarius Capitularis; non autem venit Vicarius Generalis; qui, cum non excludatur a decernenda et peragenda inquisitione, tamen de mandato speciali quia inquisitio ordinatur ad inflictionem alicuius poenae (cf. c. 2220, § 2), excluditur, ni fallor, ab edendo praecepto **ut acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae,** quia huiusmodi praeceptum ordinatur ad processum iudicialem, quem ille nequit instituere potestate ordinaria nisi sit simul officialis. (Cf. c. 1573, § 1). Sed aliunde, non est actus iudicialis, et proinde non potest edi ab Officiali, nisi de speciali mandato.

Ut patet, heic sermo est de tribunalibus dioecesanis tantum: quoad regulares exemptos, non ad illum Superiorem pertinet praeceptum edere ad quem forte ex Constitutionibus spectat de delicto iudicare, utputa ad Superiorem localem (cfr. com. ad c. 1579, § 1), sed solummodo ad Ordinarium seu Superiorem maiorem, quia ad ipsum privative pertinet facere correptionem iudicialem medicinalem (cfr. **nn. 783, 784**), et proinde ipsius tantum est perpendere et decernere utrum et quando eidem sit locus, an vero et quando processui iudiciali.

. . . **praecipiat . . . iustitiae:** ecce quid debet continere decretum ut gradus fiat ad formale iudicium: et gradus quidem dicendus est evenisse ubi primum praeceptum exsecutioni fuerit mandatum. Notandum autem quod una cum actis inquisitionis tradenda sunt, si opus sit, excerpta ex actis correptionis, si haec inutiliter adhibita fuerit; in processu autem *accusatorio* restituenda sunt promotori documenta et quaecumque ille obstulerit Ordinario una cum denuntiatione seu libello materiali. Quo facto non tamen est introductum seu inchoatum iudicium nisi postquam promotor iustitiae libellum formalem exhibuerit iudici, ut explicatur in com. ad seq. canonem, **nn. 799, 800.**

Q. II. *Quandonam* 1) *possit reus proponere aut debeat iudex* **796.** *ei dare advocatum;* 2) *debeant proponi exceptiones declinatoriae fori et aliarum dilatoriarum.*

R. I. Reus, ubi primum noverit Ordinarium praecepisse ut acta tradantur promotori iustitiae ad normam c. 1954, potest

advocatum eligere ex approbatis ab Ordinario, vel huius approbationi proponere aliquem pro illa causa. Aequum est ut Ordinarius de praefato iure tempestive reum moneat, qui, moerore confectus aut forte in desperationem actus, sibi consulere negligat vel contemnat. Expedit autem ut reus, antequam constituatur ad respondendum libello formali et contestandam litem, sibi adsciscat advocatum; ut hic, ex ore illius accepta relatione tum facti quod eidem imputatur tum auditionis coram Ordinario habitae, valeat cum eo conferre de modo *a*) proponendi exceptiones dilatorias si quae sint, *b*) respondendi capitulis et interrogationibus promotoris iustitiae, et *c*) proponendi capitula et interrogatoria eidem promotori. Quod si reus se constituerit haud electo advocato, hic detur illi a iudice (c. 1655, § 1), et quidem priusquam respondeat libello formali, vel saltem antequam litis contestatio censeatur expleta et sit praestitutus terminus pro afferendis probationibus (c. 1731, 2°).

R. II. Remissive ad can. 1628.

797. Q. III. *Favores et privilegia advocati rei.*

R. « Reo autem, ait Card. Lega (1) non tantum est concedenda defensio, sed defensionis ius, si comparetur cum *accusatione*, fruitur *favore* » interloquendi ultimo loco in probationibus afferendis, « veluti cum dubitatur an integrum sit accusatori prohibere accusato quominus novos testes producat », necnon *privilegio* « ut ultimùs ipse (n. 250) prae suo accusatore, ante sententiam definitivam, verba faciat in sui defensionem, et hoc sive in quaestionibus *incidentibus* sive *definitivis*. Heic revera non tantum *favor* sed *privilegium* recognoscitur reo ». Citat Pellegrini, *Prax. Vicar.*, Sect. X, n. 73, et Guarinum, et Bouix, *De Iudic.*, II, qui in p. 224 docet: « ultimo loco semper audiatur defensor rei ». Affert quoque articulum 431 Codicis crim. Gregorii XVI, iubentem: « Adhaerens fisco et ipse fiscalis replicare possunt, et novissimus in perorando est defensor accusati ». Qui, alias, *ad validitatem* ex Cod. Gregor., *ad integritatem* iure nostro, ait Lega, monendus est ut expresse renunciet iuri suo. Cum autem haec omnia referant aequitatem naturalem, vim suam non amittunt promulgatione Codicis I. C.

Can. 1955. — *De introductione formalis iudicii, de rei constitutione et de litis contestatione.*

(1) *De Iudiciis crim.*, IV, n. 247.

Q. I. *Quinam actus et quo ordine constituant iudicium criminale formale.* 798.

R. Praesupposito decreto Ordinarii *ut acta tradantur promotori iustitiae*, vel, praeter huiusmodi decretum, actus processuales sunt: 1) *Oblatio libelli accusationis*, a promotore iustitiae conficiendi (h. c. 1955); 2) *constitutio rei*, seu formalis citatio et examen illius (ex rubrica huius capitis); 3) *litis contestatio* (ex c. 1959); 4) *probationes* (c. 1731, 2° et cc. 1747-1836), quae a promotore iustitiae expleri *debent*, a reo autem afferri *possunt*; 5) *publicatio processus* (c. 1858, 1859); 6) *conclusio in causa* (c. 1860, 1861); 7) *defensiones scriptae* (c. 1862-1865); 8) *discussio oralis* (c. 1866); 9) *sententia* (c. 1868-1877); 10) *sententiae impugnatio* (c. 1878-1901); 11) aut *sententiae exsecutio* (c. 1917 sq.).

Q. II. *Quisnam, quando et quomodo perficit introductionem formalis iudicii, vel inchoat instructionem processus?* 799.

R. Inchcat promotor iustitiae per oblationem libelli tempore et modo statim dicendis, videlicet:

Q. III. *Promotor iustitiae a) quandonam debet libellum accusatorium conficere; b) cuinam illum exhibere; c) qua forma utrumque perficere?* 800.

R. **Promotor statim conficiat accusationis libellum eumque exhibeat iudici secundum normas in Sectione Prima statutas.**

... **statim**: id est, in processu *mixto*, ubi primum promotor receperit acta inquisitionis ipsi tradita, vi can. 1954, utique ad conficiendum libellum. In processu, inquam, mixto, cui alludit expresse canon quem commentamur; quandonam autem in processu *accusatorio?* Id est: quandonam promotor conficiet et tradet iudici libellum accusatorium, si delictum sit omnino certum, et penitus exceptum a correptione, quia, v. g. secumfert excommunicationem specialissimo modo reservatam S. Sedi? In Codice nihil habetur expressum. Videtur duplicem accusationem esse a promotore iustitiae faciendam pro exercitio sui muneris ad normam c. 1934, aliam Ordinario ad instar denuntiationum quae a privatis possunt aut debent eidem *Ordinario* fieri ad normam c. 1936, aliam autem *iudici*, ad quam alludit hic c. 1955; et proinde duplicem esse libellum ab eodem conficiendum, unum veluti *materialem*, utpote *iudicii praeparatorium* dumtaxat, qui proinde potius meretur vocari *denuntiatio iudicialis ex officio*, alterum vero *formalem*, ceu *iudicii formalis introductorium*. Prior tradendus est *Ordinario*, (non Vicario Generali, nisi ha-

beat mandatum speciale ad inquirendum, ut dicitur in **n. 786**) vix accepta notitia delicti et collectis *privatim* probationibus eiusdem; alter exhibendus est *iudici* ad normam h. c. 1955, sed nonnisi *ex praecepto Ordinarii* (c. 1954) (non autem Vicarii Generalis, quamvis habeat praedictum mandatum speciale, ut notatur in **n. 795**), et postquam hic, perpensa et admissa denuntiatione promotoris, iusserit ut citetur reus ad comparendum, et reus comparuerit et auditus fuerit in examine, aut contumax fuerit.

Necessitas huius duplicis libelli ex eo petitur quod, ut supra diximus, etiam in delictis notoriis aut omnino certis et in quibus certum est insuper non esse locum correptioni, et quae, proinde, constat posse accusari a promotore iustitiae, bonum publicum Ecclesiae, ut societatis religiosae, postulat omnino ut unus Ordinarius decidat utrum delictum quod dicitur notorium aut omnino certum sit revera tale, cum plura dicantur notoria quae non sunt (cfr. **n. 444**), et utrum deducendum sit statim in iudicium citando reum, an, e contra, opportunum aut forte necessarium sit accusationem et ipsam citationem plus vel minus differre. Haec ratio ob quam asserimus neminem posse subiici citationi et iudicio criminali accusatorio, nisi iubente Ordinario est, non quidem eadem, sed certe valde similis ei, vi cuius Codex praescribit expresse ut in processu mixto non fiat gressus ad processum accusatorium, et non conficiatur et tradatur iudici formalis libellus a promotore iustitiae, nisi iubente Ordinario aut Officiali de eius speciali mandato. Ob hanc rationem, inquam, urgendus est parallelismus, in hac parte, inter processum accusatorium et processum mixtum. Quenam sint inter utrumque libellum discrimina videbimus statim.

. . . conficiat accusationis libellum: vel in casu inquisitionis libellum *formalem*, ut supra diximus. Et hunc quidem conficiat iuxta *a*) *conclusiones promotoris* deductas ex inquisitione quae praecessit, et *b*) *responsiones rei* in primo examine datas, necnon *c*) *facta* quae emerserint occasione correptionis, si intentata fuerit; illum autem, idest, accusationis libellum, conficiat, iuxta *a*) *documenta*, idest, argumenta ex documentis, *b*) *depositiones testium* qui veritati exhibendae sint prompti, et *c*) *indicia manifesta*, quae delictum ostendant uti notorium aut saltem omnino certum (c. 1939, § 1), necnon *d*) *responsiones* a reo datas in primo examine, et *e*) *facta* si quae orta sint occasione correptionis. Iuvabit haec amplius enucleare, notando discrimina inter utrumque libellum, formalem videlicet et materialem seu denuntiationem *ex officio*.

Libellus materialis contineat sufficit *delicti et probationum eius indicationem in genere*, ita tamen ut distincte in eo exprimantur haec *tria:* 1) utrum delictum sit notorium an dumtaxat publicum, sed omnino certum, 2) quaenam sint parata argumenta notorietatis aut omnimodae certitudinis, 3) petitionem constitutionis rei. Utputa, si promotor iustitiae dicat: accuso *N.* Vicarium cooperatorem *N.* de delictis adulterii, non residentiae et impedimenti oppositi ecclesiasticae iurisdictioni. Primum est notorium, utpote confessum coram tribunali civili civitatis *N.;* alterum est saltem omnino certum, ut patet ex monitionibus ipsi rite factis, die... et die...; tertium est publicum et omnino certum, quippe quod probatur quampluribus testibus de visu et auditu, inter quos *N.* sacerdos domiciliatus ... *N.*, *N.* et *N.* necnon testes de auditu auditus *N. N. N.* et *N.;* qui omnes promptissimi sunt veritati exhibendae.

Libellus *formalis* haec *sex* quam distinctissime exprimat oportet: 1) *singula facta constitutiva* seu ex quibus quodlibet delictum generaliter coalescit et quae appareant sufficienter demonstrata *relativis factis probatoriis*, idest, *probationibus* sive obtentis in inquisitione sive propositis a promotore in libello materiali vel denuntiatione ex officio, postquam utraque ostensa fuerint reo in auditione omissis nominibus testium et aliis, quae tamen non omittuntur regulariter in libello formali; 2) *qualificationem delicti*, seu determinationem speciei ipsius, allegando relativos canones; 3) *singula facta* tum *constitutiva* tum *probatoria* cum indicatione documentorum et attestationum ex quibus dignoscitur et probatur accusati participatio in delicto; 4) *singula facta cum relativis probationibus* quae constituant et demonstrent *circumstantias* aggravantes vel minuentes delictum; 5) *singulas poenas* in quas accusator incurrerit iuxta sacros canones a promotore nominandos; 6) *petitionem* ut super positionibus *facti* interrogentur tum reus iuxta interrogatoria libello ad normam c. 1745 adnexa, tum testes, in eis designatis, iuxta interrogatoria tempore opportuno exhibenda ad normam can. 1761, § 1; de testibus autem intelligitur hoc *in processu accusatorio semper*, sed in *processu mixto aliquando*, videlicet quoties promotor existimaverit eos non fuisse rite et recte seu sufficienter interrogatos, ut dicitur ad c. 1959, **n. 807**, *R.* I.

Itaque v. g. quoad tertium casum supra indicatum promotor dicet: *Pono* vel assero: 1. *N.*, Vicarius cooperator paroeciae *N.*, die... mensis..., in foro secus paroecialem Ecclesiam sito, pluribus adstantibus dixit se fustibus coacturum esse re-

trocedere per eandem viam Oeconomum ab Episcopo nominatum. Super hoc exhibeo testes *N. N. N.* et *N.* — 2. Die... nemo aperuit ianuas domus Paroecialis Oeconomo pluries ad tintinnabulum pulsanti et tandem imminente iam nocte ad domum *N.* confugienti. Super hoc exhibeo testes *N. N. N.* et *N.* — 3. Item Oeconomus sequenti mane Sacrarium Ecclesiae petenti audivit sibi intimari parochi vetitum celebrandi ibi missam. — 4. Facta hactenus recensita constituunt verum delictum, quod iuxta c. 2337 consistit in deliberata voluntate impediendi exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. — 5. Die praedicta, quando Oeconomus ad tintinnabulum pulsabat, Vicarius erat domi, et quidem clauso ab ipsomet ostio, contra consuetudinem ; quod ostendit participationem eius in delicto. — 6. Oeconomus, ante nominationem ab Episcopo factam erat Vicario amicissimus ; hoc autem constituit *circumstantiam aggravantem* delictum : prohibitio celebrandi Oeconomo per administros ecclesiae intimata induit *circumstantiam scandali.* — 7. Attentis his circumstantiis et dispositione praedicti canonis 2334 *N.* meretur poenam suspensionis praeter praeceptum degendi per mensem in aliqua domo religiosa. — 8. Peto ut super positionibus *facti* examinentur tum reus iuxta interrogatorium hic adnexum, tum testes in eis designati iuxta interrogatoria opportune exhibenda.

... **eumque exhibeat iudici :** id est, Officiali in Tribunali dioecesano, vel cui de iure in tribunalibus regularium vel aliorum. Quod nihilominus est intelligendum de *libello formali* qui dicitur *requisitoria* promotoris iustitiae post primam auditionem rei iuxta dicta in duobus commentariis immediate praecedentibus de tempore confectionis et exhibitionis libelli ; non autem de *denuntiatione* seu *manifestatione criminis* Ordinario facienda ante citationem rei, in qua tamen denuntiatione eadem innuenda sunt praeter responsiones rei, et planum est. — ... **secundum normas :** his verbis indicatur forma conficiendi et exhibendi libellum. Advertatur autem, maxime quoad *formam conficiendi,* quod ibi agitur praecipue de *libello contentioso;* de *libello criminali* teneantur insuper quae supra exposuimus. Sciendum est praeterea quod iudex non tenetur acceptare libellum promotoris *prout iacet,* sed potest et debet corrigere aut supprimere quae ipsi videantur, afferendo rationes ; dicendo v. g. in hunc fere modum : *positio* vel capitulum 1 corrigitur, quia obscurum ; testis 3 reiicitur quia inhabilis ; interrogatio 4ª supprimatur quia suggestiva ; et sic de ceteris. — Porro, *ex responsionibus* rei coram iudice expresse constituti ut examinetur

super *positionibus seu capitulis promotoris iustitiae*, et ex *responsionibus promotoris iustitiae ad capitula* si quae fuerint proposita a reo determinatur *obiectum controversiae*, necnon *probationum* ab utroque afferendarum, seu perficitur *contestatio litis*. Ad cuius rei pleniorem intellectum perpendamus sequens quaesitum :

Q. II. *Quandonam et quomodo fiunt* 1) *rei constitutio ;* 801.
2) *litis contestatio?*

R. I. Ex bene multis superius expositis, praecipue in **n. 794,** *R.* II., eruitur quod *rei constitutio*, est eius *formalis citatio et examen*, et habet locum postquam promotor iustitiae exhibuerit iudici libellum formalem. *Citatio* fit decreto iudicis vel Officialis (non Ordinarii) praecipientis ut reus certa die et hora constituatur coram tribunali capitulis et interrogatoriis promotoris iustitiae responsurus pro contestanda lite. Quod *examen*, reo in aula iudici constituto, et non prius, ipse iudex aut tribunalis praeses, praemissis, si non praecessit *correptio* aut *inquisitio*, interrogationibus de **generalibus personae adiunctis,** necnon de particularibus eo modo quo explicatum est in com. ad c. 1947, **n. 785,** perlegit ei capitula et proponit interrogationes a promotore exarata, omissis, si opus fuerit et non aliter, nominibus testium et forte nonnullis adiunctis, additis vero vel interiectis ab ipso iudice interrogationibus pro rei opportunitate. Cetera fiant ad normam cc. 1779-1781.

R. II. Praemittenda est differentia inter litis contesta- 802.
tionem in contentiosis et in criminalibus. Equidem *in genere* et *quoad effectum*, *litis contestatio est determinatio obiecti controversiae et probationum in ea afferendarum. In contentiosis* huiusmodi determinatio consistit *in petitione actoris et congrua negatione rei, facta animo litigandi.* Quapropter si reus confiteatur, aut neget quidem sed cedat iuri suo, non habetur litis contestatio quia non est locus iudicio. Ast vero allata definitio non quadrat contestationi litis in re criminali; quia, licet reus confiteatur, iudicium ultro *ex se* procedit, bono publico expostulante ut veritas circa delictum et eius auctorem iudicialiter detegatur aliis mediis praeter confessionem, et iudicialiter quoque reus puniatur; ex iure autem Codicis iudicium, etiam reo confitente, potest tantum suspendi aut differri in casu correptionis. Hinc, *in re criminali*, *litis contestatio* est *actus iudicialis tendens ad suppeditandum iudici* tum *delicti* tum *delinquentis detectionem ex confessione rei, huic autem media iustae confes-*

sionis ex cognitione singulorum factorum quae ipsi contestantur tanquam delictum constituentia et eum uti *auctorem delicti denuntiantia*, bono publico utrumque expostulante, nimirum, et veritatis detectionem etiam confessione rei, et istius defensionem (1); consistit vero in determinatione *a) delicti commissi*, *b) personae rei, et imputabilitatis illius*, *c) poenae* ab eodem luendae. — Alia est *in genere seu inchoata*, alia *in specie* seu *completa* (**n. 788**).

Quod *tempus*, ius vetus (2) litis contestationem collocabat « post absolutam inquisitionem, ait Lega (3) et sub initio accusationis, iubens : art. 26 (cit. Instr.). *Proceditur inde ad contestationem facti criminosi et conclusionum habitarum ad retinendum accusatum criminosum, lapsumque in relativas poenas canonicas :* art. 27 : *Quum accusatus tali modo plene cognoscat ea quae in actis extant contra se, nedum respondere potest sed iure se etiam defendendi per semetipsum valet* ». Ergo, ob paritatem duplicis rationis seu scopi contestationis litis supra explicati, iure Codicis, et in processu sive accusatorio sive mixto, litis contestatio collocanda est post decretum Ordinarii praecipientis ut acta tradantur promotori iustitiae (c. 1954) et praecise quando : *a) promotor offert iudici libellum formale*, qui, ut diximus in com. ad c. 1955, **n. 800**, debet continere contestationem singulorum factorum. quae reum criminosum ostendunt ; *b) reus* legitime constitutus contestationi factorum seu positionibus facti *respondet* iuxta interrogatoria a promotore proposita et a iudice approbata.

Quod attinet *ad modum*, fit *per contestationem facti criminosi et imputabilitatis, prout exstant in capitulis libelli formalis, cum indicatione poenae, et per responsionem rei ad eadem capitula.*

803. **Can. 1956.** — Q. *Utrum, et quando, et quibus servatis possit Ordinarius imputatum arcere a sacris per modum prohibitionis.*

R. **In delictis gravioribus, si Ordinarius censeat cum fidelium offensione imputatum ministrare sacris aut officio aliquo spirituali ecclesiastico vel pio fungi aut ad sacram Synaxim publice accedere, potest, audito promotore iustitiae, eum a sacro ministerio, ab illorum officiorum exercitio, vel etiam a publica sacrae Synaxis participatione prohibere ad normam can. 2222, § 2.**

(1) Cfr. Lega, *De Iudic. crim.*, Vol. IV, n. 198.
(2) *Instr.* S. C. EE. et RR., 1 Iun. 1880.
(3) *De Iudic. crim.*, Vol. IV, n. 199.

In delictis gravioribus: iam vero gravitas delicti habentis in iure poenam determinatam dimetitur ex gravitate poenae, et planum est; gravitas vero aliorum criminum desumitur non modo ex gravitate legis laesae sed etiam ex maiore imputabilitate rei et ex maiore damno illato per delictum praecipue ex damno mediato seu scandalo (cfr. c. 2218). — ... **ministrare sacris**: utputa celebrare missam, audire confessiones. — ... **officio aliquo spirituali ecclesiastico vel pio**: v. g. officio parochi, aut moderatoris alicuius confraternitatis. — ... **audito promotore iustitiae**: praeter ipsum accusatum, ut innuit c. 1958, quia adest periculum laedendi ius eius. — ... **ad normam c. 2222, § 2**: iuxta quem huiusmodi prohibitiones in casu non habent rationem poenae, et imponi possunt aut debent, **licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit**; et proinde statim ac probabilia delicti argumenta praesto sint (cf. c. 1946, § 2, 3°), aut constet Ordinario de necessitate vitandi scandalum ob delictum, etsi praescriptum, et nonnisi **post primam eius auditionem** (c. 1958).

Can. 1957. — Q. *An et quaenam remedia possit ipse iudex adhibere ad modum pariter prohibitionis in accusatum a quo praeiudicium vereatur administrationi iustitiae.* 804.

R. **Pariter si iudex censeat accusatum posse testibus timorem incutere aut eos subornare, aut alio modo iustitiae cursum impedire, potest, audito promotore iustitiae, decreto suo mandare, ut ille ad tempus deserat oppidum vel paroeciam quandam, vel etiam ut secedat in praefinitum locum ibique sub peculiari vigilantia maneat.**

Pariter: id est ad modum simplicis prohibitionis, citra rationem poenae canonicae. — ... **audito promotore iustitiae**: praeter imputatum, nisi contumax sit ut innuit c. 1958. Ratio est quia imminet periculum laedendi absque necessitate ius accusati. — ... **decreto suo**: non sententia iudiciali.

Can. 1958. — Q. *Quo processu, quo tempore et cum quo effectu feruntur decreta de quibus in* can. 1956, 1957? 805.

R. **Decreta de quibus in can. 1956, 1957 ferri nequeunt, nisi reo citato et comparente vel contumace, sive post primam eius auditionem seu constitutum, sive postea in decursu processus; et contra eadem non datur iuris remedium.**

Decreta ... contumace: quae verba, si compleantur illis

praecedentis can. **audito promotore iustitiae,** praescribunt *processum* servandum in praedictis decretis ferendis. — . . . **sive . . . processus:** haec verba exprimunt *tempus*, seu stadia processus, quando decreta ferri possunt: porro processus heic, ni fallor, intelligitur decurrere usque ad sententiam. Denique ea est illorum *efficacia* ut contra eadem non detur iuris remedium, idest, nec appellatio, nec actio nullitatis nec ullus recursus.

Can. 1959. — *De probationibus, publicatione processus ceterisque actibus processualibus ex fontibus suppletoriis huius Tituli, et de structura iudicii criminalis ecclesiastici, tum accusatorii tum mixti iuxta regulas ex diversis fontibus haustas.*

806. Q. I. *Undenam desumantur normae iudicii criminalis deficientes in hoc Titulo.*

R. ex h. c. **In reliquis serventur regulae in Sectione Prima huius Libri traditae et in inflictione poenarum sanctiones in Libro Quinto statutae.**

In reliquis: idest, quoad omnia circa quae non inveniantur peculiares normae in hoc Titulo. — . . . **regulae . . . traditae:** *omnes*, sive circa *forum competens*, sive circa *ordinationem, constitutionem* et *disciplinam tribunalium*, sive circa *ordinem cognitionum*, sive circa *partes in causa* et earum *procuratores* et *advocatos*, sive circa *telam iudiciariam* ab oblatione libelli usque ad exsecutionem sententiae. — . . . **in inflictione poenarum:** quod prudenter advertit legislator, quia iudex non modo debet cognoscere *regulas processus*, sed etiam *poenas* quas vi processus possit aut debeat applicare. *Applicare*, inquam, non decernere aut ferre, nam, praeter casus in hoc Titulo aut in Sectione Prima Libri Quarti expressos ac a nobis opportune indicatos, vi c. 2220, § 1 **Qui pollent potestate . . . iudiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare.** Quae norma iuris praescribitur c. 2223.

807. Q. II. *Normae specialiter notandae in criminalibus, in processu sive accusatorio sive mixto, circa* 1) *tempus et modum quaerendi et explendi probationes*, 2) *publicationem processus*, 3) *appellationem.*

R. I. *In processu accusatorio*, quippe in quo probationes a nemine fuerunt formiter collectae antequam acta promotori iustitiae traderentur ad conficiendum libellum formalem, quia, cum agatur de delicto notorio aut omnino certo, probationes censentur haberi in promptu si Ordinarius, *ex aliquali inquisi-*

tione extraiudiciali praemissa a promotore iustitiae ante exhibitionem libelli *materialis* seu instantiae accusationis, eas exsistere iudicaverit, promotor, absoluta litis contestatione, debet ante omnia *probationes formiter quaerere et explere;* id est, 1) habita iudicis licentia, educere ex relativis fontibus documenta et eadem deponere in cancellaria; 2) perficere, idest, ampliare et complere, atque iudici tradere probationes seu argumenta ex documentis deducta; 3) tradere iudici interrogatoria facienda testibus a se exhibitis; 4) petere ut dicti testes citentur a iudice, et ab eodem examinentur iuxta interrogatoria a iudice admissa; 5) adesse examini rei, necnon testium tum a se tum a reo productorum.

In processu mixto, promotor iustitiae, absoluta litis contestatione, reo vel eius advocato *communicet per iudicem probationes* in inquisitione collectas, id est, tradat 1) argumenta ex documentis et ipsa documenta, et quidem integra, nisi aliquid extraordinarium obstet; 2) tenorem attestationum; 3) nomina testium si reus, perpenso tenore attestationum, eos *legitimaverit*, idest, illos habuerit ut *rite et recte examinatos*, aut, postquam iidem fuerint *repetiti* (seu iterum examinati), si reus eos non legitimaverit sed petierit, et iudex concesserit, illorum repetitionem ad normam c. 1781-1786, et nisi aliquod speciale impedimentum obstet. Reo autem praefigitur terminus ut argumenta ex documentis et ipsa documenta impugnet (c. 1815), attestationes impetat (c. 1783, 2°), maxime si in auditione non fuerunt eidem integre perlectae, et testes reprobet (c. 1764). Communicatio probationum reo facta cum facultate exhibendi probationes contrarias et alias, et istarum exhibitio et exsecutio potest appellari *legitimatio processus inquisitivi;* quae censetur peracta ubi primum reus testes legitimaverit, aut examen testium repetitorum perfectum fuerit iuxta interrogatoria ab eo proposita et a iudice approbata.

R. II. Iure veteri, in *processu mixto*, duae agnoscebantur publicationes processus; alia dicebatur *publicatio processus offensivi*, et censebatur fieri cum communicabantur inquisito conclusiones ex inquisitione emergentes, indicando earum probationes per documenta et attestationes, quae utraque, si non ad litteram et integre, saltem in parte et quoad sensum ei denuntiabantur, et eidem patefaciendo nomina testium si eos prius legitimasset, aut, alias, postquam fuissent repetiti; alia dicebatur *publicatio processus defensivi* et iure practico censebatur fieri quando, *post* expletas probationes et *ante* conclusionem in causa reo aut eius

advocato tradebantur inspicienda omnia acta processus habiti usque ad probationes expletas, aut etiam actorum copia. In *processu accusatorio una* tantum dabatur et dari poterat *publicatio processus*, scilicet, *defensivi.*

Iure Codicis nulla fit distinctio in hac re inter processum *accusatorium* et *mixtum;* in utroque autem *unica publicatio processus* est *concessio facultatis facta* **partibus earumque advocatis . . . acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar** *post expletas probationes* et *ante conclusionem in causa* ad normam cc. 1858, 1859. Quae iure veteri dicebatur *publicatio processus offensivi* coincidit cum communicatione libelli formalis seu capitulorum qua promotor iustitiae instaurat formalem accusationem seu inchoat verum iudicium criminale, ut dictum est.

R. III. Quoad *appellationem* distinguendum est 1) inter poenas *vindicativas* et poenas *medicinales* seu *censuras;* 2) utrum poenae sint *comminatae* tantum, an *inflictae*, an *declaratae;* 3) utrum comminatio, inflictio aut declaratio factae fuerint *per sententiam*, an *ad modum praecepti*, ut innuitur c. 2225. Igitur,

1) *A comminatione, irrogatione vel declaratione poenarum vindicativarum* datur appellatio, et quidem propria seu *cum effectu suspensivo*, si illae, idest, comminatio, etc., factae fuerint *per sententiam* definitivam, vel habentem vim definitivae, vel cumulatam cum appellatione a definitiva, minime vero si *per praeceptum vel ad modum praecepti;* nam contra praedictas sententias conceditur ius appellandi canonibus 1879 et 1880, 6°, salvis praescriptionibus canonis 1880, at vero contra alius actus qui non sint sententiae iudiciales non conceditur illud ius (argum. canonis 1880, 6°) nisi iure exprimatur, uti exprimitur v. g. in c. 2243, § 2 quoad praeceptum minans censuras. Non est quoque locus appellationi a comminatione poenae latae a iure, ipso facto incurrendae, et planum est. Cf. Constit. Benedicti XIV, *Ad militantis.*

2) *Ab irrogatione censurarum* sive per sententiam sive ad modum praecepti, et proinde a censuris latis per praeceptum *ipso facto* incurrendis (quia hae tunc infliguntur seu irrogantur cum incurruntur, incurruntur vero cum delictum *fit* vel committitur) non datur appellatio propria seu *cum effectu suspensivo* nec recursus cum eodem effectu, nam ex c. 2243, § 1 **Censurae inflictae per sententiam iudicialem, statim ac latae fuerint, exsecutionem secumferunt, nec ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo; item a censuris ad modum praecepti inflictis datur recursus, sed in devolutivo tantum.**

3) *A comminatione censurae* facta per sententiam datur appellatio, nisi censura sit l. s. *a iure*, ab ea vero facta per praeceptum datur recursus, utrumque *cum effectu suspensivo*, quia conceditur canone 2243, § 2, si agatur de re in qua ius admittit appellationem: **firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto.**

4) *A declaratione censurae* facta **ad modum praecepti,** idest, simplici scripto aut coram duobus testibus, non datur appellatio, quia hoc remedium concessum est contra sententias iudiciales tantum nisi aliud iure exprimatur, uti exprimitur in c. 2243, § 2; si vero declaratio facta fuit per sententiam iudicialem definitivam, aut habentem vim definitivae, aut cumulatam cum appellatione a definitiva datur appellatio, et quidem propria seu *cum effectu suspensivo*. Ratio est quia vi can. 1879 habet usque ius appellandi quaelibet **pars quae aliqua sententia se gravatam putat, salvo... c. 1880,** vi autem can. 1889, § 2 **Omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur, firmo praescripto can. 1917, § 2:** iam vero nullibi cautum est denegari appellationem a sententia declaratoria poenarum, etiam censurarum, nec denegatio petitur ex natura censurae.

Hanc sententiam et eius fundamenta ita exponit Lega (1): « Integrum est appellare *a sententia declaratoria*, imo appellatio utrumque habet effectum *suspensivum et devolutivum*. Nam *a condemnatoria* sententia non appellatur nisi *in devolutivo*, quippe censura *irrogata* exsecutionem secum trahit ex citato cap. 53, § 1, *De appellat.*, sed *declaratoria* non *irrogat* sed censuram iam fuisse *incursam* edicit; eademque magis est declaratoria *criminis* quam *poenae*. Atqui adversus sententiam quae declarat *factum criminosum* et hinc *poenam* nullibi cautum est non admitti appellationem quoad *utrumque* effectum. Unde *iure communi* utimur, et ita communiter sentiunt DD. Cf. Barbosa *in caput* 13. *De appellat.* At cavet idem *caput* 13 *De appellat.*: " *Si vero publicus est et notorius* (excessus), *appellationis obtentu non permittas quin eos excommunicatos denunties*, IPSOSQUE FACIAS SICUT EXCOMMUNICATOS CAUTIUS EVITARI. Nam *in notoriis* appellatio est *frivola* et *frustratoria*. Vol. I, n. 631 ,, ». Et nota quod, ut docet idem Lega n. 497, ista *denuntiatio* potest fieri etiam

(1) *De Iudic. crim.*, Vol. IV, n. 498.

ab eo (Ordinario vel Superiore) qui non est competens in reum, cum non sit *sententia declaratoria*, qua in vere notoriis opus non est ex citato textu, sed quaedam *provisio* tendens ad vitandum malum notorie imminens proximo, de quo Dominus unicuique mandavit, praesertim vero Superioribus.

5) Attamen, si in casibus in quibus ob notorietatem criminis et evidentiam legis poenalis non est necessaria *sententia declaratoria* nec criminis nec poenae, sed sufficit *denuntiatio* iuxta cap. 13, *De appellat.* supra citatum, nihilominus Superior, loco simplicis denuntiationis seu manifestationis, adhibuerit in parte vel in toto aliquem processum, etiam iudicialem, putamus denuntiationem non vitiari seu non mutari in veram sententiam iudicialem, et proinde in iis casibus non esse locum appellationi. Et ratio est quia Superior, sive ex inadvertentia illo modo egerit, sive ex prudenti benignitate, animo cogitans plura videri primo intuitu notoria quae reapse non sunt, non potuit renunciare suo iuri (quod simul officium est) reddendi *statim* efficacem, bono publico ita exigente, suum actum declarandi seu publice manifestandi reum uti incursum in censuram.

6) Denique, *effectus suspensivus* appellationis a sententia declaratoria poenae sive medicinalis sive vindicativae in hoc tantum consistit quod appellatio, si sit legitima, *impediat* quominus, antequam sententia confirmetur a iudice superiore, appellans possit cogi ut habeatur in foro externo a se vel ab aliis tanquam subiectus poenae declaratae, non autem in eo quod appellatio poenam *tollat* aut *suspendat* si vere incursa est, aut appellantem *liberet* ab obligatione servandi poenam in utroque foro si **delicti sibi sit conscius** et potest **eam servare sine infamia** (c. 2232, § 1).

Nota. Plura alia, scitu necessaria, praecipue circa *telam iudiciariam* seu actus processuales iudicii criminalis *ab oblatione libelli* usque ad *exsecutionem sententiae*, notata sunt obiter in commentariis canonum de iudiciis contentiosis, sed in commodum studiosorum indigitantur collecta in unum in *conspectu generali*, quem infra adiicimus. De quo,

808. Q. III. *Conspectus generalis seu syntheticus totius iudicii criminalis, et utilitas eiusdem generalis conspectus.*

R. Cum igitur applicatio regularum processualium Sectionis Primae debeat componi cum usu regularum peculiarium huius Tituli, ita tamen ut natura iudicii criminalis conservetur, et finis eius semper obtineatur, videtur esse utillimum utrasque

regulas synthetice proponere in unum collectas, et inter se dispositas prout exigit natura processus criminalis tum accusatorii tum mixti, quorum *conspectum generalem* et veluti *structuram* exhibeant. Alia est autem structura processus *mixti*, alia processus *accusatorii*. Unde,

Q. IV. *Conspectus generalis*, seu *structura et ordo actuum processus criminalis mixti.* **809.**

R. Processus mixtus dividitur in *octo stadia*, quorum quodlibet constat diversis actibus, videlicet:

Primum Stadium. — *Praeparatio causae;* id est, *inquisitio specialis, ad iudicium vel vitandum vel instaurandum;* cuius essentiales actus sunt qui sequuntur: **810.**

1) *Examen rumoris, publicae famae, denuntiationis*, aliorumve argumentorum ad instaurandam inquisitionem impellentium; quod *a*) semper fieri debet ad normas can. 1939-1943, quia inquisitio non leviter gravat praesumptum delinquentem; et *b*) faciendum est ab Ordinario; atque *c*) ita ut illius prudenti **iudicio committatur statuere quandonam ea, quae praesto sunt argumenta, sufficiant ad inquisitionem instituendam** (c. 1942, § 1). Ordinarius non est censendus quoad hoc Vicarius Generalis, nisi habeat mandatum speciale ad inquirendum, (**n. 785**).

2) *Delegatio inquisitoris*, iuxta can. 1940, 1941.

3) *Inquisitoris indagatio* de crimine et de eius auctore ad normas can. 1943, 1944, 1945.

4) *Inquisitoris relatio*, Ordinario tradenda cum proprio suffragio ad normas can. 1946, § 1.

5) *Mandatum de procedendo* vel secus; id est decretum Ordinarii, vel Officialis de speciali mandato (c. 1946, § 2), iubens, vel *a*) rumorem, denuntiationem, etc., inania declarari, sed acta reponi (ibid., 1°); vel *b*) acta reponi, reum vero invigilari, etc., (ibid., 2°); vel *c*) reum citari (ibid., 3°).

Secundum Stadium. — *Causae introductio*, et, vel *eiusdem substitutio* (aut suspensio) *per correptionem*, vel *iudicii inchoatio per iniunctionem accusationis:* ad quae spectant actus qui heic indicantur: **811.**

1) *Citatio rei inquisiti*, iuxta c. 1946, § 2, 3° et can. 1715, ita tamen ut in ea solum innuatur regulariter eundem vocari ut sese excuset in causa quae eum respicit (1). Cfr. **n. 781, *R.* II, *v.* citetur,** pag. 519.

(1) *Inst.* S. C. EE. et RR., 11 Inn. 1880, a. XXIII.

2) *Rei auditio* seu *examen* per Ordinarium, aut Officialem de speciali eius mandato, ad normam can. 1742, §§ 1, 3; 1743, § 1; 1744, 1745. Cfr. quoque dicta superius **n. 785,** *v.* **interrogatus,** pag. 522.

3) Si reus confiteatur delictum et sit locus correptioni (can. 1948-1951), fit *correptio iudicialis* ad normas can. 1952, et, ea inutiliter peracta, servantur quae dicuntur **n. 820,** *B*); si vero delictum deneget aut non sit locus correptioni, Ordinarius fert *decretum de prosequendo*, seu *de actorum inquisitionis traditione* promotori iustitiae ad normam c. 1954, et ipse *advocatum pro reo approbat* vel deputat (cf. com. ad c. 1954, **nn. 795, 796**).

4) Si casus ferat, id est, si aedificatio fidelium id exigat aut indoles delinquentis, Ordinarius *infligit remedia* de quibus in c. 1956.

812. Tertium Stadium. — *Processus accusatorii seu iudicii formalis instauratio:* cuius actus sunt:

1) *Confectio formalis libelli accusatorii;* qui debet redigi iuxta *a*) *interrogationes*, *b*) *conclusiones* ex processu inquisitivo deductas, et *c*) *inductiones* vel *excusationes* a reo datas in auditione seu examine per Ordinarium; et debet exprimere uti certis argumentis innixa, *a*) *existentiam delicti; b*) *qualificationem* eiusdem; *c*) *participationem* inquisiti; *d*) *circumstantias* aggravantes aut minuentes; *e*) *poenas* a delinquente incursas vel luendas iuxta com. ad c. 1955. Cfr. c. 1708 et eius commentarium, necnon **n. 800,** pag. 533.

2) *Oblatio libelli formalis*, facta Officiali seu iudici, ad normam c. 1955. Cfr. **n. 800,** pag. 534.

3) *Libelli examen* per iudicem iuxta can. 1609, 1611, 1708, et eiusdem *admissio* vel *correctio* ad normas can. 1709, §§ 1, 2, et dicta in com. ad c. 1955, **n. 800,** p. 534, *v.* **secundum normas.**

4) *Vocatio in ius*, seu *citatio ad constituendum formale iudicium;* quae fit ad normas c. 1711, sq.

5) *Litis contestatio;* seu *a*) *libelli communicatio* reo facta in iudicio, id est, perlectio capitulorum, probationibus indicatis tantum, necnon *b*) *rei responsio* (**n. 802**).

813. Quartum Stadium. — *Processus accusatorii vel iudicii formalis instructio per probationes*, seu *legitimatio processus inquisitivi;* ad quae pertinent actus qui sequuntur:

1) *Praefixio termini promotori iustitiae probationibus* exhibendis et explendis (c. 1731, 2°). Cfr. **n. 418,** *R.* II, *v.* **praestituat.**

2) Quae prius vocabatur *publicatio processus inquisitivi* (1), id est, *communicatio*, reo facta, *depositionum* testium et etiam, nisi aliquid obstet, nominum eorum, si reus prius processum *legitimet* (id est testes in inquisitione auditos declaret rite examinatos), *ceterarumque probationum* per extensum, quae in actis processus inquisitivi militant contra eum, non autem ipsorum actorum, haec enim communicantur in sequenti *Stadio*.

3) Quoties reus processum inquisitivum non legitimaverit, sequitur, illo postulante et iudice approbante, *a*) *repetitio testium* (2), id est iteratio examinis eorum qui in inquisitione auditi sunt, examinandorum seorsim a reo (c. 1771), iuxta interrogatoria ab eo proposita et a iudice approbata (c. 1761, § 1), et, *b*) si opus fuerit, *testium confrontatio* (inter se, serius etiam cum reo, ex canone 1772); si vero reus processum *legitimaverit*, sequitur *testium iusiurandum* de veritate dicenda (c. 1767, § 1) super depositionibus ex integro perlegendis eisdem (3), praestandum reo vidente si id postulaverit (c. 1767, § 2) et iudex approbaverit (c. 1858, ubi, supponitur quod usque ad publicationem processus possunt esse nonnullae **probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt,** certe iussu iudicis).

4) *Praefixio termini reo pro probationibus* exhibendis. Cfr. **n. 418.**

5) *Cribratio probationum* prout a reo exhibentur, facienda ad normas can. 1742-1828. Cfr. **n. 807,** *R.* I., 5).

814. Quintum Stadium. — *Publicatio processus et discussio scripta causae;* quarum hi sunt actus:

1) *Actorum processualium omnium ostensio* promotori et reo vel advocato istius prout praescribitur can. 1953-1960. Cfr. **n. 807,** *R.* II.

2) *Conclusio in causa* ad normam can. 1860, 1861. Cfr. **n. 797,** in principio, *v.* interloquendi... afferendis.

3) Mutua inter promotorem et reum per iudicem *communicatio defensionum scriptarum*, ut determinant can. 1863, 1865. Cfr. **n. 797,** circa finem, *v.* monendus.

4) *Informatio*, seu *discussio oralis*, qualis permittitur canone 1866.

815. Sextum Stadium. — *Controversiae definitio:* quae 1) fit *per sententiam* ad normam c. 1869-1878; 2) *excludit correptionem*

(1) Lega, *De Iudic.*, IV, 326.
(2) Pellegrini, *Praxis crim.*, Sect. 11.
(3) Lega, IV, 326.

ex c. 1950 (*v.* **ante conclusionem in causa**) vel *transactionem* (c. 1927, § 1), vel alium modum finiendi litem (c. 1930).

816. Septimum Stadium. — *Sententiae impugnatio per iuris remedia;* quae sunt 1) *querela nullitatis* coram eodem iudice iuxta c. 1892-1897; vel *appellatio* ad iudicem superiorem ad normas can. 1879-1882, quae secumfert novum iudicium *in secunda instantia*, subdivisum in *sex stadia* (vel septem si forte iteretur remedium), similia stadiis *primae instantiae*. Cfr. **n. 807,** Q. II, *R.* III.

817. Octavum Stadium. — *Exsecutio sententiae*, ad normas canonum 1917, § 1, 1918-1924.

818. Q. V. *Structura et ordo actuum processus accusatorii.*

R. Processus accusatorius dividitur in *octo stadia;* quorum quodlibet constat ex diversis actibus, videlicet:

819. Primum Stadium. — *Praeparatio causae:* ad quam requiruntur actus qui sequuntur:

1) *Oblatio libelli materialis:* seu *instantia criminalis*, vel *denuntiatio criminis*, Ordinario facienda a promotore iustitiae, etiam oretenus, indicatis tamen probationibus; etenim bonum publicum postulat ut in Ecclesia delicta, etiam publica et certa, Ordinario prae omnibus manifestentur, ad quem pertinet decernere utrum sint vere publica et certa (cf. **n. 800,** pag. 531).

2) *Examen denuntiationis* seu libelli materialis per Ordinarium cuius prudenti iudicio oportet omnino committi num expediat an potius noceat aliquem statim iudicio submittere, quibus forte cautelis debeat citari vel in Curiam convocari etc. Vide **n. 800,** pag. 532, et **n. 781,** *R.* II., *v.* **Si indicia.**

3) *Mandatum de procedendo* vel secus; id est, decretum Ordinarii, vel Officialis de speciali mandato, accusationem *a*) *inhibens*, vel *b*) *differens*, vel *c*) *iubens*, iuxta canonem 1946, § 2, qui est locus huic parallelus.

820. Secundum Stadium. — *Causae introductio, et* vel *eiusdem terminatio* (aut suspensio) *per correptionem*, vel *iudicii inchoatio per iniunctionem accusationis:* ad quae spectant actus qui sequuntur:

A) Si est locus correptioni (cc. 1948, 1949),

1) *Citatio rei* denuntiati, ad normam c. 1946, § 2, 3° qui est locus parallelus, ad peragendum experimentum correptionis. Cfr. **n. 782;**

2) *Rei auditio* seu examen ad normam can. 1742, §§ 1, 3, 1743, § 1, 1744, 1746. Cfr. **n. 794,** *R.* II. et **n. 785;**

3) Si reus delictum confiteatur, fit *correptio iudicialis* ad normam c. 1952.

4) Si reus delictum denegat, *a*) fertur *decretum de prosequendo*, id est Episcopus, aut Officialis de speciali mandato iuxta c. 1954, (apud Regulares Ordinarius), decernit ut promotor iustitiae conficiat formalem libellum accusationis, et, iuxta c. 1955, exhibeat illum iudici: *b*) *approbatur vel deputatur advocatus* pro reo; *c*) si aedificatio fidelium id exigit, Ordinarius *infligit remedia* de quibus in c. 1956.

B) Si correptio facta fuit inutiliter (cc. 1953, 1949),

1) *Citatio rei* ad contestandum illi quod **idem delictum commiserit** (c. 1949, § 2), aut **remedia, poenitentias,** etc. non exsequutus fuerit (c. 1953);

2) *Auditio* seu *examen rei* super praedictis;

3) Si reus non se excusaverit sufficienter, et delictum fuit iam ter commissum, fertur *decretum de prosequendo*, ut supra, *A*), 4).

4) Approbatur aut deputatur advocatus pro reo.

5) Locus est decreto de quo in c. 1956.

C) Si non sit locus correptioni (cc. 1948, 1949),

1) Fertur *decretum de prosequendo*, ut supra, *A*), 4).

2) Locus est decreto ex c. 1956.

821. Tertium Stadium. — *Iudicii instauratio:* cuius actus sunt:

1) *Confectio libelli formalis*, qui debet *A*) *fundari* supra *documenta*, vel *relationes* personarum ad deponendum iudicialiter promptarum, iudici manifestata, necnon *responsiones*, *inductiones* aut *excusationes* a reo datas in examine, ut dictum est in com. ad c. 1955; *B*) *redigi* ad normas can. 1955, 1706, 1707, §§ 1, 3, 1708; et *C*) *exprimere a*) *existentiam criminis*, *b*) *qualificationem* ipsius, *c*) *participationem accusati*, *d*) *circumstantias* aggravantes vel minuentes, et *e*) *poenas* ab accusato luendas. Cf. **n. 800,** *v.* **conficiat.**

2) *Oblatio libelli* facta Officiali, seu iudici ad normas c. 1956.

3) *Examen libelli* per iudicem iuxta cc. 1609, 1611, 1708; et *admissio* vel *reiectio* eiusdem ad normas can. 1709, §§ 1, 2.

4) *Vocatio in ius*, seu *citatio rei ad constituendum formale iudicium*, quae fit ad normas c. 1711, sq.

5) *Litis contestatio;* id est, *a*) *libelli communicatio*, reo facta

in iudicio, cum distinctione capitulorum, et probationibus indicatis tantum; et *b*) *rei responsio* ad singula capitula.

6) Si opus fuerit, iudex *infligit remedia* de quibus in c. 1597.

822. Quartum Stadium. — *Processus instructio* (per probationes) cuius ii sunt actus:

1) *Promotor* argumenta ex documentis, et ipsa documenta (si haec non sunt iam penes Cancellariam deposita), exhibet iudici pro examine, *tribunal* autem reo pro impugnatione. Idem *promotor* testes, antea iam indicatos et a tribunali non exclusos, producit ad normam c. 1761; *iudex* eos examinat ad normam c. 1772, sq., praesente promotore ut iudex permittere potest generatim ex c. 1771 et bonum publicum expostulat semper in causis criminalibus.

2) *Reus*, intra praefixum terminum exhibet iudici argumenta ex documentis et ipsa documenta ut supra, et producit testes antea iam indicatos a iudice non exclusos (c. 1791, § 2), necnon ceteras probationes; *tribunal* probationes, prout a reo afferuntur, cribrat ad normas c. 1747-1828, praesente *promotore* examinibus testium ob rationes supra dictas, *eidemque* ceteris quoque probationibus communicatis pro impugnatione, a tribunali pariter cribranda.

3) *Iudex* evulgat, si vult, testimonia, vel, ad normam canonis 1782, publicationem remittit ad stadium immediate sequens, quod est *publicatio processus*.

4) Cetera *Stadia* prout in *processu mixto*.

Q. VI. *Natura, structura et ordo actuum processus pro dimissione religiosorum in religione clericali exempta.*

823. *R.* I. Hic processus, qui continetur L. II., Tit. XVI, c. III, c. 654, sq., est 1) *iudicialis*, ut habet rubrica praedicti capitis; 2) *necessarius*, praeter casus indicatos in c. 646; 3) *peculiaris*, iuxta c. 1555, § 3, nam, ex c. 646, non instituitur nisi ob delicta *a*) **gravia,** quae, nimirum constituunt legis violationes *specialis* gravitatis, mensurandae ad normam c. 2196; *b*) **externa,** simpliciter, quin, nempe, sint *publica* in sensu c. 2197, ut pro ceteris iudiciis praescribitur canone 193, § 1, dummodo tamen probentur, et quidem uno ex tribus modis designatis in c. 658, § 1, sive ante dimissionem, sive post eam in casu canonis 663; *c*) **tria ... aut unum,** ad normam c. 657; *d*) quibus sit coniunctus **defectus emendationis,** probatus iuxta regulas generales (c. 1747, sq.), ante dimissionem, vel probandus eodem modo postea in casu canonis 663.

R. II. Potest considerari *divisus in septem stadia*, quo- 824.
rum quodlibet constat diversis actibus, videlicet:

Primum Stadium. — *Praeparatio causae;* seu *processus omnino extraiudicialis* ad comperiendum delictum et ad obtinendum vel *emendationem delinquentis* vel *certitudinem de eius incorrigibilitate*, quo spectant actus qui sequuntur:

1) *Examen notorietatis, publicae famae, rumoris, denuntiationis*, aliorumve argumentorum vel indiciorum delicti ad instaurationem processus dimissionis impellentium; quod *a*) semper fieri debet ad normam praescripti paralleli canonis 1939, 1942, quia tum monitio tum sola inquisitio praesumptum delinquentem gravant, et *b*) faciendum est ab Ordinario, ad quem unum spectat decidere **quandonam ea, quae praesto sunt argumenta, sufficiant ad inquisitionem instituendam** (c. 1942) et, *a fortiori*, utrum notorietas et confessio extraiudicialis sint tales quae sufficiant ad peragendas monitiones.

2) *Inquisitio;* facienda *a*) *semper*, nisi delictum sit *notorium*, aut *certum ex confessione extraiudiciali* (c. 658), frustra enim fierent monitiones, et exinde invalide, ni fallor, ob defectum *materiae debitae* et *causae* seu scopi intrinseci (1), si praesumptus reus non sit confessus aut legaliter convictus, saltem extraiudicialiter; *b*) et facienda quidem *ab Ordinario, per se vel per alium* (c. 1940) si sit Superior maior immediatus simpliciter, necessario autem *per alium* si debeat suffragium ferre in sententia dimissionis, qua Superior Moderator religionis (c. 655, § 1), aut qua membrum supremi Consilii Ordinis, vel qua delegatus ab ipso in dissitis regionibus (c. 667); nam adsunt eaedem rationes infra dicendae de monitionibus (cf. quoque rationes indicatas **n. 780**); denique *c*) *tendens* ad detegendum utrum denuntiatus, vel infamatus vel indiciatus de aliquo delicto, revera illud perpetraverit, ad normam c. 657.

3) *Monitiones: a*) *duae*, ad normam c. 660; *b*) faciendae ab *immediato Superiore maiore* (c. 659), per se vel per alium, aut, nostra sententia, necessario per alium in casibus supra dictis de inquisitione, et ad normam c. 659-661. Et quidem huius postremi triplex ratio afferri potest, videlicet: *a*) Ex c. 663 *acta* monitionum, et inquisitionis si praecessit, mitti debent a Superiore *maiore immediato* ad Superiorem *maiorem Supremum;* quod quidem fieri nequit si iste monitiones aut inquisitionem fecerit per se. *b*) Naturalis prudentia et aequitas suadent ut

(1) Cfr. D'Annibale, *Summa Theol. Mor.*, II, n. 300.

alius sit qui iudicium praeparet per inquisitionem et monitiones, alius vero qui iudicium celebret et sententiam pronuntiet; nam haec decidit non solum de delicto et eius auctore, sed etiam, et primo quidem, de monitionibus et inquisitione, an fuerint rite factae, necnon de earum auctoribus an recte et sine studio partium se gesserint, aliter enim quis deveniret iudex sui ipsius. *c*) Legislator, qui Ordinariis loci et in causis ordinariis expresse recognoscit facultatem inquirendi per se, suadendo tamen ut inquirant per alium (c. 1940), videtur praedictam facultatem et illam peragendi monitiones denegare implicite ceteris Ordinariis, aut saltem Supremo Ordinario Religionum in causis revera extraordinariis dimissionis religiosorum, eo ipso quod praescribit eas esse faciendas a *Superiore maiore immediato* et transmittendas ad *Supremum Moderatorem:* quae denegatio suadetur prudentia et aequitate, cum in causis dimissionis suprema poena vindicativa religioso infligitur et simul appellationis remedium minime ei conceditur.

4) *Inquisitio* seu *cognitio circa emendationem* aut *incorrigibilitatem;* complenda, ad normam c. 662, a Superiore maiore qui monitiones fecit aut commisit.

5) *Collectio et transmissio omnium actorum* (monitionum et inquisitionis si praemissa fuit) ad supremum Moderatorem; quae taliter confecta esse debent ut ex illis constet *a*) de delictis patratis, *b*) de praemissa duplici monitione, et *c*) de defectu emendationis.

6) *Actorum traditio promotori iustitiae;* qui ea examinet et suas conclusiones proponat (c. 663).

7) *Ulteriores inquisitiones* per promotorem iustitiae, **cui fas est ... quas opportunas iudicaverit peragere** (c. 664, § 1).

825. Secundum Stadium. — *Introductio causae*, seu *instauratio iudicii formalis;* cuius ii sunt actus:

1) *Constitutio tribunalis;* quod, si *ordinarium* sit, debet constare ex Supremo Moderatore et saltem *quatuor* religiosis, si autem *delegatum*, constet oportet *tribus* saltem religiosis. Quod si ex his tribus vel ex illis quinque iudicibus aliqui deficiant aut post constitutionem tribunalis abesse cogantur, eorum loco totidem religiosos eligat praeses de consensu aliorum qui cum ipso *tribunal collegiale* constituant; sed *a*) non est opus substitutione, saltem ante litis contestationem, si aliquo deficiente adhuc manserit numerus quinarius pro tribunali Ordinario, vel ternarius pro delegato; *b*) substitutus, nisi una alterave vice

tantum suppleverit, debet, ni fallor, prosequi usque ad ferendum suffragium in sententia definitiva, fieri enim non potest ut unus de controversia *cognoscat* in ordine ad sententiam et alius de ea *definiat*.

2) *Confectio libelli* iuxta acta ab immediato Superiore maiore et ulteriores inquisitiones forte a promotore peractas.

3) *Libelli oblatio* tribunali ordinario per promotorem iustitiae.

4) *Libelli examen* per tribunal ordinarium, et eiusdem *admissio* vel *reiectio*.

5) In casu reiectionis libelli, *emendatio* ipsius et *iterata exhibitio;* in casu admissionis, *citatio* rei ad comparendum, vel *transmissio libelli* ad tribunal delegatum ut reum coram se citet, et expleat actus qui sequuntur, adhibito promotore iustitiae; necnon *approbatio* vel *deputatio advocati* pro reo (cf. comm. ad c. 1954, **n. 796**), et propositio exceptionis recusationis iudicum et aliarum (c. 1628).

6) *Litis contestatio:* quae fit 1) *ex parte promotoris iustitiae* *a*) perlegendo reo coram tribunali singula capitula accusationis; *b*) indicando eidem *rationes notorietatis* aut *certitudinis delictorum* quae ex c. 658 causam dederunt monitionibus, aut *eorundem probationes* deductas ex inquisitione, tacitis tamen in hoc casu nominibus testium nisi reus prius *legitimaverit inquisitionem* in se factam (cf. **n. 802** et **n. 807.** *R.* I, pag. 539); *c*) exhibendo eidem *probationes monitionum* perlectis harum tenore et attestatione monitoris aut syngrapha receptionis publici officii; *d*) indicando ipsi *probationes defectus emendationis;* 2) *ex parte rei* respondendo ad capitula accusationis et ad cetera.

7) Tribunal praestituit utrique parti *terminum*, non communem vel simultaneum sed successivum, *pro probationibus producendis*.

8) Si opus fuerit, tribunal *infligit remedia* de quibus in canone 1956.

826. Tertium Stadium. — *Processus iudicialis instructio*, (per probationes); cuius ii sunt actus:

1) *Promotor iustitiae* argumenta seu probationes ex documentis circa delictum et circa defectum emendationis exhibet tribunali pro examine, et documenta restituit, et testes circa eadem producit ad normam c. 1761, aut eos repetit si auditi sunt in inquisitione et reus hanc non legitimaverit; *tribunal* autem reo communicat probationes ex documentis, et ipsa documenta, pro impugnatione, et testes examinat ad normam

c. 1772, sq., praesente promotore ut permittit c. 1771 et bonum publicum postulat.

2) *Reus* intra terminum praefixum exhibet probationes ex documentis et documenta si quae adhuc non deposuit, producit testes in antecessum indicatos et a iudice non exclusos, necnon ceteras probationes; *tribunal* probationes prout a reo exhibentur, cribrat ad normam c. 1747, § 1, 828, praesente promotore examinibus testium ob rationes supradictas, eidemque ceteris quoque probationibus communicatis pro impugnatione, a tribunali pariter cribrandis.

3) *Tribunal* evulgat, si vult, testimonia, vel, ad normam c. 1782, publicationem remittit ad *Stadium* immediate sequens, quod est *publicatio processus.*

827. Quartum Stadium. — *Publicatio processus* et *discussio oralis causae;* ut in aliis processibus criminalibus. Cf. **n. 814.**

828. Quintum Stadium. — *Controversiae definitio;* ut in aliis processibus criminalibus. Cf. **n. 815.**

829. Sextum Stadium. — *Sententiae revisio*, per Sacram Congregationem de Religiosis, ad quam tribunalis praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit (c. 566), et quae eam revidebit adhibitis actibus vel sollemnitatibus quae in Domino iudicaverit.

830. Septimum Stadium. — *Exsecutio sententiae.* Porro 1) Sententia exsecutioni mandari nequit nisi fuerit a Sacra Congregatione confirmata. 2) Si sententia confirmata fuerit, exsecutioni mandentur ab illis ad quos spectat praescripta in c. 669-672.

TITULUS XX.

De causis matrimonialibus.

Expositio rubricae.

831. Q. I. *Ratio ordinis.*

R. Legibus peculiaribus quoad causas criminales quae ad subiectum magis generale se extendunt, nimirum, ad omnes fideles, succedunt canones super causis matrimonialibus, quae respiciunt subiectum magis restrictum, id est nonnullos fideles.

832. Q. II. *Causarum matrimonialium notio et divisio.*

R. I. *Causae matrimoniales*, « si vim nominis attendamus,

ait Gasparri (1), sunt illae quae matrimonium spectant». Sed, ut ipsemet innuit, aliae dicuntur tales *proprio* et *stricto* sensu, aliae *sensu lato*, scilicet, **causae de effectibus matrimonii mere civilibus** (c. 1961).

R. II. Multifariam a diversis dividuntur; brevitatis gratia possunt reduci ad quinque genera; quae autem ad tria priora spectant sunt *stricte* matrimoniales. Videlicet:

1) Causae *de exsistentia* et *validitate sponsalium;* et proinde circa *exsistentiam* et *vim impedimentorum* contractus sponsalitii, et circa *iura provenientia ex sponsalibus*, ut puta circa *actionem ex damno*, de qua in c. 1017, § 3.

2) *De exsistentia* et *validitate matrimonii;* et consequenter circa *exsistentiam* et *vim impedimentorum* eiusdem, et circa *effectus*, *obligationes* et *iura* quae ex ipso vinculo coniugali necessario oriuntur, utputa circa ius et obligationem *individui vitae consortii*, id est, circa separationem aut restitutionem coniugum, circa legitimitatem prolis, etc.

3) *De dissolutione tum sponsalium*, *tum matrimonii* sive rati sive etiam consummati in unico casu, dicto *ex privilegio Paulino*.

4) *De delictis circa matrimonium*, v. g. adulterio, abortu, saevitiis, etc.

5) *De effectibus matrimonii mere civilibus*, v. g. circa successionem hereditariam, circa restitutionem dotis matrimonio invalido allatae.

Q. III. *Vetus disciplina quoad iudicia, maxime quoad probationes, in causis matrimonialibus.* **833.**

R. Equidem ex primis Ecclesiae saeculis non habentur documenta clara quibus ostendatur causas matrimoniales fuisse coram Superiore ecclesiastico iudicialiter disceptatas, sed hoc silentium non est argumentum peremptorium; eo vel magis quod non potest dici modo absoluto documenta omnino deesse, ut patebit conferenti canonem 25 Conc. Ancyr. (a. 314) et alia Concilia, et cum minor frequentia causarum explicetur paucitate impedimentorum (2). Certe, cum primi christiani coram nullo alio magistratu quam Episcopo matrimonia contraherent, nonnisi interventu Episcopi, et quidem exclusive, coniugale consortium dissolvebant (3).

(1) *De Matrimonio*, Vol. II, n. 1162.
(2) Cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, IV, n. 728.
(3) I *Cor.* v, 1, sq.

Crescente numero impedimentorum, inde a saeculo octavo et nono, excrevit quoque numerus controversiarum iudicialium circa causas matrimoniales: ut constat apud Gratianum, qui tamen, c. 10, C. XXXII, nimis rigorose applicat ius romanum concedens uni marito ius accusandi matrimonium ob adulterium, et c. 3, Causa XXXIII, q. 2, fidem detrahit uxori et soli marito concedit. In Collectionibus posterioribus praevalet expresse aequitas canonica et utrique coniugi aperte recognoscitur aequale ius accusandi. Serius iam Bernardus Papiensis et Tancredus controversiam de effectibus accessoriis matrimonii tribuunt iudici ecclesiastico.

Processus ordinari coepit ut in aliis causis: deinde praxis invaluit qua *ordo iudiciarius* (id est processus sollemnis) *in causis matrimonialibus non usquequaque* observaretur (cap. 1, X, *Ut lite non contes.* II, 6); tandem permissum fuit ut adhiberetur *processus summarius* (c. 2, *De iudic.* II, 1, *in Clem.*). Quod tamen ita intelligendum est, ut processus esset summarius quoad *sollemnitates*, non autem quoad *probationes*. Post alias reformationes factas a Conc. Constant. et Trid. quod cognitionem causarum matrimonialium Episcopis reservavit prae omnibus iudicibus inferioribus, etiam abbatibus nullius, celeberrima est ea inducta per Const. Ben. XIV, *Dei miseratione*, in qua praecipue notanda sunt institutio *defensoris vinculi*, determinatio *inspectionis corporum* et impositio necessitatis *duplicis sententiae*. Hanc Constitutionem subsequutae sunt plures *Instructiones* S. Sedis eam evolventes et perficientes, praecipue *Instr. S. C. S. Off.* 20 Iun. 1883.

In particulari recolenda est disciplina quoad causas impotentiae, quae plures vicissitudines subiit. Etenim, licet Ecclesia semper recognoverit impotentiam coëundi, antecedentem et perpetuam, irritare matrimonium, nihilominus antiquitus huiusmodi causas non iudicabat, sed decernebat partes debere simul manere uti fratrem et sororem (1). At cum experientia compertum esset coniuges non semper servare continentiam nec pacifice vivere, easdem coepit submittere iudiciali disceptationi et definitioni, praemisso tamen *triennali experimento*, quo expleto, si matrimonium consummari non potuisset, ferebatur sententia (2). Utrum consummatio locum habuisset an non, probabatur *a*) inspectione corporis mulieris; *b*) iurata confessione partium; *c*) iu-

(1) C. 4, X *De frigidis et malef.* IV, 15.
(2) C. 5, X *De frigid. et malef.* IV, 15; Wernz, *Ius Decret.* IV, 344.

rato testimonio *septimae manus*. Sed postea triennale experimentum in desuetudinem abiit. Quid fuerit testimonium *septimae manus*, ita dictum ob numerum testium septenarium plus minusve, satis apparebit ex c. 1975.

Q. IV. *Divisio materiae et forma processus ex Codice.* **834.**

R. I. Legislator canones h. T. distribuit in *septem* capita, quae respiciunt totidem materias rei iudiciariae, circa quas ipse peculiares normas statuit aut evolvit, scilicet: *De foro competenti*, etc., etc.; quorum capitum singulas rubricas suo loco exponemus, quatenus opus sit aliquid addere expositioni factae in Sect. I.

R. II. *Forma* processus, ab eo praescripta, est duplex, (reiecta, vi c. 1970, forma *pure inquisitiva*), nimirum, vel *accusatoria privata*, vel *accusatoria publica*. Processus *accusationis privatae* adhibetur quoties licet coniugibus accusare iuxta c. 1971, § 1, 1°; processus vero *accusationis publicae* quando accusat promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis (ex eod. c. § 1, 2°). Inquisitio quae c. 1985 praescribitur in causis quae spectant dispensationem matrimonii rati et non consummati non mutat formam accusationis seu petitionis privatae. Cfr. tamen **n. 849.**

CAPUT I.

De foro competenti.

Expositio rubricae.

Q. I. *Materia capitis.* **835.**

R. Amplius patet quam rubrica; nam in postremo canone, scilicet 1965, legislator suggerit *modos iudicii vitandi*. Ceteri canones agunt quidem omnes *de foro competenti*, sed sensu diverso; etenim duo primi loquuntur de foro competenti sensu universalissimo; seu declarant quodnam sit forum competens in causis matrimonialibus civium qui simul sunt membra societatis civilis et Ecclesiae, utrum, nempe ista, aut vero illa et quando vel quo sensu; vel, aliis verbis, declarant *competentiam Ecclesiae respectu societatis civilis;* reliqui canones determinant *competentiam intra Ecclesiam*, seu inter diversa tribunalia ecclesiastica.

Expositio textus.

836. **Can. 1960.** — Q. *Quonam iure spectant ad iudicem ecclesiasticum causae matrimoniales stricte tales inter baptizatos.*

R. **Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant.**

Causae matrimoniales: stricte tales, nam de aliis v. g. de delictis circa matrimonium et de quaestionibus circa effectus matrimonii mere civiles iudicat quoque potestas civilis, et iure quidem suo. Porro causas matrimoniales stricte tales pertinere *per se* ad Ecclesiam, est de fide, definitum a Concilium Trid. Sess. XXIV, c. 12: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudicem ecclesiasticum: anathema sit.* — . . . **inter baptizatos:** nam, « si utraque pars est infidelis, docet merito Gasparri (1), iudex competens certe non est iudex ecclesiasticus, sed iudex laicalis ». Attamen Ecclesiae auctoritas se extendit etiam ad infideles, licet indirecte, quia, ut subiungit idem Em.mus Auctor, « ex una parte interpretatio iuris divini seu naturalis seu positivi data ab Ecclesia afficit etiam infideles, et ex alia interpretatio iudicis laici, et sententia eidem innixa, nullius roboris est, e. g. si iudex laicus, nulla exstante lege civili, nullum declarat coniugium inter Titium fratrem et Sempronium sororem; nam una Ecclesia est interpres authenticus iuris divini ».

Quid autem si una pars sit baptizata alia vero non? Respondemus cum eodem laudato auctore: « prima fronte videretur applicandum principium: *Actor sequitur forum rei*, ita ut, si reus est infidelis, sit competens iudex laicalis, si reus est fidelis, sit competens iudex ecclesiasticus. At illud principium inservit tantummodo ad determinandum quinam iudex laicus sit competens in causa civili, vel iudex ecclesiasticus in causa ecclesiastica, dum hic quaeritur utrum sit competens iudex ecclesiasticus, an laicalis. Aliis verbis, illud principium est iuris privati, dum haec quaestio est iuris publici... Putamus competentem esse iudicem ecclesiasticum, quicunque tandem sit actor vel reus. Nam matrimonium in casu, etsi neges esse verum ac proprie dictum sacramentum, erit tamen vi sua, sponte sua, natura sua, res sacra (n. 210), quae ratione partis fidelis ad Ecclesiam spectat. »

(1) Card. Gasparri, *De Matrimonio*, Vol. II, 1164.

... **iure proprio et exclusivo:** et primum quidem *iure proprio*, id est, directe ei tributo a suo divino Institutore Iesu Christo dum potestatem *propriam* et *exclusivam* in res spirituales et sacras eidem largitus est, non autem derivato ex concessione ei facta a christianis principibus, ut voluerunt Iansenistae et Regalistae et adhaerentes pseudo-Synodo Pistoriensi a. 1786. Horum sententia refellitur, et vera doctrina ostenditur tanquam fidei proxima (1): 1) *Auctoritate;* videlicet: *a*) epistola Pii VI ad Motulensem Episcopum, 17 Sept. 1788, qua docet causas matrimoniales spectare *iure originario et exclusivo* ad Ecclesiam; *b*) litteris *Ad Apostolicae* Pii IX, 2 Aug. 1851; *c*) allocutione consistoriali eiusdem, 27 Sept. 1852; *d*) propositione 74 reprobata in Syllabo eiusdem S. P.: « Causae matrimoniales et sponsalia, suapte natura, ad forum civile pertinent ». 2) *Ratione;* nam matrimonium inter fideles est verum sacramentum, et proinde causae matrimoniales versantur circa sacramentum, id est, circa validitatem, aut circa effectus necessarios ex eo provenientes; atqui manifestum est potestatem in res sacras qualia sunt sacramenta, pertinere iure proprio et exclusivo ad Ecclesiam; ergo ad iudicem ecclesiasticum spectant *iure proprio et exclusivo* causae matrimoniales.

... **exclusivo:** respectu cuiuslibet potestatis civilis, ut ostenditur iisdem auctoritatibus et argumento rationis nunc nunc allatis; unde sequitur, iudicem laicum esse incompetentem. Quod tamen intelligendum est *per se;* quapropter, casu quo forte Ecclesia *toleret et iurisdictionem suppleat*, potestas civilis non excluditur e iudicando. Nam, ait Gasparri, « certum est Ecclesiam, id est, R. P. posse tolerare ut iudex laicus causas matrimoniales videat. Ita nostris temporibus causae de divortio semipleno (*séparation de corps*) pertractari solent penes tribunalia laicalia, et S. Sedes pro nonnullis nationibus expresse declaravit id, servatis servandis, tolerari posse, suppleta scilicet iurisdictione » (2). Oportet autem cognoscere quaenam sint illa, *quibus servatis*, Ecclesia tolerat et iurisdictionem supplet. Et quidem satis apparent ex iis quae Em.mus auctor subiungit:

« Revera Episcopus Southwarcensis in Anglia, 19 Dec. 1860, quaesivit a S. C. S. Officii: " utrum liceat advocati et actoris partes agere (apud tribunal civile), quando finis litis est simplex separatio, absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum-

(1) Card. Gasparri, *De Matrimonio*, Vol. II, n. 1163.
(2) Card. Gasparri, *De Matrimonio*, II, n. 1165.

ferente ,,. S. C. reposuit: *Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit a quo sententiam obtineat separationis quoad torum et mensam, et dummodo sententia huius tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem praedictam, posse tolerari ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant, et dummodo adsint iustae separationis causae iudicio Episcopi; et si quid habeat praeterea dubii, recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones ...*

« Idem pro Galliis deducimus ex celebri responso S. C. S. Officii, 25 Iunii 1885: " Post nuper restitutas penes Gallos an. 1884 divortii leges plura a nonnullis Episcopis Galliarum dubia huic S. R. et U. Inquisitioni proposita sunt: utrum nempe fas esset iudicibus laicis, in causis de separatione coniugum sive circa vinculum sive circa habitationem tantum, ius dicere; utrum advocatis et procuratoribus huiusmodi causas agere penes iudices laicos; utrum his ad quos de iure pertinet, defensores officiosos, quos vocant, deputare; utrum denique syndicis (vulgo *maires*) divortium pronuntiare ,,.

« EE. PP. una mecum Inquisitores Generales, re mature perpensa, in feria V, loco IV, die 25 Iunii 1875, ita decernendum esse censuerunt:

« " *Attentis gravissimis rerum, temporum, ac locorum adiunctis tolerari posse, ut qui magistratus obtinent, et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos iudices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico iuri repugnantem; et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque Ordinarium adeat, eiusque iudicio se dirigat, et quatenus opus sit, per eius medium ad Apostolicam Poenitentiariam recurrat* ,,.

« Hoc decretum SS.mus Pater ratum habuit, ideoque omnibus in Gallia Archiepiscopis et Episcopis notum fit pro eorum norma per has litteras, ceteroquin non evulgandas. »

« Hae declarationes, addit Gasparri, ad alias nationes, quae in iisdem circumstantiis reperiuntur, extendi per se non possunt, quia *quod alicui gratiose conceditur trahi non debet aliis in exemplum* (reg. 74 iur. in VI°); proinde necesse est eiusdem tolerantiae gratiam petere et obtinere. »

Ad hanc rem faciunt nonnullae conclusiones practicae maximi momenti, scilicet: « Praeter casum huius tolerantiae, ait Gasparri (l. c., n. 1166) iudex laicus, sese immiscens causae matrimoniali, e. g. separationi corporum, graviter peccat, etsi deinde sententiam proferat contrariam, quia, causam ad se revocans, Ecclesiae iura usurpat; item graviter peccat coniux qui causam ad iudicem laicum deducit, ed advocatus qui eam sustinet. Imo ii omnes merito suspecti sunt de haeresi, quia facto videntur iudici laico competentiam recognoscere contra canonem dogmaticum Conc. Trid. Et, id revera putantes cum pertinacia, sunt reipsa haeretici; quam haeresim exterius manifestantes incurrunt excommunicationem latae sententiae R. P. speciali modo reservatam in Const. *Ap. Sedis* n. 1 ». (Quae manet c. 2314). « At non peccat reus, eiusque advocatus; quia licet profecto sese defendere etiam coram iudice incompetente ».

Quid autem si, contra conditiones supra indicatas tanquam requisitas pro tolerantia ex parte Ecclesiae, actor petat, et advocatus aut procurator defendat, et iudex proferat sententiam divino aut ecclesiastico iuri repugnantem, v. g. sententiam divortii pleni inter coniuges matrimonio religioso valido coniunctos? Prima fronte videtur respondendum eos *semper* peccare, quia rem intrinsece malam faciunt. Tamen est duplex sententia inter Doctores catholicos, Ecclesiae pariter devotos. Horum alii tenent iudici nunquam licere (a fortiori actori et advocato) pronuntiare sententiam divortii civilis seu iuxta legem civilem, firmo manente vinculo religioso, quia dicta lex civilis est intrinsece mala, utpote iuri naturali et divino aperte contraria. Alii vero docent iudicem (haec doctrina non applicatur actori et advocato) posse sententiam pronuntiare iuxta legem civilem, casu quo haec permittat *negative* tantummodo divortium quasi declarans illud *immune a poenis;* nam cum praedicta lex non sit in se intrinsece mala, non esset intrinsece mala eius applicatio per iudicem.

Addunt posse iudicem etiam in quolibet casu pronuntiare, quia sententia iudicialis esset solutio vinculi matrimonialis civilis, quod vinculum in coniuge catholico non exsistit, et proinde, cum esset solutio rei non exsistentis, est revera actus non intrinsece malus sed indifferens; qui ex iusta et proportionata causa licitus fit, quamvis ex eo certe, sed indirecte tantum, sequatur effectus contrarius iuri divino, sicut, v. g., mulier gravida, ex iusta causa salvandi propriam vitam, potest sumere potionem ex qua certe sed indirecte abortus causatur. Causa

autem debet esse non ordinis privati, sed boni publici, qualis est utilitas Ecclesiae proveniens ex eo quod iudices catholici non dimittant officium etsi cogantur sententias divortii ad normas legis civilis proferre.

Rigidiori sententiae favent plures resolutiones S. C. S. Off., v. g. 25 Iun. 1885, 18 Nov. 1886, et S. Poenit. v. g. 5 Ian. 1887, 4 Iun. 1890, 14 Ian. 1891, 7 Ian. 1892, ob quas clariss. Gasparri, ad illam sententiam inclinatur; ast a patronis mitioris sententiae non immerito invocantur responsa S. C. S. Off. 26 Iul. 1887, et S. Poenit. 23 Sept. 1887 ad Episc. Lucion. et 4 Iun. 1890; nam praesertim ex decisione in Lucionen. videtur deduci sententiam divortii civilis posse ferri saltem *in certis circumstantiis*. Conclusio practica est, quod iudices catholici consulant in singulis casibus Ordinarium et eius consilio se dirigant; Ordinarius autem consulat, si opus sit, Sanctam Sedem (1). « Sacrae Congregationes, ait Sebastiani (2), quaestionem in genere non diremerunt neque, probabiliter, dirempturae sunt; sed plerumque iudicium tulerunt in casibus particularibus, et decreverunt pro singulis casibus esse recurrendum ad S. Sedem ».

837. **Can. 1961.** — Q. *Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, quandonam pertinent ad civilem magistratum, quando vero et quo iure cognosci possunt a iudice ecclesiastico?*

R. **Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum ad normam can. 1016; sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri.**

... de effectibus matrimonii mere civilibus: ut de successione hereditaria, de liberorum alimentis, de restitutione dotis matrimonio allatae, etc. — **... si principaliter**: id est, si primo, per se et directe deducantur in iudicium, iuxta dicta in commentario ad c. 1837. — **... sed si incidenter et accessorie**: nimirum, eo sensu explicato in com. ad c. 1837. — **... possunt**: sed non prohibetur generaliter has quaestiones deferre ad iudices laicos, qui etiam sunt competentes in eas utpote temporales: quapropter dicuntur causae *mixti fori*. Diximus autem *generaliter*, quia canone 1554, plectitur **actor qui causas mixti fori ad iudicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert.**

(1) Cfr. Card. Gasparri, *De Matrimonio*, II, n. 1233-1251.
(2) *Summarium Theol. Mor.*, n. 584. Edit. tertia.

Can. 1962. — Q. *Quisnam iudex ecclesiasticus cognoscet causas matrimoniales a) spectantes ad eas personas illustres de quibus in can.* 1557, § 1, n. 1; *b) super matrimonio rato et non consummato; c) quae referuntur ad privilegium Paulinum.* 838.

R. **Causas matrimoniales ad eos spectantes de quibus in can. 1557, § 1, n. 1, illa Sacra Congregatio vel illud Tribunal aut specialis ea Commissio exclusive cognoscet, cui eas toties quoties Summus Pontifex delegaverit; causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato, Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum; causas vero quae referuntur ad privilegium Paulinum, Sacra Congregatio S. Officii.**

...**cui...Summus Pontifex delegaverit:** hoc modo manet in scriptis et expresse, et indubitanter statutum quod consuetudine fuerat introductum sed hactenus nullibi expresse praescriptum erat; unde Archiepiscopo Parisiensi visum fuit licitum, immerito prorsus, se habuisse competentem in causa ab Imperatore Napoleone I introducta. Immerito, inquam, cum iam sacculo XII Caelestinus III non modo agendi rationem reprehendit, sed sententiam quoque irritavit nonnullorum Galliae Episcoporum qui divortium pronuntiaverant inter Philippum Regem Franciae et Ingelburgem, scribens eis in haec verba: *Non est a temeritatis vitio alienum quod in tam arduo et difficili negotio non fuit censura Sedis Apostolicae requisita, per quam vel ipsum canonice finiretur vel committeretur aliquibus qui idem, servato iuris ordine, secundum canonica statuta terminarent. Hic revera contra Sanctorum Patrum veneranda concilia processum est manifeste, qui maiores et difficiliores quaestiones ab universis ad Sedem Apostolicam censuerunt debere praeferri, quod usque in hodiernum diem non solum a Gallicana Ecclesia, praterquam in praesenti articulo, verum etiam a longe remotioribus devotissime observatur* (1). — Et quidem consuetudo antiqua rationabilis fuit valde, observantia autem eius necessaria, denique praescriptum Codicis opportunum, « cum, ait Gasparri (l. c., n. 1167), ex una parte res sit gravissimi momenti, et ex alia pertimescendum sit, ne desit sufficiens libertas iudici in partibus in quibus dominatur Princeps cuius interest ».

...**S. C. de disciplina Sacramentorum:** quae nomine et auctoritate S. Pontificis videt utrum sit locus dispensationi an non, et definit petitionem dispensationis esse S. Pontifici pro-

(1) *Annales Eccl.* Baronii et Mauri, an. 1195.

ponendam vel non, quippe cui soli nemo dubitat competere de dispensatione super *rato* iudicare per se vel per alium; veluti nullus catholicorum potest sine temeritate negare illi hanc facultatem, licet non sit proprie de fide, cum S. P. semper ea utatur, etiam altero coniuge invito (1). — **... S. C. S. Officii:** item auctoritate et nomine S. P., cui soli nemo ambigit competere de usu privilegii Paulini iudicare (cf. c. 247), quemadmodum nullus catholicorum illi denegat facultatem iudicandi de illo privilegio, licet circa originem privilegii duplex sit sententia; docentibus nonnullis illud esse iuris divini a S. Paulo promulgatum, quod S. Pontifex interpretatur quoties de eo iudicat, aliis vero esse iuris humani, quod S. Paulus primum potestate apostolica Corinthiis concessit, deinde Primas seu R. Pontifex ad alios extendit. Huic postremae sententiae videtur favere can. 1125 (2), quo **ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur ea quae matrimonium respiciunt** in constit. S. Pii V et Gregorii XIII, quibus innixus Em.mus Card. Gasparri ostendit facultatem dictam *privilegium fidei* vel *Paulinum* esse iuris humani et *dispensativam*, non iuris divini *interpretativam* (3).

839. **Can. 1963.** — Q. *Quoad causas dispensationis super rato,* 1) *utrum aliquis iudex inferior possit saltem processum instruere;* 2) *quid si ex iudicio peracto de matrimonio nullo ob impotentiam emerserit probatio inconsummationis.*

R. I. ex § 1. **Quare nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica facultatem eidem fecerit.**

R. II. ex § 2. **Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti poterit ad sententiam super rato et non consummato ferendam.**

840. **Can. 1964.** — Q. *Quisnam sit iudex competens in aliis causis matrimonialibus.*

R. **In aliis causis matrimonialibus iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo**

(1) Cfr. S. Alphons., VI, n. 959; Gasparri, *l. c.*, n. 1081.
(2) Cfr. Gasparri, *De Matrimonio*, vol. II, n. 1083.
(3) Gasparri, *De Matrimonio*, vol. II, n. 1117, sq.

pars conventa vel, si una sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet.

In aliis causis matrimonialibus: praeter tres species de quibus in c. 1963, § 1. Ergo etiam in causis super *impedimento disparitatis*, quippe de ea non fit mentio in praedicto canone? Equidem vi verborum quae commentamus videtur esse respondendum affirmative; sed obstat canon 247, § 3, ubi expresse dicitur: **Ipsa sola** (S. C. S. Off.) **cognoscit ea quae ... matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur.** Rursus vero, quominus canon 247 intelligatur eo sensu generali quem exhibent verba impedit canon 1990, in quo tribuitur Ordinario competentia in impedimento *disparitatis cultus* saltem quando **ex certo et authentico documento ... constiterit de exsistentia** eius. His difficultatibus oppressi duximus inquirere circa praxim Sacrae C. S. Officii post promulgationem Codicis, et a personis fide dignis accepimus quod permittit Ordinariis cognoscere causas super impedimento disparitatis cultus in casu de quo in canone 1990, in ceteris vero cognoscit ipsa privative. De impedimento *mixtae religionis*, cum non sit dirimens, et proinde circa illud possint quidem esse *quaestiones* seu causae extraiudiciales sed non *lites*, non erat cur de eo fieret mentio in c. 1963.

... iudex competens: primae instantiae: de iudice appellationis vide c. 1986. — **... iudex loci:** et proinde, vi c. 1572, Ordinarius loci, etiam Abbas vel Praelatus *nullius* et ceteri qui iuxta can. 198 et 1572 veniunt nomine Ordinarii in qualibet dioecesi; non autem Vicarius Generalis Episcopi nisi deputatus fuerit Officialis (c. 1573, § 1). Iure vigente usque ad Codicem causae matrimoniales in Abbatia *nullius* cognoscebantur ab Episcopo viciniori iuxta praescripta Concilii Tridentini, Sess. XXIV, c. 20, et Const. Ben. XIV, *Dei miseratione*, § 4. — **... in quo matrimonium celebratum est:** quo praescripto inductus est expresse locus contractus matrimonialis uti modus sortiendi forum, de quo nonnulli dubitabant. Et quidem intelligitur etsi, ni fallimur, neuter coniugum ibi reperiatur; primo, quia canon hanc conditionem non apponit; deinde ob praxim hucusque servatam a S. Sede, quae, iuxta Gasparri, l. c. 1169, omnes instantias ad se directas pro dispensatione aut pro declaratione nullitatis matrimonii « remittere semper solet, pro processu conficiendo, ad Episcopum dioecesis in qua matrimonium initum fuit, ut scilicet implicatam saepe domicilii investigationem evitet ». Putamus quod conformiter ad illam praxim, et ad obti-

nendum idem commodum non apponitur nec debet supponi apposita in canone conditio praesentiae alterutrius coniugum in loco celebrationis.

841. **Can. 1965.** — Q. *Monitiones ad revalidationem a iudice faciendae, si matrimonium accusatur, a) ex defectu consensus; b) ex defectu formae substantialis; c) ex impedimento dirimenti dispensari solito.*

R. **Si matrimonium accusatur ex defectu consensus, curet ante omnia iudex ut monitionibus opportunis partem, cuius consensus deesse affirmatur, ad consensum renovandum inducat; si ex defectu formae substantialis vel ex impedimento dirimenti quod dispensari potest et solet, partes inducere studeat ad consensum in forma legitima renovandum vel ad dispensationem petendam.**

... ad consensum ... renovandum: ad normas can. 1133, et seq.

CAPUT II.

De tribunali constituendo.

Expositio rubricae.

842. Q. I. *Rubricae sensus.*

R. Aequivalet huic quaesito: *quaenam personae constituunt vel adiuvant tribunal pro causis matrimonialibus?* Ad quod respondetur: eaedem ipsae quae praescribuntur can. 1572-1593. Attamen, ampliantes commentarium nostrum ad c. 1586, putamus promotorem iustitiae non esse necessarium in causis matrimonialibus, prout deducitur ex formula canonis, praecipue ex illis verbis: **ille pro causis, tum contentiosis,** etc., **iste pro causis in quibus** etc. Et revera quid est defensor vinculi matrimonii et sacrae ordinationis, nisi quidam promotor iustitiae in his rebus?

Expositio textus.

843. **Can. 1966.** — Q. *Quot debent esse iudices, a) pro petitione dispensationis super rato definienda; b) pro inquisitione definitioni praevia.*

R. **Firmo praescripto can. 1576, § 1, n. 1, unicus est**

iudex in structor in inquisitione pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

Firmo praescripto can. 1576, § 1, n. 1: quibus verbis significatur quod S. Congregatio de disciplina Sacramentorum non potest definire super petitione dispensationis S. Pontifici proponenda vel secus nisi suffragio trium saltem iudicum. — **... unicus est iudex instructor:** his autem verbis praescribitur ut inquisitio vel instructio processus, sive apud Sacram Congregationem peragatur, sive apud tribunal inferius ex facultate ipsi facta a Sede Apostolica committatur unico inquisitori, qui *iudex instructor* dicitur.

Can. 1967. — Q. *In quibus causis et quaestionibus a) sit necessaria citatio defensoris vinculi; b) qualiter sint necessariae citatio aut praesentia.* 844.

R. **Sive agatur de nullitate matrimonii, sive de probandis inconsummatione et causis ad dispensandum super rato, citari debet defensor vinculi matrimonialis, ad normam can. 1586.**

... et causis ad dispensandum: quae verba specialiter notare volumus, nam iis exprimitur non sufficere si defensor citatus fuerit ad perpendendas probationes inconsummationis, nisi insuper admittatur ad disceptationem super causis dispensationis. — **... ad normam can. 1586:** qui, ni fallimur, est, ob errorem materialem positus loco can. 1587, in quo praescribitur qualiter sint necessariae citatio et praesentia, et ad cuius commentarium nos remittimus.

Can. 1968. — Q. *Munera defensoris vinculi matrimonialis quoad 1) testium examen; 2) articulos et documenta a partibus exhibita; 3) animadversiones a se scribendas, et allegandas, etc.* 845.

R. **Defensoris vinculi est:**

1° **Examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere;**

2° **Articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere;**

3° **Animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimo-**

nii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit.

... interrogatoria ... proponenda: a iudice; quin ea corrigere valeat? Ita sane; nam cum legislator libertatem defensoris voluit coarctare, id expressit, ut in can. 1969, 1°, 4°. — **... iudici suggerere:** ita ut iudex teneatur eas proponere. — **... scribere,** etc.: ut possint a iudice tum primae tum ulterioris instantiae attente perpendi et ponderari. — **... et allegare:** perorando in discussione orali puncta maioris momenti. — Nihilominus putamus libertatem defensoris, quoad interrogatoria clausa et interrogationes adiungendas, non esse absolutam, sed iudicem posse et debere eam coarctare quoties manifeste laedat legem divinam aut ecclesiasticam, utputa si defensor proponat aut suggerat interrogationes prohibitas c. 1755, § 2, et c. 1757, § 3, 2°.

846. **Can. 1969.** — Q. *Iura defensoris quoad* 1) *acta invisenda et terminos efflagitandos;* 2) *cognitionem probationum et allegationum;* 3) *eosdem testes repetendos vel alios petendos, utrosve reprobandos;* 4) *alia acta conficienda.*

R. **Defensori vinculi ius esto:**

1° Semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos;

2° De omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit;

3° Petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere;

4° Exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissentiat.

... novasque animadversiones edere: putamus quod non modo in depositiones testium et modum examinis, verum etiam in eorum personas, non obstante praescripto c. 1783, 1°; quia ius, quod hic conceditur, expressum est generalissimis verbis, et insuper hoc exigit bonum publicum maximi momenti de quo agitur, et cuius intuitu ea iura defensori conceduntur. — **... alia acta:** v. g. novae peritiae aut inspectiones corporum, plures medicorum attestationes, nova inquisitio ex integro vel ex parte per iudicem instructorem magis idoneum, etc.

CAPUT III.

De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio capitis et sensus rubricae.* 847.

R. Cum ex causis matrimonialibus nonnullae intersint privatorum tantum, v. g. causae separationis coniugum et dispensationis super rato, aliae vero, fere omnes, boni publici, opus erat peculiaribus normis quibus utrique causarum generi consuleretur. Porro *accusare matrimonium* est causam coram competente iudice proponere ut *a*) matrimonium contrahendum *impediatur*, vel *b*) invalide contractum *declaretur nullum*, vel *c*) individuum vitae consortium *disiungatur*, sive quoad thorum tantum, sive quoad thorum et cohabitationem, vel *d*) consortium violente disruptum *redintegretur* per coniugis restitutionem. Postulare vero dispensationem *super rato* est causam coram S. C. de disciplina Sacramentorum proponere ut matrimonia valide contracta et non consummata *dissolvantur*.

Q. II. *Disciplina accusationis matrimonii ante Codicem.* 848.

R. Non paucis nec quoad res parvi momenti differebat ab ea inducta a Codice. Quod satis patebit transcribendo paragraphum 1 *Instructionis* S. C. S. Off., 20 Iun. 1883, quae ius vetus, licet summatim, refert.

« *Ut* in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit, quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis quae communi iure habiles ad accusandum habeantur; etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt eisdem sanguine propinqui vel etiam quilibet de populo. Ac tandem *ex officio* etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama, fundamentum veritatis praeseferens, de alicuius impedimenti exsistentia divulgata sit ».

Expositio textus.

849. **Can. 1970.** — Q. *An et qualis accusatio aut petitio sit necessaria ut tribunal possit cognoscere causas matrimoniales.*

R. **Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio praecesserit.**

... **collegiale**: cui soli competit iudicare de causis circa vinculum matrimonii (cc. 1576, 1596, 1962). — ... **regularis**: idest facta a personis habilibus iuxta tres seq. canones. — ... **accusatio**: si agatur de declaratione nullitatis. — ... **petitio**: si agatur de dissolutione vinculi ad normam c. 1962, v. **causas dispensationis.**

Sensus huius canonis, est, ni fallimur, quod tribunal collegiale licet in eo posset unus ex iudicibus gerere vices actoris et hoc modo inducere diversitatem *realem physicam* inter personas iudicis, actoris et rei, nihilominus nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest hac methodo, sed requiritur ut **regularis accusatio,** id est, facta a persona *diversa* a singulis iudicibus, **vel iure facta petitio praecesserit.** Quod accusatio, ut posthac sit *regularis*, debet fieri a *persona physica diversa* ab ea quae definitioni causae suffragabitur ut iudex, patet ex c. sequenti, qui est complementum et veluti evolutio praecedentis. — Porro huiusmodi praescriptum circa diversitatem physicam inter accusatorem et iudicem tenet a fortiori tribunal unipersonale seu iudicem unicum; non enim est ratio cur huic concedatur quod denegatur illi, et saltem de causis agitandis coram iudice unico loquitur seq. can. 1971, § 1, 2°, quo actio reservatur promotori iustitiae. Quapropter processus iudicialis *pure inquisitivus* dicendus est suppressus in causis matrimonialibus, ad eum modum quo in criminalibus. Quod confirmatur, inquam, etiam canone sequenti, qui videtur exaratus ex professo ad determinandos modos regulares ex novo iure ad introducendas has causas, inter quos ponitur actio per promotorem iustitiae et non recensetur inquisitio *ex mero officio*, quam ius antiquum implicite recensebat eo ipso quod actionem non reservabat promotori, ut vidimus in § 1 citatae Instructionis. Excipitur tamen casus de quo in c. 1990.

Can. 1971. — Q. *Quinam* 1) *sunt habiles ad matrimonium accusandum;* 2) *habent tantummodo ius ad denuntiandum nullitatem.* 850.

R. I. ex § 1. **Habiles ad accusandum sunt:**

1° Coniuges, in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa;

2° Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis.

...in omnibus causis separationis: videlicet; *a*) si petitur separatio thori, mensae et habitationis ex iustis causis indicatis can. 1129, 1130; *b*) si denuntiatur separatio iniusta, seu contra praescripta iuris, praecipue c. 1131, et petitur restitutio coniugalis consortii (c. 1699, § 3). — **...et nullitatis:** ex quocunque capite proveniat. — **...nisi ipsi:** id est, ille coniux qui causam proponit. — **... impedimenti:** quod quidem verbum heic significat non praecise aliquod ex impedimentis matrimonii, sed quemlibet actum vel quamvis rem quae impediverint *a*) coniugale consortium, sive praebendo iustam causam ut illius dissolutio petatur sive illud propria auctoritate dissolvendo; vel *b*) validitatem contractus matrimonialis, v. g. ingerendo errorem substantialem (c. 1083), incutiendo vim aut metum (c. 1087), celando impedimentum dirimens aut defectum conditionis appositae, servando celebrationis formam quam sciebat vitiare matrimonium (c. 1094, sq.). — **...causa:** ni fallor libera, nam amissio iuris accusandi imponitur hic in poenam, quae non infligitur nisi doloso aut culpabili.

...in impedimentis: quo nomine veniunt hic, ni fallor, non modo *impedimenta* proprie talia de quibus in can. 1067-1080, sed etiam *defectus* conditionum iure sive naturali (can. 1081), sive ecclesiastico (c. 1094), requisitarum. — **...natura sua publicis:** idest, natura sua *manifestis*, attenta indole *facti*, v. g. prioris matrimonii, infidelitatis seu defectus baptismi, professionis sollemnis, etc., cui impedimenta *ligaminis*, *disparitatis cultus*, *voti sollemnis*, etc. innituntur; quae omnia facta sunt ex se publica seu *manifesta*. Quid vero si impedimentum sit natura sua seu regulariter *occultum*, veluti impedimenta *impotentiae*, *vis* aut *metus*, sed ratione circumstantiae accidentalis deveniat *publicum* eo sensu quod in foro externo possit probari (c. 1037), simulque eo sensu quod intersit *boni publici*, quia divulgari coepit cum scandalo, certe nato aut natura sua seu necessario attentis circumstantiis orituro, et proinde cum praeiudicio boni publici ecclesiastici? Uno verbo, potestne dici

impedimentum natura sua publicum illud quod potest probari in foro externo et cuius divulgatio est certa aut natura sua seu regulariter certo oritura cum scandalo? Remur posse interpretari etiam in hoc sensu verbum *publicis* (1), et proinde debere, indole rei de qua agitur exigente ut promotori, veluti ante Codicem Ordinario, recognoscantur ius et officium accusandi in illis casibus. Et videtur non deesse responsa authentica ad casus particulares in hoc sensu.

R. II. ex § 2. **Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent ius matrimonia accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi.**

Quod ius potest devenire et frequenter devenit gravis obligatio ex bono iustitiae publico, aut ex bono privato sive fraternae caritatis per denuntiationem promovendo. Porro, si cuilibet fideli competit ius, saepe vero, scilicet cum probationes possit suppeditare, incumbit obligatio denuntiandi, certe promotori sunt ius et obligatio recipiendi denuntiationem, et, a pari, utendi fama, indiciis, etc., de exsistentia alicuius impedimenti, eaque Ordinario exhibere ut *inquisitionem* instituat si argumenta reputet sufficientia, illaque expleta, *accusationem* promotori iniungat.

851. **Can. 1972.** — Q. *Utrum et quando matrimonium, quod, utroque coniuge vivente non fuit accusatum, possit post eorum mortem accusari.*

R. **Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio.**

...non admittatur probatio: quia morte cessavit periculum peccati, propter quod vitandum aderant ius aut officium accusandi nullitatem matrimonii casu quo coniuges noluissent vel non valuissent dispensationem obtinere aut nullitatem sanare. — **...incidenter:** videlicet, iuxta dicta in **n. 577,** occasione quaestionis tribunali propositae *principaliter* circa aliam rem, v. g. circa delictum adulterii, vel circa matrimonii effectus, sive religiosos, veluti ius patronatus, sive civiles, uti ius ad hereditatem, etc.

(1) Cfr. Wernz, *Ius Decretal.*, tom. IV, n. 538; Gasparri, *l. c.*, n. 1121.

Can. 1973. — Q. *Cuinam competit ius petendi dispensationem super rato.* 852.

R. **Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.**

Et planum est, quia mensura actionis est *quanti interest* alicuius; iam vero solis coniugibus *prodest* quod matrimonium ratum dissolvatur, nemini autem, nec bono publico, *nocet* quod non dissolvatur.

CAPUT IV.

De probationibus.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio et divisio capitis.* 853.

R. Equidem media probandi in causis matrimonialibus sunt eadem ac in aliis, sed non omnia habent eundem valorem; unde non immerito sub hoc aspectu dici potest quod nonnulla sunt diversa. Utputa, in aliis causis confessio partis nihil valet pro ea (c. 1750); in matrimonialibus vero non omnino ita, saltem quando roboratur testimonio *septimae manus;* in illis testes parti propinqui arcentur a testificando (c. 1757, § 3, 3°), in istis habentur testes habiles; ibi testes deponant oportet de *scientia propria* (c. 1791, § 2), hic admittuntur, imo quaeruntur testes *de credulitate*, quales sunt testes septimae manus. Haec omnia sufficienter demonstrant necessitatem regularum peculiarium quae in h. c. statuuntur. Et quia regulae speciales respiciunt *testes* et *peritos*, inde divisio capitis in duos articulos.

Art. I. — De testibus.

Expositio textus.

Can. 1974. — Q. *An et cur consanguinei et affines coniugis sint testes habiles.* 854.

R. **Consanguinei et affines de quibus in can. 1757, § 3, n. 3, habentur testes habiles in causis suorum propinquorum.**

... **habentur testes habiles**: seu idonei: et proinde non solum audiri poterunt et quidem **tantummodo ut indicium et probationis adminiculum** praebeant, ut in aliis causis, iuxta

c. 1758, sed induci debent ut *fidem faciant* ad normam c. 1791. Triplex ratio afferri potest, videlicet; quia *a*) illi semper longe melius quam alii, saepe vero illi soli et non alii cognoscunt facta de quibus in causis matrimonialibus disceptatur; *b*) non est irrationabile confidere quod in re spirituali et adeo gravi timebunt peccare in animam suam; *c*) cum attestatio quae forte cedit, licet indirecte, in favorem alicuius ex testibus, cedat regulariter in praeiudicium alterius testis, non omnes uno ore loquentur, unde fit ut et ipsi a mentiendo caveant, et iudex in comperienda rei veritate iuvetur.

Can. 1975. — *De usu probationis per testimonium septimae manus.*

855. Q. I. *Testimonium septimae manus, a) in quibus causis et quando adhiberi debet; b) ex quibus testibus constat et a quonam inductis; c) circa quid versari debeat et an sub iuramento.*

R. ex § 1. **In causis impotentiae vel inconsummationis, nisi de impotentia vel inconsummatione aliunde certo constet, debet uterque coniux testes, qui septimae manus audiunt, inducere, sanguine aut affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam; quibus iudex, ad normam can. 1759, § 3, alios testes potest ex officio adiungere.**

... **impotentiae**: sive *absolutae* sive *relativae*, dummodo perpetuae. — ... **inconsummationis**: quaecunque ratio inconsummationis afferatur. — ... **nisi ... aliunde certo constet**: quae verba ostendunt hanc probationem dictam *septimae manus*, esse tantummodo suppletoriam. — ... **debet uterque coniux**: quibus verbis ut patet, non facultas datur sed obligatio imponitur, cui si quis ex coniugibus non satisfacit amittit ius ut de se aliquid asserens credatur. — ... **testes**: sive viros, sive mulieres, dummodo non sint incapaces (c. 1757, § 3) aut rationabiliter suspecti (ibid., § 2). — ... **septimae manus**: ita sunt dicti huiusmodi testes, quia antiquitus solebant esse septem. — ... **coniunctos**: quia melius quam alii, aut soli prae aliis rem norunt, et in his causis non sunt necessario suspecti. — ... **de re** (edoctos): id est, de actu, omissione, qualitate, vitio, etc., coniugis a quo vel pro quo inducuntur. — ... **de ipsorum coniugum probitate et praesertim de veracitate circa rem**: quae verba exprimunt *obiectum* attestationis horum testium. — ... **po-**

test ex officio: id est, proponente defensore vinculi, ut innuit c. 1969, 4°, vel etiam *ex mero officio*, aut sua sponte.

Q. II. *Testimonium septimae manus quale argumentum sit et* 856.
cuius roboris.

R. ex § 2. **Testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis quod robur addit depositionibus coniugum; sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur.**

... argumentum credibilitatis: non *scientiae*, quia testantur quod *credunt* coniugem esse probum et dicere veritatem in ea re, non quod *sciunt* rem ita esse ut coniux asserit. — **... quod robur addit depositionibus coniugum**: ergo istorum depositiones seu confessiones habent ex se aliquod robur, etsi eisdem favorabiles, contra regulam generalem c. 1750. — **... sed ... fulciatur**: quibus verbis ostenditur quod confessio coniugis, sibi favorabilis, licet roborata *septima manu*, **vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur**: ut si, v. g., relatio peritorum non sit plane adversa, aut alter litigans sit minus honestus, vel in suis confessionibus inventus fuerit parum sibi constans, aut eiusdem testes *septimae manus* minorem fidem mereantur, etc.

Art. II. — De inspectione corporali.

Expositio textus.

Can. 1976. — Q. *In quibus causis matrimonialibus, an sem-* 857.
per, et a quibus facienda requiratur inspectio corporis.

R. **In causis impotentiae aut inconsummationis requiritur inspectio corporis utriusque vel alterutrius coniugis per peritos facienda, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat.**

Igitur inspectio est necessaria seu obligatoria ex regula generali; excipitur tantum si ex adiunctis inutilis *evidenter* appareat: utputa si omnino certo constet virum esse impotentem, inutilis evadit inspectio corporis mulieris.

Can. 1977. — Q. *Normae servandae in electione peritorum.* 858.

R. **In peritis eligendis, praeter normas in c. 1792-1805 datas, serventur praescripta canonum qui sequuntur.**

859. **Can. 1978.** — Q. *Utrum possint tanquam periti admitti, aut tanquam testes induci illi qui privatim coniuges inspexerint.*

R. Negative ad primum, *affirmative* ad secundum, ex h. c. **Ad periti munus ne admittantur qui coniuges privatim inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis; licet tamen hos tanquam testes inducere.**

... **ne admittantur**: quia praesumuntur inclinati ad proferendam eandem sententiam quam prius dederint. — ... **privatim** (inspexerint): sive ante sive post litem. — ... **circa factum cui innititur petitio**: minime vero reiiciuntur si corpus inspexerint aegritudinis comperiendae et curandae causa, licet forte occasione huius inspectionis noverint factum cui innititur petitio declarationis nullitatis. — ... **testes**: sive communes, sive credulitatis vel septimae manus.

Potest dari huic canoni alia interpretatio videlicet: — ... **ne admittantur**: quia praesumuntur bene affecti erga personam inspectam. — ... **inspexerint**: habitualiter, aut una quidem alterave vice, sed tanquam medici sive familiae personae inspectae, sive a curatione, idest qui personam vel semel inspexerint **circa factum cui innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis.** Huic interpretationi dicuntur favere responsa particularia authentice emanata; neque ab ea putamus esse recedendum in praxi, nisi alii periti desint.

860. **Can. 1979.** — Q. *Pro inspectione* 1) *virì, quotnam periti deputari debent et a quo;* 2) *mulieris, quot, quales, et a quo debent designari;* 3) *corporali mulieris, quaenam regulae sunt servandae.*

R. I. ex § 1. **Ad inspiciendum virum, duo periti medici ex officio deputari debent.**

R. II. ex § 2. **Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant, ex officio designentur; nisi maluerit mulier a duobus medicis ex officio pariter designandis inspici vel id Ordinarius necessarium habuerit.**

... **legitimum peritiae testimonium**: quod, nimirum, publica auctoritate civili, confertur.

R. III. ex § 3. **Corporalis mulieris inspectio fieri debet, servatis plene christianae modestiae regulis et adstante semper honesta matrona ex officio designanda.**

Can. 1980. — Q. *Quoad inspectionem mulieris* 1) *utrum* 861.
singuli periti debeant eam exsequi seorsim; 2) *an singuli periti debeant singulas relationes conficere et quo tempore;* 3) *an et quando relationes factae ab obstetricibus subiici possint examini alicuius medici.*

R. I. ex § 1. **Mulieris inspectionem obstetrices vel periti, seorsum singuli, exsequi debent.**

R. II. ex § 2. **Singuli medici vel obstetrices singulas relationes conficiant, intra terminum a iudice praefinitum tradendas.**

R. III. ex § 3. **Potest iudex relationes ab obstetricibus confectas examini alicuius periti medici subiicere, si id opportunum existimaverit.**

Can. 1981. — Q. *Quinam super peracta relatione interrogari* 862.
debeant, et qualiter, a quo, iuxta quos articulos, et sub qua obligatione.

R. **Peracta relatione, periti, obstetrices ac matrona, seorsum singuli, a iudice interrogentur, secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos quibus ipsi, praestito iuramento, respondeant.**

Can. 1982. — Q. *Utrum in causis defectus consensus ob* 863.
amentiam requirantur medici, a) qua periti, et tunc a quo deputati et ad quid examinandum; b) qua testes.

R. **Etiam in causis defectus consensus ob amentiam, requiratur suffragium peritorum, qui infirmum, si casus ferat, eiusve acta quae amentiae suspicionem ingerunt, examinent secundum artis praecepta; insuper uti testes audiri debent periti qui infirmum antea visitaverint.**

... **requiratur:** non semper ex necessitate. — ... **suffragium peritorum:** quos iudex ex officio designabit, audito vinculi defensore, iuxta c. 1793, § 2: **si casus ferat:** quae verba, cum multiplices sint species, gradus et manifestationes amentiae, et in pluribus examen sit impossibile aut fere inutile, valde late patent; proptereaque obligatio imposita verbo **requiratur** non urget eadem vi ac illa quae imponitur pro casibus impotentiae vel inconsummationis, ut videre est in sententia Tribunalis S. R. Rotae, *Quebecen.; nullitatis matrimonii*, n. 23 Decembris 1918 (1). — ... **audiri debent:** dum pro aliis causis **licet**

(1) *Acta Ap. Sedis*, 2 Aug. 1920, vol. XII, n. 8, p. 338.

tantum (cf. c. 1978). Et ratio esse videtur, quia in causis amentiae *examen per peritos* est saepissime impossibile aut inutile ob *indolem* aegritudinis aut ob *malitiam* putativi aegroti; ex adverso *depositio medicorum qua testium* est aestimabilis valde.

CAPUT V.

De publicatione processus, conclusione in causa et sententia.

Expositio textus.

Can. 1983. — Q. *An et quomodo, publicato processu, fas sit* 1) *novos testes inducere;* 2) *testes iam excussos denuo audire.*

864. *R.* I. ex § 1. **Publicato processu fas adhuc est partibus novos testes, ad normam tamen can. 1786, super diversis articulis inducere.**

Publicato processu: cf. can. 1859 — **... ad normam tamen can. 1786:** id est, *a*) **caute et ex gravi ratione** si agatur de causa circa vinculum matrimonii, in qua quia nunquam transit in rem iudicatam sufficit ratio simpliciter gravis; *b*) **ex gravissima ratione in ceteris;** *c*) **in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto;** *d*) **altera parte audita;** *e*) **requisito voto promotoris iustitiae, vel,** in causis de quibus in c. 1967, **defensoris vinculi;** *f*) ita tamen ut haec **omnia iudex decreto suo definiat** expresse peragenda. — **... super diversis articulis:** seu novis, ut loquitur ius vetus (c. 17, X, *De test. et attest.*, II, 20) idest, qui sint distincti ab illis super quibus aliqui testes iam fuerunt interrogati, et qui a parte proponi solent (et possunt etiam iure novo, vi canonis 1786 eos permittentis a fortiori) maxime cum viderit testes super iisdem articulis non admitti (Cf. **n. 500** et Lega, *De Iudic.* I, n. 484, in fine).

865. *R.* II. ex § 2. **Si vero testes iam excussi super iisdem articulis antea propositis denuo audiendi sint, servetur praescriptum can. 1781, integro iure defensoris vinculi opportunas proponendi exceptiones.**

... servetur praescriptum can. 1781: quod haec duo continet, nimirum, ut *a*) testes audiantur **antequam acta** (id est publicatio processus ad normam c. 1859) **seu testificationes** (id est evulgatio testimoniorum ad normam can. 1782) **publici iuris fiant;** *b*) **omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.** — **... proponendi exceptiones:** sive contra necessitatem aut oppor-

tunitatem audiendi eos, sive contra eorum testificationes, sive contra personas eorum si aliquid novi emerserit.

Can. 1984. — Q. *Quoad perorationes defensoris vinculi,* 1) *quo ordine est audiendus;* 2) *qualiter ante sententiam interrogandus;* 3) *quid si ante praefinitum diem nihil deduxerit.* 866.

R. I. ex § 1. **Defensor vinculi ius habet ut in allegando, petendo et respondendo, tam in scriptis quam in defensione orali, audiatur postremus.**

...**ius habet**: cui renuntiare potest sive expresse sive implicite aut tacite, non autem pro suo lubitu, sed tunc solummodo cum censuerit renuntiationem non nocere bono publico, quod ille tuetur.

R. II. ex § 2. **Quare tribunal ad definitivam sententiam ne deveniat, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse.**

R. III. ex § 3. **Si vero ante praefinitum a iudice iudicii diem defensor nihil deduxerit, praesumitur eum nihil iam deducendum habere.**

Can. 1985. — Q. *In causis spectantibus dispensationem matrimonii rati et non consummati, a) quousque se extendit competentia iudicis instructoris; b) cuinam et quomodo debet transmittere acta.* 867.

R. **In causis quae spectant ad dispensationem matrimonii rati et non consummati, iudex instructor neque ad publicationem processus neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat, sed omnia acta una cum voto scripto Episcopi et defensoris vinculi transmittat ad Sedem Apostolicam.**

...**cum voto scripto Episcopi**: non Vicarii Generalis, nec, multo minus Officialis, etsi unus ex eis iudicem instructorem forte egerit; etenim canon non dicit *cum voto ipsius*, nempe iudicis instructoris, sed cum voto *scripto Episcopi*, sive hic fuerit instructor processus sive non.

CAPUT VI.

De appellationibus.

Expositio textus.

868. **Can. 1986.** — Q. *Utrum defensor vinculi a) a prima sententia contra validitatem teneatur appellare, et intra quod tempus, et ad quem; et b) debeat ad appellandum compelli, et a quo.*

R. **A prima sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, vinculi defensor, intra legitimum tempus, ad superius tribunal provocare debet; et si negligat officium suum implere, compellatur auctoritate iudicis.**

... intra legitimum tempus: id est, intra *decem dies*, ad normam can. 1881. — **... ad superius tribunal:** immediatum, ad normam can. 1594, § 1, 2, 3; salvo praescripto canonis 1599, § 1, 1°, vi cuius S. R. Rota concurrit in secunda instantia cum **quorumvis Ordinariorum tribunalibus.** — **... compellatur:** utique per poenas ecclesiasticas. — **... auctoritate iudicis:** cui proinde potestas aliqua poenalis confertur pro hoc casu. (Cf. comm. ad c. 1626, **n. 219**).

869. **Can. 1987.** — Q. *Quo in casu, et intra quod tempus ius coniugibus est, post secundam sententiam contra validitatem matrimonii, novas nuptias contrahendi?*

R. **Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi.**

... defensor vinculi in gradu appellationis: id est, defensor constitutus ab Ordinario tribunalis superioris ad quod causa delata est in appellatione. — **... pro sua conscientia:** ergo appellare potest, imo tenetur si hoc credit necessarium, sed a nemine potest compelli ad appellandum.

870. **Can. 1988.** — Q. *Cautela ab Ordinario loci servanda quoad regesta parochialia, decreta matrimonii nullitate.*

R. **Decreta matrimonii nullitate, Ordinarius loci curare**

debet, ut de ea mentio fiat in baptismorum et matrimoniorum regestis, ubi matrimonii celebratio consignata invenitur.

... **Ordinarius loci**: etiam Vicarius Generalis, opportune a iudice edoctus de sententia pronuntiata.

Can. 1989. — Q. *Utrum, quare et in quibus casibus revocari possint sententiae in causis matrimonialibus.* 871.

R. **Cum sententiae in causis matrimonialibus nunquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae, si nova argumenta praesto sint, retractari semper poterunt, firmo praescripto can. 1903.**

... **nunquam transeant in rem iudicatam**: quippe respiciunt *statum personarum*, circa quem error, si irrepserit etiam in iudicio, corrigendus est, interest enim boni publici. — ... **nova argumenta**: non antiqua, sub specie quod non fuerint rite exhibita aut examinata. — ... **praesto sint**: id est, omnino parata. — ... **retractari ... poterunt**: praevio formali iudicio, et planum est: quod insuper confirmatur verbis sequentibus: **firmo praescripto can. 1903**: nimirum, quod post duplicem sententiam conformem causa non admittitur iudicanda **nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis.**

CAPUT VII.

De casibus exceptis a regulis hucusque traditis.

Expositio rubricae.

Q. I. *Ratio et materia huius capitis.* 872.

R. I. Cum pro causis matrimonialibus circa vinculum legislator regulas peculiares et quidem rigidiores tradiderit, quae sunt omnino necessariae regulariter, minime vero in aliquibus casibus merito excipiendis, in quibus proinde, si observari deberent, tempus inutiliter tereretur et expensae fierent sine causa; quos tamen arbitrio iudicis relinquere periculosum esset in re adeo gravi; voluit eosdem taxative determinare, et regulas in illis servandas expresse praescribere.

R. II. Agitur de casibus in quibus versatur quaestio potius *iuris* quam *facti* (1), et proinde non sunt necessariae cautelae const. Benedictina inductae.

(1) D'Annibale, *Sum. Theol. Mor.*, III, n. 481.

Expositio textus.

873. **Can. 1990.** — Q. *Quinam casus, et quibus muniti conditionibus, excipiuntur a regulis circa causas matrimoniales, et ad quas normas nullitatem tunc declarabit Ordinarius?*

R. **Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de exsistentia impedimenti disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis, simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus hucusque recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus, matrimonii nullitatem declarare, cum interventu tamen defensoris vinculi.**

... **certo**: id est, de cuius exsistentia, veracitate et sensu nullum sit rationabile dubium.

Porro adesse potest dubium de veracitate et sensu, licet forte constet de authenticitate, si, v. g. documentum *attestationis collati baptismi* subscriptum sit a parocho qui eum contulit et de quo constat quod *paulo post collationem* erat secreto adscriptus (nescitur a quo tempore) sectae christianae in qua ritus baptismi est non catholicus aut dubius. Hoc criterio adhibito, et non immerito si quid sapimus, respondimus practicae quaestioni nobis ab auctoritate ecclesiastica propositae dum munere fungeremur Rectoris Universitatis Manilae in Insulis Philippinis: quaerebatur utrum esset iterandus (sub conditione saltem) baptismus collatus a Sacerdote qui *paulo post* cognitus fuit uti *aglipayanus*.

... **authentico**: sive *originali*, cuius genuinitas sit indubia, sive *exemplari*, de cuius fideli exscriptione constet ex subscriptione publicae personae. — ... **documento**: *stricte* tali, nimirum, probatione scripta, non documento aut instrumento *large sumpto* pro quolibet medio legitimo probationis. -- ... **obnoxium sit**: natura sua, seu attentis subscriptionibus, sigillis ceterisque signis authenticitatis quae iudicio Ordinarii cum voto defensoris reddant illud omni exceptione rationabili superius, licet *de facto* impugnetur manifeste irrationabiliter ab altera parte.

Quaeritur autem utrum ab Ordinario reputandum sit uti certum, authenticum et nulli contradictioni obnoxium illud documentum quod natura sua, sensu nunc explicato, sit dubium, sed declaratum fuerit authenticum et certum ab aliqua publica

auctoritate, aut ab aliquo tribunali. Arbitramur respondendum esse *affirmative* si declaratio facta fuit *a*) a iudice ecclesiastico, *b*) duplici sententia, *c*) ad normas trium canonum huius capitis, et proinde cum interventu defensoris vinculi in utraque instantia; alias *negative*, nam Ordinarius et defensor vinculi possunt et debent applicare illam regulam iuris: *res inter alios acta aliis nocere non potest.*

. . . **disparitatis cultus** . . . **cognationis spiritualis**: ut patet, legislator exceptiones a regula generali coarctat ad impedimenta de quibus constat ex documentis regulariter non obnoxiis contradictioni. — . . . **pari certitudine**: videlicet hausta ex certo et authentico documento quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit. — . . . **Ordinarius**: per se vel per Officialem, non autem Vicarius Generalis, nam versamur in re iudiciali, ut statim dicetur.

. . . **praetermissis sollemnitatibus hucusque recensitis**: tanquam peculiaribus iudicii in causis matrimonialibus super vinculo, videlicet: constitutione tribunalis collegialis (c. 1576, § 1, 1°); regulari accusatione (c. 1970) promotoris vel coniugum (c. 1971); probationibus per confessionem partium, per depositiones testium vel per alia media praeter *documentum;* publicatione processus; appellatione *necessaria* per defensorem (c. 1986): attamen non omnibus sollemnitatibus omissis, nam legislator excipit sequentes: interventum iudicis (*v.* **Ordinarius**, h. c.), auditionem litigantium (*v.* **citatis partibus,** h. c.), interventum defensoris (*v.* **cum interventu,** h. c.), sententiam (*v.* **sententia,** c. 1992), *appellationem* (*v.* **provocare... ad iudicem secundae instantiae,** c. 1991).

Ex quo quidem apparet processum matrimonialem in casibus exceptis hoc capite, licet *specialem*, imo *specialissimum*, habere omnia requisita ad iudicium, et proinde esse processum vere *iudicialem*, non *administrativum*. Quod evincitur praesertim ex verbo **sententia** (c. 1992), nam ex c. 1868, § 1: **Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, sententia est...** Insuper legislator *sententiam*, id est, actum iudicialem accurate in Codice distinguit ab actibus, declarationibus et decisionibus non iudicialibus ut videre est in cc. 1839, 1840, §§ 1, 3, 1957, 1958, 2225. Tandem idipsum confirmatur ex responso *Commissionis Pontificiae* pro authentica interpretatione Codicis ad sequens *quaesitum:* « Utrum Ordinarius, praetermissis iuris sollemnitatibus in Const. Ap. *Dei miseratione* requisitis (quae sunt eadem

a quibus dispensat canon 1990) matrimonium possit declarare nullum cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia, hisce in casibus, nempe:

1. Si duo catholici, in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, vel post Decretum *Ne temere*, matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et, obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium, vel novum matrimonium, civiliter initum, in foro ecclesiastico convalidare.

2. Aut catholica pars, quae cum acatholica, spretis Ecclesiae legibus, in templo sectae protestanticae (in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, et ubi Benedictina declaratio extensa non est, vel post Decretum *Ne temere*) matrimonium contraxit, obtento civili divortio, in facie Ecclesiae novum matrimonium cum catholico consorte inire vult.

3. Aut apostatae a fide catholica, qui in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, obtento civili divortio, poenitentes ad Ecclesiam redire et cum parte catholica alteras nuptias in Ecclesia celebrare desiderant ».

Et *Com. Pontif.*, die 16 Octobris 1919 respondit: « Casus supra memorati nullum iudicialem processum requirunt aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a Parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 et seqq. ».

Unde, a sensu contrario, eruitur, ni fallor, quod processus in quo non sufficit opera parochi, nec quidem Episcopi solius sine interventu defensoris vinculi (Officialis natura sua contentiosi et proinde iudiciarii), nec investigatio (idest cognitio et decisio) inauditis partibus, qualis est processus praescriptus pro casibus exceptis c. 1990, est processus iudicialis, non administrativus. Aliter sentiunt cl. Professores Sac. Doct. Prosdocimus Cerato (1) et Ioannes Chelodi (2), sed rationes sui dicti non afferunt.

... **nullitatem declarare**: per sententiam, quae quidem debet **continere rationes seu motiva tam in facto quam in iure,** iuxta can. 1873, § 1, 3°, ad hoc ut defensor habeat appellationis fundamenta. — ... **cum interventu**: et proinde *cum voto*, non autem *iuxta votum* defensoris vinculi.

(1) *Matrimonium a Codice I. C. integre desumptum*, n. 169. Edit. tertia.
(2) *Ius matrimoniale iuxta Codicem I. C.*, n. 180. Edit. altera.

Can. 1991. — Q. *Utrum et in quibus casibus teneatur* 874.
defensor appellare contra declarationem Ordinarii, et an et qua cautela sunt transmittenda acta ad iudicem secundae instantiae.

R. **Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit impedimenta de quibus in can. 1990 non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu excepto.**

... **tenetur** (defensor vinculi): *partes* autem *possunt*, nam ex c. 1879 habet usque ius appellandi **pars quae aliqua sententia se gravatam putat...**; et in genere, non potest denegari uni ex litigantibus quod conceditur alteri, in specie vero ius appellationis, si conceditur uni, intelligitur alteri concessum.

... **si prudenter ... intercessisse**: in quae verba notare iuvat quod ad hoc ut Ordinarius possit praetermittere sollemnitates requiritur ut sit certus tum *de exsistentia impedimenti* tum *de non exsistentia dispensationis;* sed quo defensor teneatur appellare sufficit ut prudenter, id est, probabiliter existimet impedimenta non esse certa, et probabiliter credat dispensationem exstitisse. — ... **ad iudicem**: id est, ad tribunal cui solet praeesse Officialis, et proinde ad Officialem regulariter. — ... **quique scripto monendus est agi de casu excepto**: ad hoc nempe ut vel ab initio processus sciat a sollemnitatibus ordinariis esse illi abstinendum; ut puta, a constitutione tribunalis collegialis (excepto, iuxta c. 1596, **si** forte **collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit**), ab exquirendis vel admittendis aliis probationibus praeter *unum* documentum.

Can. 1992. — Q. *Quid et quomodo decernet iudex appella-* 875.
tionis, et quid faciet si decreverit procedendum esse ad ordinarium tramitem?

R. **Iudex alterius instantiae, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet eodem modo de quo in can. 1990, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris, quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.**

... **eodem modo de quo in can. 1990**: id est, **praetermissis sollemnitatibus** solitis, sed **citatis partibus,** et **cum interventu tamen defensoris vinculi,** et *per sententiam*. Quod si in h. c. dicitur **cum solo interventu defensoris,** et **decernet,**

non intelligendum est excludi his verbis *citationem partium*, et *sententiam*, sed dumtaxat *sollemnitates* supprimendas vi canonis 1990. — . . . **ad ordinarium tramitem iuris:** iuxta quod constituendum est tribunal collegiale, praemitti debet regularis accusatio, admittendae et exquirendae sunt omnis generis probationes, etc. — . . . **ad tribunal:** trium iudicum (can. 1576, § 1, 1°). Et cum Ordinarius possit, si velit, praeesse, et agatur de revidenda in *forma pleniori* causa nullitatis ab eo cognita veluti *de plano et in forma minus plena*, abest omnino vel species iniuriae erga illum. — . . . **primae instantiae:** quod tamen vel Officialis vel Ordinarius ipse, si agatur de causa nullitatis ob impedimentum *disparitatis cultus*, debent eam remittere ad S. C. S. Officii; etenim **Ipsa sola cognoscit ea quae . . . circa . . . impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur** (c. 247, § 3), nisi **ex certo et authentico documento . . . constiterit de exsistentia impedimenti** (c. 1990), at casu quo iudex secundae instantiae non confirmaverit sententiam Ordinarii innixam authenticitati documenti, documentum non est amplius legaliter certum et authenticum.

TITULUS XXI.

De causis contra sacram ordinationem.

Expositio rubricae.

876. Q. I. *Ratio ordinis.*

R. Inter causas quarum cognitio requirit normas peculiares postremum locum tenent, non materiae dignitate sed usus frequentia, illae quae versantur contra sacram ordinationem.

877. Q. II. *Divisio seu species causarum contra sacram ordinationem.*

R. Huiusmodi causae sunt *triplicis generis*, ut innuit can. 1993. Etenim, *a*) in aliis impugnantur *obligationes* ex sacra ordinatione contractae; *b*) in aliis impugnatur ipsa sacrae ordinationis *validitas* ob defectum qui non sit sacri ritus; *c*) in aliis ordinatio impugnatur ob *defectum substantialem sacri ritus*.

Expositio textus.

Can. 1993. — *De foro vel auctoritate competente pro diversitate causarum, et de duplici forma processus.* 878.

Q. I. *Causae sacrae ordinationis*, 1) *coram quo proponendae prout impugnentur obligationes ex sacra ordinatione contractae, vel ipsa sacrae ordinationis validitas, vel tandem ordinatio ob defectum sacri ritus; et* 2) *quotuplex processus possit adhiberi et a quo determinetur.*

R. ex § 1. **In causis quibus impugnantur obligationes ex sacra ordinatione contractae vel ipsa sacrae ordinationis validitas, libellus mitti debet ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum vel, si ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad Sacram Congregationem S. Officii; et Sacra Congregatio definit utrum causa iudiciario ordine an disciplinae tramite sit pertractanda.**

.... **impugnantur**: vi actionis, aut saltem facultatis quae h. canone conceditur aut recognoscitur omnibus illis quibus ex naturali aequitate competit, scilicet, illis qui sacram ordinationem forte susceperint *a*) ante usum rationis (Const. Ben. XIV *Eo quamvis tempore*, 4 Maii 1745), vel *b*) coacti seu absque libero consensu. — ... **obligationes**: ut sunt observantia coelibatus, recitatio Divini Officii, delatio habitus clericalis, abstinentia ab oblectamentis clerico prohibitis, etc. — ... **vel ipsa sacrae ordinationis validitas**: eo quod defuerint *a*) in conferente *voluntas* aut *potestas ordinis*, vel *b*) in ordinato *capacitas*, quod non sit vir aut baptizatus, vel *consensus*, vel *c*) in collatione data *sacer ritus substantialis*, scilicet aut materia aut forma aut utrumque. — ... **defectum substantialem sacri ritus**: et quidem certo substantialem, id est qui afficit, *a*) *materiam* ordinis qui confertur, utputa si in collatione ordinis Subdiaconatus omissa fuerit traditio calicis vacui cum patena superposita, in collatione Presbyteratus non facta fuerit secunda manuum impositio, vel *b*) *formam*, id est, orationes seu verba materiae correspondentia. — ... **ad S. C. S. Officii**: quia materia et forma Sacramentorum pertinent ad fidem, non ad disciplinam. — ... **Sacra Congregatio**: cui libellus missus est, vel potius, mitti debuit. — ... **definit ... pertractanda**: quae verba ostendunt causas contra sacram ordinationem posse tractari vel iudicialiter vel extraiudicialiter prout S. C. definiet.

879. Q. II. *Quodnam tribunal cognoscit* 1) *et cuiusnam commissione, in prima instantia a) generaliter, b) si ordinatio impugnetur ob defectum sacri ritus;* 2) *in gradibus appellationis.*

R. ex § 2. **Si primum, Sacra Congregatio causam remittit ad tribunal dioecesis quae clerico propria fuit tempore sacrae ordinationis, vel, si sacra ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad tribunal dioecesis in qua ordinatio peracta fuit; pro gradibus vero appellationis standum praescripto can. 1594-1601.**

Si primum: id est, si S. Congregatio definivit causam **iudiciario ordine** esse pertractandam. — . . . **causam remittit:** non pro informatione, sed pro eiusdem iudiciali propositione, disceptatione et definitione; utique vi commissionis a iure seu h. canone praescriptae et a relativa Congregatione exsecutioni mandatae — . . . **ad tribunal:** trium iudicum si **de vinculo sacrae ordinationis** agatur (c. 1576, § 1, 1°).

880. Q. III. *Quis et quomodo dirimit quaestionem si disciplinari tramite pertractetur?*

R. ex § 3. **Si alterum, ipsamet Sacra Congregatio quaestionem dirimit, praevio processu informativo peracto a tribunali Curiae competentis.**

Si alterum: id est, si S. Congregatio definiverit causam esse pertractandam extraiudicialiter seu **disciplinae tramite.** — . . . **processu informativo:** qui complectitur quaestionis *a*) propositionem, *b*) determinationem, *c*) factorum investigationem, *d*) probationum excussionem; *e*) exceptionum examen; minime vero quaestionis resolutionem, nam haec S. Congregationi reservatur. — . . . **a tribunali:** quae verba innuunt, ni fallor, processum informativum peragendum esse ad instar instructionis processus iudicialis. — . . . **Curiae competentis:** quae talis sit iuxta regulas paragraphi praecedentis.

881. **Can. 1994.** — Q. *Quinam valet* 1) *accusare ordinationis validitatem;* 2) *petere nullitatem onerum ordinationi adnexorum.*

R. I. ex § 1. **Validitatem sacrae ordinationis accusare valet clericus peraeque ac Ordinarius cui clericus subsit vel in cuius dioecesi ordinatus sit.**

. . . **valet:** et debet: et Ordinarius quidem *absolute*, nam interest boni publici ut non credatur sacer minister qui non est; clericus vero *in hypothesi* quod non petat iterum ordinari. — . . . **cui clericus subsit:** ratione sive domicilii, sive beneficii, ni

fallor; interest enim Episcopi Ordinarii beneficii ut onera adimpleantur ab eo qui vere sit ordinatus seu clericus.

R. II. ex § 2. **Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere.**

Et planum est, cum mensura actionis sit *quantum* alicuius interest. Attamen, ex can. 1997, instituta actione, **clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus,** utique ab Ordinario iuxta c. parall. 1956.

Can. 1995. — Q. *Regulae servande in causis contra sacram ordinationem.* 882.

R. **Ea omnia, quae tum in Sectione Prima huius Partis, tum in peculiari titulo de processu in causis matrimonialibus sunt dicta, servari etiam debent, congrua congruis referendo, in causis contra sacram ordinationem.**

... **congrua congruis referendo** : sic, ex. gr., quoad testes servandae sunt regulae communes ex Sect. I, can. 1757, non eae peculiares pro causis matrimonialibus; quoad designationem peritorum, si opus sint, requiritur et sufficit votum defensoris vinculi sacrae ordinationis, etiam sine consensu partis, iuxta can. 1793, § 2, sed, ad normas can. 1978, ne admittantur qui clericum privatim inspexerint: ex parallelismo cum can. 1966 unicus sit inquisitor in processu informativo de quo in canone 1993, § 3.

Can. 1996. — Q. *Iura et officia defensoris vinculi sacrae ordinationis.* 883.

R. **Defensor vinculi sacrae ordinationis iisdem gaudet iuribus iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis.**

... **iuribus** : de quibus in can. 1969, 1983, § 2, 1984, § 1. — ... **officiis**: de quibus in can. 1968, 1986, 1991.

Can. 1997. — Q. *Utrum, quando et qualiter, instituta actione contra sacram ordinationem, clericus sit suspendendus.* 884.

R. **Quamvis actio instituta fuerit non super ipsamet sacrae ordinationis nullitate, sed super obligationibus tantum ex ipsa sacra ordinatione exsurgentibus, nihilominus clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus.**

Quamvis ... super obligationibus tantum : a fortiori si actio instituta fuerit **super ipsamet ordinationis nullitate.** —

. . . **ad cautelam**: ne exerceat potestatem ordinis quam forte non habet.

885. **Can. 1998.** — Q. *Quotnam sententiae requiruntur ad liberandum clericum ab obligationibus ex sacra ordinatione, et quaenam praescripta sunt servanda quoad appellationem in causis h. tituli.*

R. I ex § 1. **Ut clericus liber sit ab obligationibus quae a vinculo ordinationis manant, requiruntur duae sententiae conformes.**

R. II. ex § 2. **Quod ad appellationem attinet, in his causis serventur praescripta can. 1986-1989 de causis matrimonialibus.**

INDEX

PAG.

LECTORI BENEVOLO — *Operis occasio atque exponendi ratio* . . VII

LIBER QUARTUS — DE PROCESSIBUS

Expositio rubricae.

De processus natura, divisione, etc. 1

PARS PRIMA — DE IUDICIIS

Expositio rubricae.

De natura, divisione, etc. iudicii in genere. - Origo et evolutio historica iudiciorum ecclesiasticorum 3

TITULUS PRAELIMINARIS (addititius).

De Iudicio Ecclesiastico in genere, de iudiciaria Ecclesiae potestate, et de normis iudicialibus posthac utendis.

Expositio textus.

Can. 1552. - Iudicii ecclesiastici notio, obiectum in genere, et divisio ratione obiecti 16

Can. 1553. - De potestate Ecclesiae iudiciaria, et de istius et iudicii ecclesiastici obiecto in specie 19

Can. 1554. - Causae mixti fori, 1) quando permittuntur? 2) quandonam vero et sub quibus poenis vetantur deferri ad forum saeculare? 27

Can. 1555. - Normae iudiciariae Codicis I. Can., seu leges processuales Primae Partis Libri Quarti, 1) quaenam tribunalia non afficiant, et in quibus causis; 2) quaenam tribunalia respiciant et in quibus causis; 3) qualiter servandae sint in tribunalibus et causis pro dimissione religiosorum . . . . . —

SECTIO I. — DE IUDICIIS IN GENERE

Expositio rubricae.

PAG.

Distributio materiae h. Sectionis in Titulos iuxta quatuor elementa iudicii, idest, *subiectum activum* seu tribunal vel *Forum competens, subiectum passivum* seu *Partes in causa, obiectum* seu *Actiones et exceptiones*, et *formam* seu *Telam iudiciariam* . 31

TITULUS I. — **De foro competenti.**

Expositio rubricae.

De foro ac competentia in genere, et de modis sortiendi forum competens 32

Expositio textus.

Can. 1556. - De immunitate Romani Pontificis a quolibet foro . . 35
Can. 1557, 1558. - De personis et causis diversimode sortientibus forum Apostolicum, seu Supremum pro prima instantia . . 36
Can. 1559. - De modis seu titulis legitimis ad competens forum inferius sortiendum in prima instantia 38
Can. 1560. - De foro necessario 40
Can. 1561. - De foro ratione domicilii, vel quasi-domicilii . . 41
Can. 1562. - De foro ratione peregrinationis aut commorationis in Urbe 42
Can. 1563. - Ubinam forum habeant vagus et religiosus . . . 43
Can. 1564. - De foro rei sitae . . . . . —
Can. 1565. - De foro contractus 44
Can. 1566. - De foro delicti 46
Can. 1567. - De foro connexionis seu continentiae causarum . . 48
Can. 1568. - De concurrentia fororum, et de foro praeventionis . 49

TITULUS II.

De variis tribunalium gradibus et speciebus.

Expositio rubricae.

Notio *a*) tribunalis, *b*) specierum iuridicarum tribunalium, *c*) gradus tribunalis et gradus iudicii, *d*) mutuarum relationum inter tribunalia 50

CAPUT PRAELIMINARE (addititium).

De tribunalibus quae pro diversitate casuum adiri possunt aut debent, et de subsidio iuris sibi mutuo praestando.

Expositio textus.

PAG.
Can. 1569. - De tribunali primatiali S. Sedis fidelibus usque pervio 53
Can. 1570. - De diversis tribunalibus, pro varietate causarum, designatis ut adeundis, et de eorum mutuo iuris auxilio . . 54
Can. 1571. - Quandonam tribunal et qualiter excluditur a causa bis cognoscenda? 55

CAPUT I.

De tribunali ordinario primae instantiae.

Expositio rubricae.

Personae tribunal eccl. ordinarium constituentes, et earum diversitas ratione necessitatis 56

ART. I. — **De Iudice.**

Expositio rubricae.

Iudicis notio, qualitates essentiales. et duplex officium. nobile ac mercenarium 57

Expositio textus.

Can. 1572. - De iudice primae instantiae dioecesano 58
Can. 1573. - De officiali et vice-officialibus, iudicibus ordinariis auxiliaribus 59
Can. 1574. - De iudicibus synodalibus et pro-synodalibus, iudicis dioecesani auxiliaribus cum potestate delegata 62
Can. 1575. - De assessoribus seu consiliariis tribunalis unipersonalis . 64
Can. 1576. - De tribunalibus collegialibus, et de causis cognoscendis ab iisdem . . . . . —
Can. 1577. - Tribunali collegiali 1) quaenam imposita sit procedendi forma; et 2) quisnam praesit, et cum quibus iuribus . . 66
Can. 1578. - Utrum Episcopus possit tribunali praeesse, et an hoc expediat 68
Can. 1579. - De iudice 1ae instantiae pro religiosis . . . . . —

ART. II. — **De Auditoribus et Relatoribus.**

Expositio rubricae.

Auditorum et relatorum notio et qualitates in genere 69

Expositio textus.

PAG.

Can. 1580. - Quotnam, a quo et quomodo possint constitui Auditores 72
Can. 1581. - Quinam deligendi sunt Auditores pro tribunali tum dioecesano tum religiosorum . . . . . —
Can. 1582. - Auditorum officium ex Codice . . . . . —
Can. 1583. - A quo, quando, cur et qualiter possit Auditor removeri 75
Can. 1584. - De Relatore in tribunali collegiali . . . . . —

ART. III. — **De Notario, Promotore iustitiae, vinculi Defensore.**

Expositio rubricae.

Notio, origo, etc., Notarii, Promotoris iustitiae et Defensoris vinculi 76

Expositio textus.

Can. 1585. - De Notarii necessitate, officio et assumptione in iudiciis 80
Can. 1586. - Promotor iustitiae et Defensor vinculi 1) in quibus tribunalibus constituendi sint; et 2) pro quibus causis . . 81
Can. 1587. - Qualiter opus sit 1) Promotoris et Defensoris citatio; qualiter vero 2) eorum interventus 82
Can. 1588. - Promotor et Defensor, 1) utrum debeant esse personae distinctae; et 2) constitui debeant stabiliter . . . . —
Can. 1589. - Quisnam Promotorem ac Defensorem eliget; et quales in tribunali 1) communi; 2) religiosorum 83
Can. 1590. - De Promotoris et Defensoris cessatione, remotione aut confirmatione . . . . . —

ART. IV. — **De Cursoribus et Apparitoribus.**

Expositio rubricae.

Cursorum et Apparitorum notio, denominationes, etc. 84

Expositio textus.

Can. 1591. - Cursores et Apparitores, 1) ad quid constitui debeant; et 2) an separatim inter se 85
Can. 1592. - Quales debeant esse Cursores, et qualiter nominandi . 86
Can. 1593. - Quaenam Cursorum fides et circa quae . . . . —

CAPUT II.

De tribunali ordinario secundae instantiae.

Expositio rubricae.

Appellatio 1) quid sit; 2) qua in re competat; 3) quaenam fuerit sua evolutio historica quoad ordinationem tribunalium, etc. remissive ad **n. 638,** pag. 418 87

Expositio textus.

PAG.

Can. 1594. - De diversis tribunalibus appellationum a tribunalibus ordinariis primae instantiae 87
Can. 1595. - Tribunal appellationis quomodo debeat 1) constitui, et 2) regi 88
Can. 1596. - An et quaenam causae cognosci debeant aut possint collegialiter in secunda instantia 89

CAPUT III.

De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus.

Expositio rubricae.

Quid venit hic nomine ordinariorum . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1597. - Quisnam in Ecclesia ius dicit in ultima instantia, respectu quorum, et, in via ordinaria, quot modis . . . . . —

Art. I. — De Sacra Romana Rota.

Expositio rubricae.

De Sacra Romana Rota veteri 90

Expositio textus.

Can. 1598. - De constitutione et modo procedendi Tribunalis S. R. R. 96
Can. 1599. - De competentia S. R. Rotae 99
Can. 1600. - De incompetentia S. Rotae quoad causas . . . 100
Can. 1601. - De incompetentia S. Rotae quoad decreta . . . —

Art. II. — De Signatura Apostolica.

Expositio rubricae.

De Signatura Apostolica veteri 101

Expositio textus.

Can. 1602. - Signaturae Apostolicae praesens constitutio, quae? . 103
Can. 1603. - De competentia Signaturae Apostolicae 104
Can. 1604. - Quinam sit ambitus competentiae Signaturae Apostolicae circa suum obiectum 105
Can. 1605. - Modus 1) formandi sententiam, et 2) procedendi . . 107

CAPUT IV. — De tribunali delegato.

Expositio rubricae.

De tribunali delegato in genere 108

Expositio textus.

PAG.
Can. 1606. - Normae pro tribunalibus delegatis 109
Can. 1607. - De constitutione tribunalium delegatorum, et de eorum ministris 112

TITULUS III. — **De disciplina in tribunalibus servanda.**

Expositio rubricae.

Disciplina heic quid sit, et quaenam importet 114

CAPUT I. — **De officio iudicum et tribunalis ministrorum.**

Expositio rubricae.

Officium in hoc loco, quid? . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1608 et 1609. - De iudicis officiis ante iudicium . . . 115
Can. 1610. - De iudicis obligatione, cognoscendi de propria competentia 116
Can. 1611. - Quodnam sit officium iudicis qui se agnoverit incompetentem 117
Can. 1612. - Quomodo dirimuntur conflictus competentiae? . . —
Can. 1613. - De inhibitione: an et quandonam sibi facienda a iudice, promotore iustitiae et defensore vinculi 118
Can. 1614. - Recusationes, seu exceptiones suspicionis, a quo cognoscendae? 119
Can. 1615. - Quid, et a quo mutari debeat in tribunalibus, declarata aliqua suspicione 121
Can. 1616. - Exceptio suspicionis quomodo definienda . . . 122
Can. 1617. - Quandonam exceptiones suspicionis et incompetentiae proponendae sint . . . . . —
Can. 1618. - Qualiter debeat iudex officium suum impertire vel quandonam procedere debeat ad instantiam, quando vero ex officio —
Can. 1619. - Quando iudici non liceat, quando autem ipsi incumbat aliquid circa factum supplere 123
Can. 1620. - De definitione causarum properanda 124
Can. 1621. - De iureiurando a iudicibus et tribunalium ministris praestando circa eorum officium 125
Can. 1622. - De ritu et aliis servandis in praestatione iusiurandi in tribunalibus 127
Can. 1623. - De secreto ex obligatione servando, aut sub fide iusiurandi imponendo . . . . . —
Can. 1624. - De iudiciorum gratuitate, et a muneribus immunitate . 128
Can. 1625. - De sanctionibus contra iudices, et tribunalium officiales ac ministros 130
Can. 1626. - Cautiones pro ecclesiasticae sententiae observantia: quis, quando, quomodo et quasnam imponere potest . . . 131

CAPUT II. — **De ordine cognitionum.**

Expositio rubricae.

PAG.
Cognitio et ordo cognitionum quid et quotuplicis generis? . . 133

Expositio textus.

Can. 1627. - Ordo cognitionum in causis inconnexis seu in idem iudicium non deductis 134
Can. 1628. - Quandonam proponendae sunt exceptiones dilatoriae 1) in genere, praecipue quae respiciunt personas et modum iudicii; 2) de incompetentia absoluta; 3) excommunicationis . . —
Can. 1629. - Quandonam opponuntur exceptiones peremptoriae, tum litis finitae tum aliae? 136
Can. 1630. - Actiones reconventionales, quando et quomodo cognoscendae? 137
Can. 1631. - Quaestiones de cautione quando cognoscendae? . . 138
Can. 1632. - Quaestio praeiudicialis quae et quando cognoscenda? . —
Can. 1633. - Quaestionum incidentium notio, triplex species, et triplex ordinis cognitionis regula 1) si logice connexae: 2) si inconnexae; 3) si una sit de spolio 139

CAPUT III. — **De dilationum terminis et fatalibus.**

Expositio rubricae.

Notio et divisio dilationum, terminorum, terminorum dilationum, ac fatalium 141

Expositio textus.

Can. 1634. - Dilationum termini 1) quinam prorogari possint, 2) quando, 3) et quomodo . . . . . —
Can. 1635. - Prorogatio termini, occasione diei feriatae, quando et quomodo intelligitur? 142

CAPUT IV. — **De loco et tempore iudicii.**

Expositio rubricae.

Quaenam circumstantiae loci et temporis solent iure considerari in iudiciis celebrandis, et quare? . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1636. - Ubinam potest, ubi autem debet Episcopus erigere regulariter suum tribunal, et qualiter illud insignire? . . 144
Can. 1637. - An, quando et quomodo iudex possit extra territorium iudicare . . . . . —

PAG.

Can. 1638. - Tempus iudiciorum in unaquaque dioecesi, 1) quis definiet; et 2) quomodo; et 3) cum quo effectu? . . . 145
Can. 1639. - Dies feriati pro tribunalibus orbis, 1) quinam sint, et in iis, quinam actus vetantur et quando; et 2) quinam possit actus vetitos permittere et quomodo . . . . . —

CAPUT V.

De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum.

Expositio rubricae.

Quid sit disceptatio iudicialis, quid publicitas iudiciorum: quid sint actus iudiciales et quid acta: quid sint acta iudicii et quid acta causae 146

Expositio textus.

Can. 1640. - 1) Quinam possint iudicio adesse; et 2) quomodo et qua sanctione plecti possint si irreverentes aut inobedientes se exhibeant 148
Can. 1641. - An, quando et qualis adhiberi possit interpres . . 149
Can. 1642. - Utrum acta iudicialia debeant esse scripto redacta, et qua lingua . . . . . —
Can. 1643. - Quibus cautelis consulendum est actorum 1) authenticitati, 2) veritati? . . . . . —
Can. 1644. - Quaenam servanda in actorum transmissione ad tribunal appellationis; quid si rite confecta non fuerint . . . 150
Can. 1645. - 1) Quaenam documenta restituenda et ubinam cetera sunt deponenda; 2) quinam possunt, sed cuius petita venia, exemplar actorum vel documentorum tradere; 3) quid de epistolis anonymis aut calumniosis 151

TITULUS IV. — **De partibus in causa.**

Expositio rubricae.

Partes in causa quinam dicantur et quare: qualiter *actor* et *reus*, qualiter *advocati* et *procuratores* 152

CAPUT I. — **De actore et de reo convento.**

Expositio rubricae.

Notio, species, etc. actoris et rei. - Actoris et rei officia, commoda, discretionis ordinaria necessitas . . . . . —

Expositio textus.

PAG.

Can. 1646. - De agendi capacitate aut respondendi obligatione in genere 155

Can. 1647. - Utrum et quando partes teneantur adesse ipsaemet . 156

Can. 1648. - Quinam pro minoribus aut usu rationis destitutis consistunt, 1)ordinario ; 2) in casu conflictus aut distantiae respectu parentum, etc. ; 3) in causis spiritualibus, pro aetatis varietate? —

Can. 1649. - Quinam stat nomine personarum moralium ; 1) ordinario ; 2) in casu conflictus iurium? 157

Can. 1650. - Quomodo stant in iudicio personae bonis interdictae aut minus firmae mentis? 158

Can. 1651. - Curator, datus ab auctoritate civili 1) qualiter valeat, et 2) an substitui possit ab Ordinario 159

Can. 1652. - An et quando Religiosi, sine Superiorum consensu, habeant personam standi in iudicio . . . . . —

Can. 1653. - De personis ac conditionibus a iure praescriptis ad standum in iudicio pro personis moralibus 160

Can. 1654. - De diversa excommunicatorum capacitate agendi in iudicio prout sint *a*) vitandi ; *b*) tolerati non denuntiati per sententiam aut decretum ; *c*) tolerati non sententiati . . . 165

CAPUT II. — De procuratoribus ad lites et advocatis.

Expositio rubricae.

Procuratorum et advocatorum notio, species, historia, etc. . . 167

Expositio textus.

Can. 1655. - De his qui possunt aut debent constituere advocatum et procuratorem 175

Can. 1656. - De procuratorum et advocatorum constituendorum numero et modo 176

Can. 1657. - De qualitatibus procuratorum et advocatorum in tribunali dioecesano 177

Can. 1658. - Quisnam et sub quibus conditionibus eligi debet 1) procurator ; 2) advocatus in tribunali dioecesano ; 3) advocatus in iudicio coram Sanctae Sedis delegato ; 4) procurator et advocatus in causis religiosorum? 179

Can. 1659. - De tempore, qualitatibus et depositione mandati procuratorii 180

Can. 1660. - Ubinam asservari debet mandatum? 181

Can. 1661. - Advocatus, *a*) quando, *b*) a quo, et *c*) qualem commissionem habere debet? . . . . . —

Can. 1662. - Procurator, 1) quid possit vi mandati ad lites, et 2) quid non possit? . . . . . —

Can. 1663. - Utrum, qua de causa et qua forma possint procurator et advocatus repelli a iudice 182

PAG.

Can. 1664. - De procuratoris et advocati cessatione tum 1) ob remotionem, tum 2) ob expletum munus 182
Can. 1665. - Quaenam advocato et procuratori a iure positivo, 1) vetantur, et 2) sub quibus poenis? 184
Can. 1666. - Poenae contra advocatos ac procuratores, qui suum officium prodiderint 185

TITULUS V. — **De actionibus et exceptionibus.**

Expositio rubricae.

De actionibus et exceptionibus, seu de obiecto immediato iudicii. - De diversis actionis acceptionibus. - Actionum diversitas undenam oriatur et dignoscatur. - Actionum suprema divisio in reales et personales. - Exceptionis etymologia et acceptiones. - Exceptionis notio, finis, necessitas, origo. - Exceptionum subiectum, multiplicitas, divisio. - De effectibus exceptionum . . . 186

CAPUT PRAELIMINARE (addititium).

De actionibus, et exceptionibus in genere.

Expositio textus.

Can. 1667. - De duplici iudiciali tuitione iurium, et de duratione exceptionum 195
Can. 1668. - De divisione actionum, ratione obiecti seu rei quae petitur, in petitorias et possessorias 197
Can. 1669. De cumulatione actionum et exceptionum in eodem iudicio 198
Can. 1670. - De cumulatione simultanea actionum possessoriarum et petitoriarum 200
Can. 1671. - De cumulatione successiva, seu de regressu a petitorio ad possessoria, et de horum cognitionis ordine . . . 202

CAPUT I.

De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris.

Expositio rubricae.

Sequestrationis et inhibitionis notio, divisio, etc. 205

Expositio textus.

Can. 1672. - Actionum sequestrariae et inhibitoriae subiectum, obiectum et titulus 207
Can. 1673. - Actio sequestraria ad crediti securitatem, 1) quandonam admittitur; et 2) ad quae extenditur 208

PAG.

Can. 1674. - Quandonam decerni nequeunt sequestratio rei aut suspensio iuris? 209
Can. 1675. - Sequestri 1) designatio qualiter facienda, 2) obligationes, 3) merces . . . . . —

CAPUT II.

De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto.

Expositio rubricae.

Notio actionum ex novi operis nuntiatione et damno infecto . . —

Expositio textus.

Can. 1676. - Subiectum, obiectum, etc., actionis nuntiationis novi operis 210
Can. 1677. - An, et quando operis nuntiatio competat quoad vetus opus? 212
Can. 1678. - Subiectum, obiectum, etc., actionis ex damno infecto . —

CAPUT III. — **De actionibus ob nullitatem actorum.**

Expositio rubricae.

Actorum nullitas ex iure veteri 213

Expositio textus.

Can. 1679. - De actione nullitatis, quoad generalia 214
Can. 1680. - Nullitas actus: 1) quandonam habetur; 2) an importet nullitatem actorum praecedentium, etc. 215
Can. 1681. - An quid teneatur auctor nullitatis alicuius actus . 217
Can. 1682. - Utrum, et quando actio nullitatis possit proponi, et nullitas declarari ex officio? 218
Can. 1683. - De nullitate actus vel instrumenti a Romano Pontifice confirmati . . . . . —

CAPUT IV.

De actionibus rescissoriis, et de restitutione in integrum.

Expositio rubricae.

Notio actionis rescissoriae, et restitutionis in integrum . . . 221

Expositio textus.

Can. 1684. - De actionibus rescissoriis ex dolo aut metu, et ex errore, quoad generalia 222
Can. 1685. - Contra quem institui potest actio rescissoria ob metum aut dolum? 225

PAG.

Can. 1686. - Quando, cuinam, et cum quo effectu competit exceptio metus vel doli? 226
Can. 1687. - De restitutione in integrum, quoad generalia . . 227
Can. 1688. - Restitutio, 1) a quo, et quo tempore peti debeat; et 2) an ex officio decerni possit 229
Can. 1689. - Effectus restitutionis in integrum 1) obtentae, 2) petitae, 3) petendae 231

CAPUT V.

De mutuis petitionibus, seu de actionibus reconventionalibus.

Expositio rubricae.

Actionis reconventionalis origo historica et natura iuridica . . 232

Expositio textus.

Can. 1690. - Actio reconventionalis 1) quid sit, seu cui, contra quem, et ad quid competat: et 2) an detur actori 233
Can. 1691. - In quibus causis locum habet reconventio . . . 234
Can. 1692. - Reconventio, 1) coram quo proponenda, et 2) quando ac quomodo cognoscenda? 235

CAPUT VI. — De actionibus seu remediis possessoriis.

Expositio rubricae.

Ratio pertractandi heic de proprietate. - Notio proprietatis et quasi-proprietatis. - Notio possessionis et quasi-possessionis iure naturali romano, et canonico veteri. - Possessionis et actionum possessoriarum notio, divisio, probatio ex Codice . . . 236

Expositio textus.

Can. 1693. - Cuinam, circa quae, quo titulo, quomodo, contra quem vel coram quo, et ad quid competit actio adipiscendae possessionis 249
Can. 1694. - Quaenam possessio praestat actionem retinendae aut recuperandae 250
Can. 1695. - Actio retinendae possessionis, 1) cuinam, quando seu quo titulo, et circa quae competit; et 2) quandiu, contra quem, et ad quid . . . . . —
Can. 1696. - Utrum actio retinendae possessionis, 1) adhiberi possit ab iniusto possessore, et contra quos; et 2) opponi valeat a promotore iustitiae, in quibus causis, et adversus quem . 252
Can. 1697. - De sententia proferenda tum in possessorio tum in petitorio 254
Can. 1698. - De actione recuperandae possessionis, seu actione et exceptione spolii 256

PAG.
Can. 1699. - De restitutione spoliatorum 261
Can. 1700. - Iudicia possessoria quomodo absolvenda . . . 265

CAPUT VII. — **De exstinctione actionum.**

Expositio rubricae.

Multiplex modus exstinctionis. - Fundamentum praescriptionis actionum. - Praescriptio actionum iure veteri 266

Expositio textus.

Can. 1701. - De exstinctione actionum in contentiosis: quaenam exstinguantur et quibus modis 270
Can. 1702. - De exstinctione actionis criminalis et poenalis . . 271
Can. 1703. - Tempus utile ad proponendam actionem, 1) tum criminalem, tum 2) poenalem 275
Can. 1704. - De effectibus actionis criminalis; utrum, nempe, 1) hac sublata, tollatur actio de damno dato, vel 2) tollatur Ordinario facultas utendi aliis remediis non poenalibus . . . . —
Can. 1705. - Ex quo currit praescriptio 1) in contentiosis et in criminalibus in genere; 2) in delictis cum tractu successivo; 3) in delicto habituali vel continuato? 276

TITULUS VI. — **De causae introductione.**

Expositio rubricae.

Causae introductio complectitur actus 1) *actoris* erga iudicem (oblationem libelli), et 2) *iudicis* erga reum (citationem) . . 277

CAPUT I. — **De libello litis introductorio.**

Expositio rubricae.

Libelli notio, origo, partes, divisio, qualitates, vitia, mutationes . 278

Expositio textus.

Can. 1706, 1707. - De propositione actionis, seu de oblatione libelli, aut petitione vel provocatione ad iudicium 279
Can. 1708. - De tenore et forma libelli extrinseca 280
Can. 1709. - De libelli admissione vel reiectione 281
Can. 1710. - Quodnam exstet remedium si iudex differat libellum admittere aut reiicere 282

CAPUT II. — **De citatione et denuntiatione actorum iudicialium.**

Expositio rubricae.

Citationis notio, divisio, evolutio historica 283

Expositio textus.

PAG.

Can. 1711. - Citatio, 1) quandonam locum habeat; 2) quando non sit necessaria 285
Can. 1712. - Citatio 1) a quo et quomodo fiat; 2) cui denuntianda sit; 3) cui notificanda . . . . . —
Can. 1713. - Cui denuntiatur si reus non administrat? . . . 286
Can. 1714. - Citatio generatim qualis; quandonam simplex seu iterabilis . . . . . —
Can. 1715. - Citatio, 1) qua forma denuntiari et quaenam exprimere debeat; 2) qualiter sigillanda, et a quibus subscribenda . —
Can. 1716. - Quota scheda sit conficienda citatio; scheda autem quo destinanda . . . . . —
Can. 1717. - Per quem, cui et ubi scheda sit tradenda, 1) regulariter; 2) si reus sit extra dioecesim; 3) si cursor reum non invenerit —
Can. 1718. - Effectus citationis per schedam quoad reum recusantem illam 287
Can. 1719. - Quando, cuius auctoritate et quibus cautelis scheda citationis transmitti potest per tabellarios publicos? . . . —
Can. 1720. - Citatio per edictum 1) quando fit; et 2) quomodo . . —
Can. 1721. - Quid faciendum cursori, 1) schedam tradenti per se; 2) eam tradenti per alium; 3) edictum affigenti; 4) si reus schedam recuset . . . . . —
Can. 1722. - Modus habendi certitudinem de citatione facta, 1) ope cursoris, 2) ope tabellariorum 288
Can. 1723. - Duplex casus nullitatis tum citationis, tum actorum processus . . . . . —
Can. 1724. - Regulae pro citatione rei, an, et quomodo extendendae ad alios actus iudiciales . . . . . —
Can. 1725. - Effectus legitimae citationis, aut ultroneae vadimonii exsecutionis . . . . . —

TITULUS VII. — **De litis contestatione.**

Expositio rubricae.

De litis contestatione antiquo iure romano et canonico . . . 289

Expositio textus.

Can. 1726. - Qualiter constituitur obiectum iudicii, et quid sit vel in quo consistat litis contestatio 292
Can. 1727. - Litis contestationis forma; an sit necessaria regulariter praesentia partium . . . . . —
Can. 1728. - De litis contestatione formali (concordatione dubiorum) 293
Can. 1729. - De dubiorum formula 294
Can. 1730. - Utrum, et quando possint probationes recipi ante contestationem litis 295

PAG.

Can. 1731. - Effectus contestationis litis quoad 1) mutationem libelli; 2) processus instructionem per probationes: 3) possessorem rei alienae 295

TITULUS VIII. — **De litis instantia.**

Expositio rubricae.

Litis instantiae 1) notio; 2) vices historicae 297

Expositio textus.

Can. 1732. - Instantia *a*) quandonam incipit; et *b*) quomodo finitur? —
Can. 1733. - De interruptione instantiarum in genere: 1° quandonam fiat; 2° quandonam non fiat . . . . . —
Can. 1734. - De interruptione instantiarum in beneficialibus; quando non fiat 298
Can. 1735. - Quandiu interrumpitur instantia, procuratore cessante? —
Can. 1736. - Quandonam instantia directe, quandonam vero ipsa actio indirecte perimatur . . . . . —
Can. 1737. - Peremptio, *a*) qualiter obtineat; *b*) adversus quos; *c*) an adversus minores; *d*) qualiter excipienda 299
Can. 1738. - De effectu peremptionis; quaenam acta exstinguit? . —
Can. 1739. - A quonam solvendae sint expensae . . . . . —
Can. 1740. - Renuntiatio, 1) quandonam fieri valeat: *a*) ab actore, iudiciali instantiae; *b*) ab actore et reo, actis; 2) sub quibus conditionibus facienda? 300
Can. 1741. - Renuntiationis effectus, etiam quoad expensas . . —

TITULUS IX.

De interrogationibus partibus in iudicio faciendis.

Expositio rubricae.

Interrogationum *a*) scopus, *b*) formae, *c*) obiectum in genere, utrum, nempe, *factum* semper, an aliquando *ius* . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1742. - De quibus factis in genere iudex interrogare, 1) debeat; 2) possit; 3) utrumque autem in quonam iudicii stadio . . 301
Can. 1743. - Iudice legitime interrogante, 1) quandonam pars respondere teneatur; 2) quanti facienda sit responsionis recusatio; 3) quomodo punienda sit pars tacens aut mendax . . . 302
Can. 1744. - Iusiurandum de veritate dicenda, quandonam deferri *a*) nequeat; *b*) debeat; *c*) possit . . . . . —
Can. 1745. - De forma interrogandi seu examinandi partes . . 303
Can. 1746. - Qualiter debeant, ex regula generali, se sistere in iudicio partes ad iurandum et respondendum interrogationibus . . 305

TITULUS X. — De probationibus.

Expositio rubricae.

PAG.
Probationum notio, species, systemata, methodi 305

TITULUS PRAELIMINARIS (additicius).

De obiecto, subiecto, effectu generali et delectu probationum.

Expositio textus.

Can. 1747. - Quando non sit opus probatione (et quando non sit opus ordine iudiciario) 311
Can. 1748. - De onere et effectu probationis 315
Can. 1749. - Utrum et quando iudici liceat reiicere probationes legales 316

CAPUT I. — De confessione partium.

Expositio rubricae.

De confessione partium: notio, divisio, qualitates 317

Expositio textus.

Can. 1750. - Quaenam, seu in quibus adiunctis facta confessio dicitur iudicialis? . . . . . —
Can. 1751. - Confessio iudicialis, in quibus negotiis, et sub quibus conditionibus vim probandi habeat, et qualem . . . 320
Can. 1752. - De impugnatione et effectibus confessionis iudicialis . 322
Can. 1753. - Confessio extraiudicialis, *a*) quandonam dicitur talis, et *b*) quamnam vim habet in iudicio? 323

CAPUT II. — De testibus et attestationibus.

Expositio rubricae.

Testium et attestationum notio et divisio: huius probationis (per testes) laudes et vices 1) pro temporum et legislatorum diversitate, 2) in Ecclesia 324

ARTICULUS PRAELIMINARIS (additicius) — *De usu probationis per testes, et de istorum obligatione respondendi.*

Can. 1754. - In quibus causis, et sub quibus conditionibus admittitur probatio per testes? 326
Can. 1755. - De testium obligationibus quoad veritatem dicendam . —

Art. I. — Qui testes esse possint.

Expositio textus.

PAG.
Can. 1756. - Utrum omnes possint esse testes 327
Can. 1757. - Quinam a testimonio ferendo repelluntur 1) uti non idonei; 2) ut suspecti; 3) ut incapaces, quia *a*) partes in causa, *b*) extranei iudicio forensi, vel *c*) affecti erga partem . . 328
Can. 1758. - Testes non idonei aut suspecti, 1) an, et quomodo vocari possint; 2) quomodo, et cum quo effectu audiri. Quid de incapacibus? 332

Art. II. — A quibus, quomodo, et quot testes induci et qui excludi possint.

Expositio rubricae.

Quid sit testium *a*) inductio, *b*) exclusio 333

Expositio textus.

Can. 1759. - Testium inductio a quo fiat, et an revocabiliter . . —
Can. 1760. - Testem ultroneum quandonam iudex 1) admittere possit, 2) repellere debeat 334
Can. 1761. - De forma inducendi testes . . . . . —
Can. 1762. - A quo, et qualiter moderandus sit inducendorum testium numerus . . . . . —
Can. 1763. - Utrum, et in quo iudicii stadio debeant partes sibi invicem nota facere testium nomina 335
Can. 1764. - De reprobatione et exclusione testium . . . . . —
Can. 1765. - Citatio testium a quo, et quomodo facienda, et qualiter intimanda? 337
Can. 1766. - Testis citati, 1) vadimonium, 2) poenae ob inobedientiam —

Art. III. — De iureiurando testium.

Expositio rubricae.

Duplex iusiurandum testium . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1767. - De necessitate iurisiurandi et commonitionis testium . 338
Can. 1768. - An, et quando possint testes adigi ad iusiurandum extraordinarium seu de veritate dictorum 339
Can. 1769. - Utrum testes adigi etiam iuramento possint ad secretum servandum, et circa quae et quandiu . . . . . —

Art. IV. — De testium examine.

PAG.

Can. 1770. - De testibus vocandis vel non ad comparendum in sede et aula ordinaria tribunalis 339
Can. 1771. - Utrum examini testium queant partes assistere . . 341
Can. 1772. - De examinis ratione relate ad aliorum praesentiam . —
Can. 1773. - De examinis ratione quoad auctorem et modum . . 342
Can. 1774. - Ordo et materia interrogationum seu examinis testis . —
Can. 1775. - Interrogationum qualitates 343
Can. 1776. - Utrum permittatur 1) praevia interrogationum communicatio cum testibus; 2) aliqua eorundem praemonitio . . 344
Can. 1777. - Testificatio quomodo sit facienda: utrum semper oretenus, an aliquando ex lectione scripti . . . . . —
Can. 1778. - Responsio quonam temporis momento in actis referenda, et utrum quoad substantiam, an quoad verba . . . . . —
Can. 1779. - De quibus (praeter exscriptionem responsionum) debet actuarius facere mentionem in actis? 345
Can. 1780. - Testificatio 1) quo temporis momento legenda sit testi, et cum qua facultate; 2) a quibus subscribenda . . . —
Can. 1781. - Quo modo, quo tempore, et quibus cautelis possunt repeti testes 346

Art. V. — De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione.

Expositio rubricae.

Testimoniorum evulgatio ad quid ordinatur et in quibus causis viguerit iure veteri: reprobatio quid, et ex quotuplici capite . 347

Expositio textus.

Can. 1782. - In quibus casibus et causis evulgatio testimoniorum 1) fiat post examen, vel 2) differatur usque ad publicationem totius processus 348
Can. 1783. - Evulgationis effectus quoad reprobationem 1) personae; et 2) examinis et testificationis . . . . . —
Can. 1784. - Reprobatio testis quomodo et quando reiicienda? . . 349
Can. 1785. - Modus procedendi in iudicio reprobationis testium . . —
Can. 1786. - Ex qua ratione pro diversitate causarum, quibus cautelis, quibus requisitis, et qua forma admitti possint super iisdem articulis testes iam auditi, aut novi, post evulgatas testificationes —

Art. VI. — De indemnitate testium.

Can. 1787. - Compensatio et indemnitas 1) an, et ad quae competant testi; et 2) a quo taxandae sint 350
Can. 1788. - Quando, et sub qua sanctione deponenda est pecunia pro indemnitate? . . . . . —

ART. VII. — **De testimoniorum fide.**

PAG.

Can. 1789. - Quatuor, in genere, quae in testimoniis aestimandis debet iudex prae oculis habere, videlicet, ex parte personae 1) quoad probitatem et 2) quoad scientiam; ex parte vero testificationis, 3) consideratae in se ipsa, et 4) consideratae respectu testificationum aliorum 351

Can. 1790. - Quid perpendendum est iudici si testes discrepent? . 352

Can. 1791. - Depositio, 1) utrum plenam fidem aliquando faciat, si sit unius testis; et 2) quando, et sub quibus conditionibus sit sufficiens probatio si fiat a pluribus testibus 353

CAPUT III. — **De peritis.**

Expositio rubricae.

Peritorum notio: notae historicae 356

Expositio textus.

Can. 1792. - Quandonam peritorum opera utendum est? . . . 357

Can. 1793. - Electio peritorum 1) cuiusnam sit; 2) quorum rogatu, vel consensu, vel consilio facienda; 3) quo numero complenda —

Can. 1794. - Peritorum electorum obligationes et eorundem, si deliquerint, poenae 358

Can. 1795. - Quinam ad periti munus 1) deligi debeant; 2) assumi nequeant . . . . . —

Can. 1796. - Peritorum recusatio 1) ob quas causas fieri possit; 2) a quo, et quomodo definiri debeat 359

Can. 1797. - Muneris periti, 1) quandonam censeatur facta esse susceptio; 2) utrum coram partibus facienda sit exsecutio . . —

Can. 1798. - Intra quod tempus, et sub qua sanctione teneantur periti parere mandato . . . . . —

Can. 1799. - A quo, 1) definiri debeat obiectum peritiae, et quibus attentis ac explicatis; 2) praefiniri possit tempus examinis et voti proferendi 360

Can. 1800. - De peritia pro examine et recognitione scripturarum . —

Can. 1801. - Periti, 1) quomodo votum proferre valeant; 2) an personaliter accersiri possint; 3) quaenam indicare debeant . 361

Can. 1802. - Utrum singuli periti singulas relationes conficere debeant, an omnes unam subscribere possint . . . . . —

Can. 1803. - Quid si periti, 1) inter se discrepent; aut 2) suspecti vel non idonei devenerint? . . . . . —

Can. 1804. - Utrum iudex teneatur, 1) conclusiones peritorum aliquando admittere; 2) exprimere rationes admittendi aut reiiciendi 362

Can. 1805. - Peritorum expensae et honoraria a quo et quando taxanda? . . . . . —

CAPUT IV. — **De accessu et recognitione iudiciali.**

Expositio rubricae.

PAG.
Huius probationis *a*) nomina, *b*) vis, *c*) indoles 363

Expositio textus.

Can. 1806. - Accessus et recognitio iudicialis, *a*) quando, *b*) quomodo, et *c*) quibusnam descriptis praestitui possit . . . . . —
Can. 1807. - Quisnam facere debeat recognitionem; an semper iudex per se 364
Can. 1808. - Peritorum opera in recognitione 1) an permitti possit; 2) qualiter adhiberi debeat . . . . . —
Can. 1809. - Utrum, et quando partes vel advocati 1) ab accessu iudiciali prohiberi possint; 2) eidem interesse valeant . . —
Can. 1810. - Utrum, et quinam testes, et quando subiici possint examini in ipso iudiciali accessu . . . . . —
Can. 1811. - Actus recognitionis, 1) an redigendus, et quaenam continere debeat; et 2) a quibus subscribendus 365

CAPUT V. — **De probatione per instrumenta.**

Expositio rubricae.

Instrumentorum seu documentorum notio, divisio, scopus . . . —

ART. I. — **De natura et fide instrumentorum.**

Expositio textus.

Can. 1812. - Utrum in omni iudicio admittatur probatio per instrumenta 367
Can. 1813. - Quaenam sint 1) praecipua documenta publica ecclesiastica; 2) documenta publica civilia; 3) documenta privata . —
Can. 1814. - Quandonam documenta publica censentur genuina? . 369
Can. 1815. - Quotupliciter recognitio scripturae proponi possit, et cum qua differentia? 370
Can. 1816. - Documenta publica quamnam fidem faciunt, et de quibus? —
Can. 1817. - Sub quibus conditionibus, adversus quos, et quantum probet instrumentum privatum 371
Can. 1818. - An, et quaenam fides adhiberi possit documentis abrasis, correctis, interpolatis, aliove vitio infectis . . . . —

ART. II. — **De productione documentorum et actione ad exhibendum.**

Can. 1819. In qua forma exhiberi, et penes quem deponi debent documenta ut vim probandi habeant? 372
Can. 1820. - Utrum, et in qua forma debeant documenta exhiberi iudici et parti . . . . . —

PAG.

Can. 1821. - In dubio de fidelitate documenti exemplaris, quid faciendum si originale aut exemplar 1) haberi nequit absque magna difficultate? 2) in alio casu? 372

Can. 1822. - Quinam ex litigantibus gaudeat iure postulandi exhibitionem documentorum: et quorum, et a quo 373

Can. 1823. - In casu periculi damni, 1) utrum, et ob quod periculum eximitur quis ab exhibitione documenti, etsi communis; 2) an tunc teneatur saltem particulam exhibere? 374

Can. 1824. - Si pars, 1) documentum exhibere detrectet, utrum et quomodo iudex interloqui teneatur; 2) si parere recuset, quanti hoc faciendum est; 3) si documentum habere neget, quid faciendum? . . . . . —

CAPUT VI. — **De praesumptionibus.**

Expositio rubricae.

Qualis probatio sit *praesumptio*, et qualiter differat a *fictione iuris* . 375

Expositio textus.

Can. 1825. - Quaenam sit 1) notio et divisio praesumptionis in genere; 2) subdivisio praesumptionis iuris? 376

Can. 1826. - An, et qualis probatio admittatur contra praesumptionem *a*) iuris simpliciter, *b*) iuris et de iure . . . . . —

Can. 1827. - Effectus probatorius praesumptionis quoad cum cui favet et quoad partem adversam 377

Can. 1828. - An, et qualiter iudex possit praesumptiones coniicere . —

CAPUT VII. — **De iureiurando partium.**

Expositio rubricae.

Iurisiurandi notio, divisio, origo, etc. . . . . —

Expositio textus.

Can. 1829. - In quo consistit, seu quandonam dicitur praestari iuramentum suppletorium? 379

Can. 1830. - Iusiurandum suppletorium 1) quando vel maxime adhibendum; 2) quando non adhibendum; 3) utrum ad instantiam, an ex officio deferendum; 4) cuinam deferri debet; 5) a cuius arbitrio pendet quoad delationem? . . . . . —

Can. 1831. - Utrum iusiurandum suppletorium 1) delatum possit recusari; 2) recusatum aequiparetur confessioni; 3) praestitum impugnari possit 381

Can. 1832. - Quid sit, seu quando deferatur iusiurandum aestimatorium 382

Can. 1833. - Modus procedendi in deferendo iureiurando aestimatorio . . . . . —

PAG.

Can. 1834. - Iusiurandum voluntarium quoad compositionem controversiarum 1) utrum aliquando deferri possit, in quo controversiae statu, quomodo ante iudicium, quomodo vero et qua conditione intra iudicium; 2) quo nomine vocetur 382
Can. 1835. - Iusiurandum decisorium, 1) de qua re seu in qua causa; 2) a quo; 3) cui; et 4) de quo facto deferri potest? . . 383
Can. 1836. - Iusiurandum decisorium 1) an possit a deferente revocari, et debeat ab adversario praestari; 2) quid efficiat si praestetur; 3) quid si recusetur nec referatur; 4) quid si referatur; 5) quandonam referri valeat 384

TITULUS XI. — **De causis incidentibus.**

Expositio rubricae.

Causarum incidentium notio et praecipuae species 385

CAPUT PRAELIMINARE (addititium).

De causis incidentibus in genere.

Expositio textus.

Can. 1837. - Quandonam dicitur haberi causa incidens, et a quo proponi potest 386
Can. 1838. - Duplex forma propositionis causarum incidentium: quid necessario exprimendum? regulae servandae 387
Can. 1839. - Duo a iudice ante admissionem causae incidentis deliberanda; et quomodo . . . . . —
Can. 1840. - De duplici forma, vel iudiciali vel extraiudiciali, definiendi quaestiones incidentes 388
Can. 1841. - Utrum, in quo iudicii stadio, quando, quomodo et quibus auditis possit iudex sententiam interlocutoriam corrigere aut revocare . . . . . —

CAPUT I. — **De contumacia.**

Expositio rubricae.

Duplex systema iuridicum contumaciale: notae historicae . —

Expositio textus.

Can. 1842. - De contumacia rei; quandonam hic dici possit contumax 390
Can. 1843. - Ad declarandam contumaciam rei, 1) quaenam requirantur; 2) quomodo haec comprobari possint . . . . . —
Can. 1844. - De processu super contumacia rei et super causa principali 391
Can. 1845. - Utrum reo contumaci 1) possit iudex infligere et comminari poenas ecclesiasticas; et 2) quomodo 392

PAG.

Can. 1846. - Utrum reus a contumacia recedens ante sententiam definitivam admittatur, et quibus cautelis 393

Can. 1847. - An, et quodnam remedium reo contumaci maneat post sententiam definitivam ; a quo possit illud petere et intra quod tempus . . . . . —

Can. 1848. - Regulae quoad reum factum contumacem progressu iudicii —

Can. 1849. - Contumacia actoris, quando, et ad quorum instantias declarari potest, et iuxta quas regulas declarari debet? . —

Can. 1850. - Declarata actoris contumacia, 1) utrum et qualiter perimatur ius eius ad prosequendam instantiam ; 2) an et quando promotor aut defensor possint instantiam facere suam ; 3) quatuor iura seu remedia ex quibus reus eligere potest . . 394

Can. 1851. - A quo solvendae sint expensae si declaratur contumax 1) unus ex litigantibus ; 2) uterque litigans 395

CAPUT II. — **De interventu tertii in causa.**

Expositio rubricae.

Interventus in causa quid et quotuplex . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1852. - Tertius interveniens voluntarius 1) utrum et in qua instantia admitti possit ; 2) quid debeat exhibere ; 3) in quo stadio causae, et quo pacto 396

Can. 1853. - Interventus tertii, dictus necessarius, an et quomodo sit admittendus 397

CAPUT III. — **De attentatis lite pendente.**

Expositio rubricae.

Notae historicae circa innovationes lite pendente seu *attentata* . 398

Expositio textus.

Can. 1854. - Attentati iudicialis notio . . . . . —

Can. 1855. - Attentata 1) qualiter sunt nulla ; 2) cuinam et quamnam actionem pariunt ; 3) coram quo iudice sunt cognoscenda? . 399

Can. 1856. - Quaestio de attentato, 1) quando, id est, an prae causa principali pertractanda sit ; et 2) qua forma 400

Can. 1857. - Auctor attentati utrum et quando cogi debeat 1) ad revocationem ; 2) ad indemnitatem . . . . . —

TITULUS XII.

De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione.

Expositio rubricae.

PAG.

Scopus publicationis processus, conclusionis in causa, discussionis causae 401

Expositio textus.

Can. 1858. - Utrum publicatio processus facienda sit, et integre . 403
Can. 1859. - In quo consistit, seu quando et quomodo intelligitur facta publicatio processus? . . . . . —
Can. 1860. - Conclusio in causa 1) utrum et quo tempore habenda sit; 2) in quo consistat seu quandonam facta esse dicatur; 3) quomodo constare debeat . . . . . —
Can. 1861. - Post conclusionem in causa, 1) an et in quibus causis aut casibus admittantur novae probationes; 2) qua forma admittantur 404
Can. 1862. - Termini pro defensionibus seu allegationibus, 1) quales; 2) an et quando prorogabiles, et an et quomodo coarctabiles . 405
Can. 1863. - Defensio, 1) qualiter in scriptis conficienda; 2) quibus, praeter iudices, tradenda; 3) an typis edenda; et, in casu, 4) quibus cautelis . . . . . —
Can. 1864. - A quo et qualiter est moderanda defensionum extensio? —
Can. 1865. - Responsiones defensionibus 1) an liceat exhibere, et quandiu et sub quibus regulis; 2) an, quando et quo pacto liceat exhibere plus quam semel 406
Can. 1866. - In discussione orali, 1) utrum et quare prohibeantur perorationes privatae seu informationes, uti vocant, orales; 2) qualis et quando admittatur disputatio publica, seu coram iudice; 3) quid a partibus exprimendum in petitione, a iudice autem in concessione disputationis; 4) an et ad quid assistet disputationi notarius . . . . . —
Can. 1867. - Utrum, et in quibus causis et casibus possit iudex sententiam pronuntiare, praetermissa defensione 407

TITULUS XIII. — **De sententia.**

Expositio rubricae.

Ratio ordinis: diversi modi finiendi iudicium et causam . . . —

Expositio textus.

Can. 1868. - Notio 1) sententiae (huiusque divisio); 2) decretorum . 408
Can. 1869. - Requisita ad sententiam ex parte persuasionis iudicis

PAG.

1) quoad gradum certitudinis; 2) quoad certitudinis fontem; 3) quoad aestimationem vis probationum; 4) quoad pronuntiationem in defectu certitudinis 409

Can. 1870. - Utrum, vix disceptata causa, debeat ferri sententia . 412

Can. 1871. - Pro deliberatione in tribunali collegiali, 1) quis, et quomodo tempus et locum conventus constituat; 2) qualiter a iudicibus sint conclusiones afferendae; 3) quo ordine eaedem proferri et qua ratione discuti debeant; 4) utrum fas sit unicuique a pristina sua conclusione recedere; 5) quid si in prima discussione non deveniant ad sententiam . . . . . —

Can. 1872. - Cuiusnam est sententiam exarare in tribunali unipersonali, cuius vero in tribunali collegiali? 413

Can. 1873. - De materia seu effectu intrinseco sententiae . . . —

Can. 1874. - Quoad formulam et ordinem, sententia, 1) qualiter debeat initiari; 2) quid exprimere quoad personas; 3) quid referre quoad factum; 4) quid post haec continere; 5) qualiter claudi 414

Can. 1875. - An sententiae interlocutoriae applicentur regulae sententiae definitivae 415

Can. 1876. - Tempus pro sententiae publicatione . . . . —

Can. 1877. - Triplex modus publicandi sententiam . . . . —

TITULUS XIV. — **De iuris remediis contra sententiam.**

Expositio rubricae.

Notio, origo, species remediorum iuris 416

Expositio textus.

Can. 1878. - Correctio materialis sententiae, 1) a quo facienda; 2) cuius motu, et qua forma si altera pars non refragetur; 3) quomodo si altera pars refragetur 417

CAPUT I. — **De appellatione.**

Expositio rubricae.

Appellationis notio et divisio. - Quo iure competat appellatio. - Notae historicae quoad institutum appellationis 418

Expositio textus.

Can. 1879. - Quibusnam competit ius appellandi? 425

Can. 1880. - Species sententiarum (novem) in quibus non est locus appellationi 426

Can. 1881. - Coram quo, et intra quod tempus interponi debet appellatio? 428

Can. 1882. - Appellatio 1) quandonam, qua formula et quo pacto fieri possit oretenus; 2) quando et quomodo fieri debeat in scriptis —

PAG.

Can. 1883. - Coram quo, et intra quod tempus prosequenda est appellatio?... 429

Can. 1884. - Ad prosequendam appellationem, 1) quid requiratur et sufficiat, 2) quaenam remedia adsint si pars exemplar impugnatae sententiae non obtinuerit . . . . . —

Can. 1885. - Quid faciendum, et quomodo computandi sunt termini, si pars moriatur, aut statum mutet, aut cesset ab officio 1) post sententiam et ante appellationem: 2) post appellationem? . 430

Can. 1886. - Quid fit de lite, inutiliter elapsis fatalibus appellationis? —

Can. 1887. - Appellatio facta ab uno litigante 1) an prosit alteri litiganti; 2) utrum et qualiter praebeat eidem ius impugnandi partem sententiae acceptatam; 3) quaenam sententiae capita respiciat 431

Can. 1888. - Utrum impugnatio facta ab uno ex correis aut actoribus prosit aliquando aliis, et quisnam tunc expensas sustinere debeat 432

Can. 1889. - De diversitate appellationum . . . . . —

Can. 1890. - Interposita appellatione, quis, ad quem, quaenam acta et qua forma debet transmittere? 433

Can. 1891. - De materia, tum proxima tum remota, et de probationibus in gradu seu iudicio appellationis . . . . . —

CAPUT II. — **De querela nullitatis contra sententiam.**

Expositio rubricae.

Querelae nullitatis notio: usus eiusdem iure veteri: nullitas *a*) sanabilis, *b*) insanabilis 435

Expositio textus.

Can. 1892. - Quatuor capita ex quibus sententia vitio insanabilis nullitatis laborat . . . . . —

Can. 1893. - Quomodo, coram quo, et intra quod tempus proponenda est querela nullitatis insanabilis? 436

Can. 1894. - Quatuor capita, ex quibus sententia vitio nullitatis sanabilis laborat 437

Can. 1895. - Querela nullitatis sanabilis, *a*) quotupliciter proponi potest; et *b*) intra quod tempus proponi debet, si cum appellatione, intra quod vero si seorsim proponatur? . . . . . —

Can. 1896. - Qualis subrogatio peti possit si pars vereatur ne iudex auctor sententiae nullitatis praeoccupatum animum habeat . 438

Can. 1897. - Declaratio nullitatis vel emendatio sententiae, utrum et quando possint peti 1) a partibus et a promotore iustitiae et defensore vinculi; 2) a iudice ipso . . . . . —

CAPUT III. — **De oppositione tertii.**

Expositio rubricae.

Remedium ex veteri iure loco oppositionis tertii 439

Expositio textus.

PAG.

Can. 1898. - Quandonam competat, quale sit, et in quo consistat remedium quod oppositio tertii dicitur 440

Can. 1899. - In remedio oppositionis 1) quid postulari possit; 2) quid probare debeat oppositor; 3) undenam oriri debeat laesio; 4) quid si oppositor deficiat in probando 441

Can. 1900. - Normae servandae prout agatur *a*) coram iudice appellationis; vel *b*) coram auctore sententiae 442

Can. 1901. - A quo et qualiter mutanda est sententia ab oppositore impugnata? . . . . . —

TITULUS XV.

De re iudicata et de restitutione in integrum.

Expositio rubricae.

Notio rei iudicatae, et restitutionis in integrum 443

Expositio textus.

Can. 1902. - Quadruplex caput, quo sententia firma seu res iudicata habetur. . . . . —

Can. 1903. - De causis quae transeunt vel non in rem iudicatam . 444

Can. 1904. - De praerogativis et effectibus rei iudicatae 445

Can. 1905. - De restitutione in integrum, seu de remedio contra sententias quae transierunt in rem iudicatam 446

Can. 1906. - Quisnam sit iudex competens ad concedendam hanc restitutionem 448

Can. 1907. - Quoad exsecutionem sententiae, 1) quid efficit regulariter petitio restitutionis; 2) quid faciendum si adsit suspicio de intentione nectendi moras? . . . . . —

TITULUS XVI.

De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio.

Expositio rubricae.

Iusta ratio expensarum non obstante gratuitate iudiciorum . . —

CAPUT I. — De expensis iudicialibus.

Expositio rubricae.

Quid venit nomine expensarum iudicialium? 449

Expositio textus.

Can. 1908. - In quibus causis et an semper possint partes adigi ad aliquid solvendum titulo expensarum iudicialium . . . —

PAG.

Can. 1909. - De pecunia pro expensis taxanda, et de eadem, vel cautione penes cancellariam deponenda 450
Can. 1910. - Uter litigantium teneatur reficere, 1) expensas, regula generali, 2) forte damna 451
Can. 1911. - In quibus causis, quomodo, et sub qua conditione valeat iudex recedere a regula generali (canonis 1910) circa expensas . . . . . —
Can. 1912. - Si plures mereantur ad expensas condemnari, utrum damnatio debeat fieri in solidum, an pro rata 452
Can. 1913. - A pronuntiatione circa expensas 1) quodnam remedium concedatur loco distinctae appellationis; 2) utrum detur appellatio indistincta, idest, implicita in appellatione a pronuntiatione principali . . . . . —

CAPUT II.

De gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium deminutione

Expositio rubricae.

Notae historicae de instituto gratuiti patrocinii 453

Expositio textus.

Can. 1914. - Quandonam ius habeant pauperes ad gratuitum patrocinium, quando autem ad expensarum deminutionem . . 454
Can. 1915. - De requisitis ad exemptionem vel deminutionem quoad expensas obtinendam 455
Can. 1916. - Ad gratuitum patrocinium, 1) quomodo debeat iudex providere; 2) quid si advocati deficiant 456

TITULUS XVII. — **De exsecutione sententiae.**

Expositio rubricae.

Vetus disciplina circa exsecutionem sententiae 457

Expositio textus.

Can. 1917. - De sententiis exsecutioni aptis 458
Can. 1918. - Utrum sententia firma sit titulus exsecutorius, an vero insuper decretum exsecutorium habendum sit, et a quo edendum, et quale, et ubinam 459
Can. 1919. - Si inter decretum et exsecutionem redditio rationum sit exhibenda, qualis causa habetur? quisnam de ea cognoscet, et qua forma? . . . . . —
Can. 1920. - Quisnam sententiam exsecutioni mandare, et per quem mandare debeat, 1) regulariter; 2) si praedictus Ordinarius renuat vel negligat; 3) inter religiosos . . . . . —

PAG.

Can. 1921. - De potestate et officio exsecutoris 460
Can. 1922. - Quoad terminos pro exsecutione, 1) quinam praescribatur quoad actiones reales ; 2) quinam quoad actiones personales ; 3) a quo, et in qua mensura possint mutari (termini) . . 462
Can. 1923. - De moderamine et ordine in exsecutione servandis . —
Can. 1924. - Quoad potestatem exsecutoris coercitivam eiusque usum *a*) quibus mediis debeat uti in primis ; *b*) an et quomodo possit devenire ad poenas spirituales et censuras 463

SECTIO II. — DE PECULIARIBUS NORMIS IN CERTIS QUIBUSDAM IUDICIIS SERVANDIS

Expositio rubricae.

Quot sint species iudiciorum communium habentium normas peculiares 464

TITULUS XVIII.

De modis evitandi iudicium contentiosum.

Expositio rubricae.

Duplex modus evitandi iudicium contentiosum. - Concordiae institutum iure veteri 465

CAPUT I. — De transactione.

Expositio rubricae.

Transactionis notio, subiectum, etc., iure naturali aut canonico veteri 468

Expositio textus.

Can. 1925. - Transactio 1) a quo, qualiter, et in quibus negotiis procuranda ; 2) quo tempore proponenda ; 3) per quem perficienda ? 471
Can. 1926. - Normae servandae in transactione 472
Can. 1927. - De causis in quibus prohibetur, et de rebus de quibus permittitur transactio 473
Can. 1928. - Transactionis 1) effectus quomodo vocatur ? 2) expensas quis solvet ? 475

CAPUT II. — De compromisso in arbitros.

Expositio rubricae.

Notae historicae circa institutum arbitrale . . . . . —

Expositio textus.

PAG.

Can. 1929. - Ad evitandum iudicium, *a*) utrum partes, et quaenam, possint aut aliquando debeant inire compromissum in arbitros; *b*) quotupliciter possint procedere compromissarii; et *c*) quo nomine appellentur in quolibet casu 477
Can. 1930. - Compromissum *a*) quanam forma celebrari debeat; et *b*) in quibus causis celebrari possit 478
Can. 1931. - Quinam prohibeantur ab arbitri munere valide gerendo —
Can. 1932. - Quomodo dirimenda erit controversia si nec in transactionem nec in compromissum in arbitros vel arbitratores partes consentire velint 479

TITULUS XIX. — De iudicio criminali.

Expositio rubricae.

Iudicii criminalis definitio, elementa, divisiones. - Systema iudiciarium criminale iure romano, canonico veteri, saeculari hodierno. - Systema iudiciarium criminale iure Codicis . . —

Expositio textus.

Can. 1933. - De obiecto et fine iudicii criminalis ecclesiastici, et de eius necessitate pro irrogandis aut declarandis aliquibus poenis, non autem omnibus 492

CAPUT I. — De accusatoria actione et denuntiatione.

Expositio rubricae.

Notio accusatoriae actionis, denuntiationis, querelae 500

Expositio textus.

Can. 1934. - Cuinam, et quomodo competit accusatio seu actio criminalis 501
Can. 1935. - Utrum et quando cuilibet fidelium maneant adhuc denuntiationis 1) ius, 2) obligatio 502
Can. 1936. - Quibus, et qua forma debet fieri denuntiatio (*canonica*)? 504
Can. 1937. - Qualiter adiuvare possit et debeat promotorem iustitiae denuntiator delicti (*denuntiator iudicialis*)? . . . . . —
Can. 1938. - De actione iniuriarum aut diffamationis: an sit quoque reservata promotori iustitiae . . . . . —

CAPUT II. — De inquisitione.

Expositio rubricae.

Inquisitionis notio et divisio 505

Expositio textus.

PAG.

Can. 1939. - Inquisitio specialis 1) quandonam, a quo, et ad quem finem praemittenda est iudicio criminali; 2) an praemittenda sit etiamsi agatur de irrogandis censuris vel declarandis quibuslibet poenis? 508

Can. 1940. - A quonam inquisitio specialis iudicialis *a*) peragi potest semper sed non debet; *b*) peragi debet ex generali regula; *c*) peragi potest ex peculiari ratione 510

Can. 1941. - Inquisitor 1) utrum possit delegari ad universalitatem causarum; 2) quasnam obligationes habeat; 3) an possit iudicem agere in eadem causa 511

Can. 1942. - Quoad argumenta ad inquisitionem instaurandam 1) cuinam committitur iudicare de sufficientia eorum in genere; 2) quaenam denuntiationes sunt nihili faciendae? . . . —

Can. 1943. - Haec inquisitio *a*) utrum debeat esse semper secreta; *b*) quibus cautelis ducenda; *c*) et ad quid 512

Can. 1944. - De ratione peragendi inquisitionem seu exquirendi probationes 513

Can. 1945. - De personis inquisitioni intervenientibus 516

Can. 1946. - De citatione in processu sive mixto sive accusatorio . 517

CAPUT III. — De correptione delinquentis.

Expositio rubricae.

Correptionis iudicialis notio et divisio 520

Expositio textus.

Can. 1947. - De auditione rei et de requisitis pro correptione iudiciali 521

Can. 1948. - In quibus delictis, et in quibus casibus non habet locum correptio iudicialis? 523

Can. 1949. - Quoties potest locus esse correptioni: et quid si post alteram reus idem delictum commiserit? 524

Can. 1950. - Quonam temporis momento, et intra quos fines possit correptio adhiberi: a quo adhibenda si iudicium sit inceptum; quandonam iudicium dicatur inceptum; et quid de iudicio in casu correptionis . . . . . —

Can. 1951. - In casu querelae damni ex delicto 1) utrum correptio adhiberi possit; 2) an et quomodo ipse Ordinarius videre possit de damno; 3) an, quando et quomodo liceat eidem consulere diversa forma quaestionibus de damno et reparatione scandali 525

Can. 1952. - Correptio iudicialis 1) in quo consistat, vel quid contineat; 2) qualis rigoris debeat praebere remedia . . . —

Can. 1953. - Quandonam correptio censeatur inutiliter adhibita . 526

CAPUT IV. — **De instructione processus criminalis et de rei constitutione.**

Expositio rubricae.

PAG.

Quid sint processus et instructio processus: quid sit rei constitutio *a*) iure veteri, *b*) iure Codicis 526

Expositio textus.

Can. 1954. - De opportunitate et requisitis immediatis pro instauratione iudicii formalis, de deputatione advocati, propositione exceptionis declinatoriae fori et aliarum dilatoriarum, et favore defensionis 528

Can. 1955. - De introductione formalis iudicii, de rei constitutione et de litis contestatione 530

Can. 1956. - Utrum, et quando, et quibus servatis possit Ordinarius imputatum arcere a sacris per modum prohibitionis . . 536

Can. 1957. - An et quaenam remedia possit ipse iudex adhibere ad modum pariter prohibitionis in accusatum a quo praeiudicium vereatur administrationi iustitiae 537

Can. 1958. - Quo processu, quo tempore et cum quo effectu feruntur decreta de quibus in *can. 1956, 1957?* . . . . . —

Can. 1959. - De probationibus, publicatione processus ceterisque actibus processualibus ex fontibus suppletoriis huius Tituli . . 538

APPENDIX — *Schemata*, seu conspectus generalis iudiciorum criminalium iuxta regulas ex diversis fontibus haustas . . —

Schema I. — Structura et ordo actuum processus criminalis mixti 543

Schema II. — Structura et ordo actuum processus criminalis accusatorii 546

Schema III. — Natura, structura et ordo actuum processus pro dimissione religiosorum in religione clericali exempta . . . 548

TITULUS XX. — **De causis matrimonialibus.**

Expositio rubricae.

Processus et causarum matrimonialium notio, divisio - Vetus disciplina processus in causis matrimonialibus 552

CAPUT I. — **De foro competenti.**

Expositio rubricae.

Diversus sensus quo de foro competenti loquuntur canones 1966, 1961, ac canones sequentes 555

Expositio textus.

Can. 1960. - Quonam iure spectant ad iudicem ecclesiasticum causae matrimoniales stricte tales inter baptizatos 556

PAG.

Can. 1961. - Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, quandonam pertinent ad civilem magistratum, quando vero et quo iure cognosci possunt a iudice ecclesiastico? 560

Can. 1962. - Quisnam iudex ecclesiasticus cognoscet causas matrimoniales *a*) spectantes ad eas personas illustres de quibus in can. 1557, § 1, n. 1; *b*) super matrimonio rato et non consummato; *c*) quae referuntur ad privilegium Paulinum . . . 561

Can. 1963. - Quoad causas dispensationis super rato, 1) utrum aliquis iudex inferior possit saltem processum instruere; 2) quid si ex iudicio peracto de matrimonio nullo ob impotentiam emerserit probatio inconsummationis 562

Can. 1964. - Quisnam sit iudex competens in aliis causis matrimonialibus . . . . . —

Can. 1965. - Monitiones a iudice faciendae, si matrimonium accusatur, *a*) ex defectu consensus; *b*) ex defectu formae substantialis; *c*) ex impedimento dirimenti dispensari solito . . . 564

CAPUT II. — De tribunali constituendo.

Expositio rubricae.

Quaenam personae constituunt vel adiuvant tribunal in causis matrimonialibus pro earum diversitate . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1966. - Quot debent esse iudices, *a*) pro petitione dispensationis super rato definienda; *b*) pro inquisitione definitioni praevia . —

Can. 1967. - In quibus causis et quaestionibus *a*) sit necessaria citatio defensoris vinculi; *b*) qualiter sint necessariae citatio aut praesentia 565

Can. 1968. - Munera defensoris vinculi matrimonialis quoad 1) testium examen; 2) articulos et documenta a partibus exhibita; 3) animadversiones a se scribendas, et allegandas, etc. . . —

Can. 1969. - Iura defensoris quoad 1) acta invisenda et terminos effiagitandos; 2) cognitionem probationum et allegationum; 3) eosdem testes repetendos vel alios petendos, utrosve reprobandos; 4) alia acta conficienda 566

CAPUT III. — De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato.

Expositio rubricae.

Vetus disciplina super accusatione matrimonii 567

Expositio textus.

Can. 1970. - An et qualis accusatio aut petitio sit necessaria ut tribunal possit cognoscere causas matrimoniales 568

PAG.

Can. 1971. - Quinam 1) sunt habiles ad matrimonium accusandum; 2) habent tantummodo ius ad denuntiandum nullitatem . 569

Can. 1972. - Utrum et quando matrimonium, quod, utroque coniuge vivente non fuit accusatum, possit post eorum mortem accusari 570

Can. 1973. - Cuinam competit ius petendi dispensationem super rato 571

CAPUT IV. — **De probationibus.**

Expositio rubricae.

Qualiter differant probationes in causis matrimonialibus ac in aliis . —

ART. I. — **De testibus.**

Expositio textus.

Can. 1974. - An et cur consanguinei et affines coniugis sint testes habiles . . . . . —

Can. 1975. - De usu probationis per testimonium septimae manus . 572

ART. II. — **De inspectione corporali.**

Expositio textus.

Can. 1976. - In quibus causis matrimonialibus, an semper, et a quibus facienda requiratur inspectio corporis 573

Can. 1977. - Normae servandae in electione peritorum . . . —

Can. 1978. - Utrum possint tanquam periti admitti, aut tanquam testes induci illi qui privatim coniuges inspexerint . . . 574

Can. 1979. - Pro inspectione 1) viri, quotnam periti deputari debent et a quo; 2) mulieris, quot, quales, et a quo debent designari; 3) corporali mulieris, quaenam regulae sunt servandae? . . —

Can. 1980. - Quoad inspectionem mulieris 1) utrum singuli periti debeant eam exsequi seorsim; 2) an singuli periti debeant singulas relationes conficere et quo tempore; 3) an et quando relationes factae ab obstetricibus subiici possint examini alicuius medici 575

Can. 1981. - Quinam super peracta relatione interrogari debeant, et qualiter, a quo, iuxta quos articulos, et sub qua obligatione . —

Can. 1982. - Utrum in causis defectus consensus ob amentiam requirantur medici, *a*) qua periti, et tunc a quo deputati et ad quid examinandum; *b*) qua testes . . . . . —

CAPUT V.

De publicatione processus, conclusione in causa et sententia.

Expositio textus.

PAG.

Can. 1983. - An et quomodo, publicato processu, fas sit 1) novos testes inducere: 2) testes iam excussos denuo audire . . . 576

Can. 1984. - Quoad perorationes defensoris vinculi, 1) quo ordine est audiendus; 2) qualiter ante sententiam interrogandus; 3) quid si ante praefinitum diem nihil deduxerit 577

Can. 1985. - In causis spectantibus dispensationem matrimonii rati et non consummati, *a*) quousque se extendit competentia iudicis instructoris; *b*) cuinam et quomodo debet transmittere acta . . . . . —

CAPUT VI. — **De appellationibus.**

Expositio textus.

Can. 1986. - Utrum defensor vinculi *a*) a prima sententia contra validitatem teneatur appellare, et intra quod tempus, et ad quem; et *b*) debeat ad appellandum compelli, et a quo . . . 578

Can. 1987. - Quo in casu, et intra quod tempus ius coniugibus est, post secundam sententiam contra validitatem matrimonii, novas nuptias contrahendi? . . . . . —

Can. 1988. - Cautela ab Ordinario loci servanda quoad regesta parochialia, decreta matrimonii nullitate . . . . . —

Can. 1989. - Utrum, quare et in quibus casibus revocari possint sententiae in causis matrimonialibus 579

CAPUT VII. — **De casibus exceptis a regulis hucusque traditis.**

Expositio rubricae.

Natura casuum exceptorum, et ratio exceptionis . . . . . —

Expositio textus.

Can. 1990. - Quinam casus, et quibus muniti conditionibus, excipiuntur a regulis circa causas matrimoniales, et ad quas normas nullitatem tunc declarabit Ordinarius? 580

Can. 1991. - Utrum et in quibus casibus teneatur defensor appellare contra declarationem Ordinarii, et an et qua cautela sunt transmittenda acta ad iudicem secundae instantiae . . . 583

Can. 1992. - Quid et quomodo decernet iudex appellationis, et quid faciet si decreverit procedendum esse ad ordinarium tramitem? —

TITULUS XXI. — **De causis contra sacram ordinationem.**

Expositio rubricae.

PAG.
Divisio seu species causarum contra sacram ordinationem . . 584

Expositio textus.

Can. 1993. - De foro vel auctoritate competente pro diversitate causarum, et de duplici forma processus 585
Can. 1994. - Quinam valet 1) accusare ordinationis validitatem ; 2) petere nullitatem onerum ordinationi adnexorum 586
Can. 1995. - Regulae servandae in causis contra sacram ordinationem 587
Can. 1996. - Iura et officia defensoris vinculi sacrae ordinationis . —
Can. 1997. - Utrum, quando et qualiter, instituta actione contra sacram ordinationem, clericus sit suspendendus . . . . . —
Can. 1998. - Quotnam sententiae requiruntur ad liberandum clericum ab obligationibus ex sacra ordinatione, et quaenam praescripta sunt servanda quoad appellationem in causis h. tituli . . 588

348.5 Noval y Antiérrez, Jose
N 857 23789

NOVAL, P. JOESPHO

AUTHOR

Commentarium codicis iuris

TITLE

Canonici, Lib. IV, Pars. 1

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	O'Brien	

23789